This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

71032J

90

DE SERMONE SALLUSTIANO

AUCTORE

L. CONSTANS

IN GYMNASIO MONTIS PESSULANI AGGREGATO PROFESSORE.

PARIS

F. VIEWEG, LIBRAIRE-ÉDITEUR

67, RUE DE RICHELIEU, 67

1880

DE SERMONE SALLUSTIANO

DE

SERMONE SALLUSTIANO

DU MÊME AUTEUR

MARIE DE COMPIÈGNE d'après l'Evangile aux femmes, texte publié pour la première fois dans son intégrité, d'après les quatre manuscrits connus des XIIIe, XIVe et XVe siècles, avec un commentaire philologique et une dissertation sur l'origine probable de ce fableau ; grand in-8°. Paris, Vieweg, 1876.

ESSAI SUR L'HISTOIRE DU SOUS-DIALECTE DU ROUERGUE, ouvrage qui a obtenu le 1er prix de philologie aux fêtes latines de Montpellier (1878) ; in-8°. Paris, Maisonneuve et Cie, 1880.

LA LÉGENDE D'ŒDIPE étudiée dans l'antiquité, au moyen-âge et dans les temps modernes, en particulier dans le ROMAN DE THÈBES, texte français du XIIe siècle ; in-8°. Paris, Maisonneuve et Cie, 1880.

IMPRIMERIE GÉNÉRALE DE CHATILLON-SUR-SEINE — JEANNE ROBERT

DE SERMONE
SALLUSTIANO

AUCTORE

L. CONSTANS

IN GYMNASIO MONTIS PESSULANI AGGREGATO PROFESSORE.

PARIS

F. VIEWEG, LIBRAIRE-ÉDITEUR

67, RUE DE RICHELIEU, 67

1880

296. h. 9

ERUDITISSIMO ET ORNATISSIMO MAGISTRO

EUGÈNE BENOIST,

LATINÆ POESEOS IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI PROFESSORI,

benignitatis et præceptorum memores,

hoc qualecumque munusculum

DDD.

PRÆFATIO.

Etsi jam ante me multi viri doctissimi de genere dicendi sallustiano recte diligenterque disputaverunt, tamen nullum esse puto, qui in hac quæstione tractanda eadem ratione usus sit quæ mihi optima visa est : Quam quidem viam ingressus est Draegerus in libris qui inscribuntur « Ueber Syntax und stil des Tacitus » et « Historische Syntax des lateinischem sprache, » et post illum nonnulli simili ratione usi quasdam res ad nostrum propositum pertinentes singulariter tractaverunt ; sed nemo est qui rem integram, sive apud Germanos, sive apud Franco-Gallos, denuo perquirere aggressus sit.

Præterea, quum pauci adhuc in Gallia inveniantur viri docti quibus Germanorum libri grammatici notissimi sint, ac præsertim dissertationes inaugurales et ea quæ dicuntur *programmata* sæpius de nostro auctore disputantia, nonnunquam pecunia parare sit difficile, haud absurdum mihi visum est ; si, quæcumque (præsertim in Germania) nostra ætate de sallustiano sermone opera in lucem edita fuerint, hoc libello comprehenderem, et quasi succum eorum exprimerem, proprio tamen adhibito judicio, et additis non paucis quæ grammaticorum vel editorum studium fugerint. Quem ad finem assequendum, Gerlachii *de Proprietate sermonis sallustiani Commentationem*, ac præsertim Kritzii, Dietschii, Fabri, Jacobsii editiones diligenter evolvimus ; Cortii etiam fastidiosa quidem, sed interdum utilia commentaria, et Herzogianæ editionis paulo obscuras explicationes legimus. Præterea Burnoufii nostri commentariorum, pro tempore sane excellentissimorum, rationem habuimus, denique ex recentissima P. Thomæ Belgici *Jugurthæ* editione aliquot correctiones explicationesque hausimus. Nonnullas etiam dissertationes inaugurales, quorum pleræque a Germanis doctoribus propositæ, evolvere licuit, nec non plura, quæ dicuntur, programmata, ex

quibus aliquoties multa utilia, sæpius vero nihil fere novi excerpsimus. Et illa quidem opuscula hæc fere sunt :

Wirz. — De fide atque auctoritate codicis sallustiani qui Parisiis in bibliotheca imperiali n. 1576 asservatur commentatio. *Aroviæ*, 1867.

Anhalt. — Quæ ratio in libris recensendis sallustianis recte adhiberi videatur. *Jenæ*, 1876.

Dr Badstuebner. — De Sallustii genere dicendi commentatio. *Berlin*, 1863.

H. Koziol. — Ueber die Bedeutung und den Gebrauch des historischen Infinitivs bei Sallust. Iglau, 1868.

Anschuetz. — Selecta capita de syntaxi sallustiana. *Halis*, 1873.

P. Schultze. — De Archaïsmis sallustianis. *Halis*, 1871.

G. Bruennert. — De Sallustio imitatore Catonis Sisennæ aliorumque veterum historicorum romanorum. *Jenæ*, 1873.

Deltour. — De Sallustio Catonis imitatore. *Parisiis*, 1859.

Laureck. — De C. Sallustii Crispi ingenio, arte rationeque dicendi. Accedit comparatio cum Thucydide et Tacito. *Ahrweiler*, 1873.

V. Garbari. — De quibusdam stili salustiani proprietatibus. *Trento*, 1871.

Nic. Oestling. — De Elocutione C. Sallustii Crispi commentatio. *Upsala*, 1862.

Frid. Paldami. — Quæstionum sallustianarum specimen. *Dresdæ*, 1852.

Lechner. — Observationes in nonnullos Sallustii locos. *Hof*, 1828.

Fr. Gruendel. — Quæstiones sallustianæ. *Regimonti Pr.* 1861.

Fr. Gruendel. — De locis aliquot sallustianis. *Thorn*, 1869.

Dinter. — Satura grammatica (cujus pars prima ad Sallustium pertinet.) — *Lipsiæ*, 1872.

Dr. Lilie. — Observationes grammaticæ in Sallustium. *Javer*, 1870.

Petrenz. — Commentatio de participiorum latinorum ratione atque usu. *Gumbinnen*, 1826 [1].

1. In Badstuebneri, Schultzii, Anschuetzii, Oestlingii, Koziolii libellis maximum auxilium invenimus; adde optimum de Syntaxi latina Draegeri librum, cujus ope exempla jam a nobis collecta admodum auximus.

Hæc vero, quæ sequuntur, opuscula ad nostrum propositum sane pertinentia, quia jamdudum apud bibliopolas non exstabant, nullo modo parare aut evolvere licuit.

Wagner. — Disputatio de locis quibusdam sallustianis. *Ratisbonne*, 1861.

Laws. — De dicendi genere sallustiano commentatio. *Rössel*, 1864.

Bussmann. — De temporum et modorum apud Sallustium usu. *Greifs'wald*, 1862.

Lehmann. — De verbis compositis apud *Sallustium*, Cæsarem, Tacitum, cum dativo structis. *Wratislavii*, 1863.

Zeitfuchs. De orthographia sallustiana. *Sondershausen*, 1841.

S. Dolega. De Sallustio imitatore Thucydidis, Demosthenis, aliorumque scriptorum græcorum. *Breslau*, 1871.

Teuffel. — Ueber Sallustius und Tacitus. *Tübingen*, 1868.

Dr O. Clason. — Eine Sallust-Handschrift aus der Rostocker Universitaets-bibliotek. *Leipsig*, 1876.

Boese. De fide et auctoritate codicis sallustiani Vatic. 3864. Dissertat. inaugur. *Gœttingæ*, 1874.

Brentans. — De Sallustii codicibus recensendis. *Tubingen*, 1864.

Huic fontium ex quibus hausimus expositione pauca addemus.

Textum Jordani in *Catilina* et *Jugurtha*, atque in *Historiarum orationibus* et *epistolis* secuti sumus, ita tamen ut nonnullis locis, si visum esset, scripturas ab aliis illatas anteponeremus; in fragmentis vero textum atque ordinem Kritzii accepimus. Ad cetera scripta sub nomine Sallustii tradita quod attinet, quum ea jam dudum subditicia esse exploratum sit, (Cf. Jordan *de suas. ad. Cæs. senem de rep. inscriptis*, et nuperrime, *de Sallustii in Ciceronem declamatione*, in Herm. V, XI, 3, 1876), nullius fere utilitatis esse poterant; pauca tamen exempla ex duobus ad Cæsarem epistolis hausimus, sed tantum ubi alia quoque genuina Sallustii exempla essent, nunquam vero ita ut incertæ auctoritatis locutiones aut constructiones Sallustio assignaremus.

Propositum vero nostrum ita instituimus ut hunc ordinem sequeremur qui rerum naturæ maxime conveniret; itaque totum opus in quinque partes distribuendum putavimus, quarum in prima de elementis, in

secunda de formarum usu, in tertia de syntaxi generali, in quarta de syntaxi consecutionis, in quinta de stili sallustiani proprietatibus dissereremus.

His præmissis, propositum ipsum aggrediamur.

PARS PRIMA.

DE ELEMENTIS.

CAPUT I.

DE ORTHOGRAPHIA.

Primum quidem de ratione verborum scribendorum quid sentiamus exponendum esse videtur.

A. — Vocalis *u* pro *i*. — Sallustius formas *lubet*, *lubido*, *æstumo*, *existumo*, *lacrumæ*, *legitumus*, in quibus *i* littera pro *u* postea sola in usu fuit, frequentissime adhibet, nec unquam formis per *i* scriptis utitur. Similiter in superlativi formis in *umus* exeuntibus semper *u* litteram usurpat. Gerlachius, cui assentitur Paldamus (l. l. p. 22), propter quamdam soni gravitatem litteram *u* a Sallustio antepositam fuisse putat. Quod quidem pro vero accipi potest : notandum tamen est hunc usum nullo modo pro archaïsmo habendum esse, ut optime docuit Schultzius, ex sagacissima Corssenii disputatione[1], quum Velius Longus (de Orthogr. p. 2235) in Augusti temporis inscriptionibus iterum *u* in ejusmodi verbis scriptum fuisse affirmet, atque ex grammaticorum consensu Cæsarem Ciceronemque verba illa per *i* enuntiare et scribere solitos esse constet. Quod ad usum superlativi formæ in *umus* exeuntis pertinet, eam Gerlachius, Kritzius[2], Dietschius in archaïs morum numero, sicut et cetera supra laudata verba, habendam esse censent ; Fabri autem, ad Cat. 1, 1, hanc superlativi formam usitatam fuisse Sallustii ætate recte contendit, quum tamen formas ut *æstuma*, *lacrumæ*, cet., archaïsmos esse putet. Ego vero, Schneidero (Grammat. lat. ling. p. 18,) ac Corssenio auctoribus, libenter censeo Sallustii ætate *æstimo* et *æstumo*, *novissimus* et *novissumus*, sine discrimine scripta fuisse ; quod autem ad sonum pertineat, litteræ *u* plenam ac vernaculam pronuntiationem mature adulteratam fuisse, et paulatim ad sonum *i*

1. Corssen. Ueber Aussprache, Vocalismus und Betonung der latein. Sprache, p. 331-340.
2. Præfat. ad Catil. p. XII, XIII.

pervenisse, quæ mutatio perfecta jam ætate Augusti sane erat, saltem in ore litteratorum virorum, quum tamen vulgus pristinam pronuntiationem diutius servaverit[1].

B. — Vocalis *u* pro *o*. — U pro *o* invenitur in *epistula* pro *epistola* *adulescens* pro *adolescens* (passim), *adulescentia* (passim), *adulescentulus* (C. 3, 3; 49, 2; 52, 26.) Dietschius scribit *adulesco* pro *adolesco*, variis quæ occurrunt formis : *adulescebant* (Hist. iv, 23), *adulevit*, (Jug. 6, 1; 18, 11; 63, 3; Cat. 51, 40) ; sine dubio analogiæ inserviens, at contra codicum fidem.

C. — Vocalis *o* pro *u* aut *e*, post *v*. — Sallustius semper fere etiam *o* pro *u* aut *e* post *v* adhibet, ut *voltus*, *volgus*, *volnus*, *vorto*, *vorticosus* (H. iv, 37.) *voster*, *advorsus*, *divorsus*. — Adde *jocundiora* (J. 85, 41), ex plurimorum codicum et editorum scriptura (Gerlach, Fabri, Kritz, Dietsch, Jacobs,) inter quos et Parisiensis optimus ille numero 1576 inscriptus (P[1]). Jordanus vero *jucundiora* præfert, codicem secutus Parisiensem n° 500, quem præcipuo et, ut vera fateamur, legitimo amore amplexus, editionem suam præstantissimam exegit. Wirzius tamen pluribus locis eum, *mira superstitione captum*, scripturas codicis P[1] meliores præteriisse contendit; de hoc autem loco tacet omnino. Cortius, qui *jucundiora* in textum recepit, in nota infra posita lectionem *jocundiora* tueri videtur, conferens Vergilii Æneida, vi, 363, ubi quidam scripsere *jocundum*. At hæc scriptura, quum pro obsoleta accipienda sit, nullo modo apud Vergilium servari potest. Sed ad nostrum Sallustium revertamur. Jordanus *percontari* cum Gerlachio, Kritzio, Jacobsio, cet., scribit, Dietschius vero fere solus *percunctari* (Cat. 40, 2; H. i, 27 ; iii, 8).

In Vaticano codice, qui fragmenta historiarum servavit, *quom* forma legitur iii, 67, col. 7, 18 et iv, 61, 13 ; (iii, 67, col. 1, 19, *quom* est præpositio) ; at Parisianus codex longe optimus (P), semper *cum* habet. Præterea Arn. Krausius, in suo *De quom conjunctionis usu ac forma capita* iii inscripto libello nuper edito[2], omnes aureæ ætatis scriptores prisca quidem conjunctionis forma usos esse videri, nullum vero ex iis novam formam non adhibuisse, optime docuit. Cum autem Sallustii codices optimi formam *cum* constanter ostendant, sequitur ut hanc novam formam accipere necesse sit.

1. Paulo aliter senserunt Deltourius noster ac notissimus in Scandinavia vir doctus Oestling, qui has formas a Virgilio, Cæsare et Cicerone adhibitas fuisse ex codicum veterum fide affirmant, contra grammaticorum testimonium similiter Nipperdejus et Madvigius eam rationem scribendi in suis editionibus secuti sunt. Illa vero quæstio nequaquam codicum manuscriptorum ope dijudicari potest.

2. Berolini, 1876.

D. — Vocalis *e* pro *i*. — In pluribus compositis verbi *legere*, littera *e* simplicis servatur : *neglegere* (Cat. 10, 4, 50, 4), *neglegas* (J. 31, 28) *neglegentia* (C. 52, 9 ; H. iv, 63) *intellegitur* (J. 101, 1), *intellego* (H. v, 17), *intellegebat* (passim), *intellegeret* (passim) ; *delegere* (passim). Similiter *a* littera simplicis *tractandi* in fragmento hist. lib. III (reliquiæ Vaticani) videtur servata : *detractantibus* (Jordan). Idem *detrectare* per *e* scribit J. 53, 8 ; Kritzius vero *detractant* eodem loco, quam formam nonnullis manuscriptis codicibus servatam apud antiquiores in usu fuisse testatur, Pierius ad Vergilii Georg. iii, 57. Vide de hac quæstione Kritzium ad Jug. 53, 8, Schneider (l. l. I, 1, p. 9,) ac præsertim Corssenium (II. p. 406-411.)

Alia de vocalibus adnotata sunt infra, ubi de declinatione et conjugatione agitur. Unum tamen addemus, verbum *obœdire* usque ad ætatem imperatorum scripturam per *oe* servasse, quæ etiam propter etymologiam sola recta est, et ab omnibus fere Ciceronis editoribus jure recepta est; cf. Corssen I, p. 702-715.

E. — Consonantes. — Ad consonantes quod attinet, notandum est Sallustium nunquam assimilatione in verbis compositis usum esse, quod ex collatione codicum ab Jordano facta apparet. Non igitur mirandum, si formam *ecferens* (J. 14, 11), ab omnibus editoribus receptam, Sallustius adhibuerit. De propositione *ex* assimilatione, vide quæ egregie a Corssenio disputata sunt pag. 154 sqq., qui ostendit formam *ec* ante *f* litteram ex codicum testimonio a Cicerone ipso adhibitam fuisse.

Multum etiam etymologiæ tribuit Noster in his vocibus : *inportuosum* (J. 17, 5), *inportunus* (J. 3, 2 ; 92, 7), *inportunitatis* (J. 31, 22), *inpiger* (J. 15, 4 etc.), *inritamentum* (J. 89, 7), ceterisque ex præpositione *in* compositis. Itidem vocabula ex *cum* composita sine assimilatione scripisse videtur : *conlega* (C. 21, 3 etc.), *conloquium* (J. 38, 9; 108, 2 ; 112, 3 ; 113, 2 ; H, 1, 28), *conburantur* (H. iii, 37), *conprobato* (C. 50, 1), *conmutatio*, *conpono*. *conperio*, *conrumpo*, etc. Jordanus quidem contra Dietschium, *communicare*, *communis*, *commeatus*, *commendationi* (C. 35, 1), *commendo* (C. 35, 6), scribit, at cum eo *conmittere conmutatio* etc., parum, ut videtur, sibi constans, aut nimium auctoritati codicis sui obsequens.

Aliquot vocabula addemus, in quibus exarandis Jordanus, (cui nos quidem libere assentimus), alienum aliqua ex parte ab etymologia scribendi modum Sallustio assignat : *oportunus* (Dietsch, Gerlach), at *opportunus* (Jordan, Jacobs, Freund, Kritz, cet.), *cotidie* (J. 45, 2; 91, 1) , *cotidiano* (C. 48, 2; 14, 4), *expectare* (passim), *extinguere*

(Cf. *Cornutus* ap. *Cassiodorum*, p. 2284, et *Schneider*, Elementarlehre T. II, p. 555.), *extruere* (C. 20, 11, J. 23, 1), *execrari* (C. 48, 1), *execratio* (C. 22, 2,) *exequi* (passim); *temptare*, (passim), *secuntur*, (J. 2, 1; 13, 1; H. I, 51, 9), *quicquam*, *nequiquam* (Cat. 20, 2; 52, 29; 58, 2; J. 62, 9; H. II, 50, 14); *exurgitis* (J. 31, 3), *exuperat* (C. 51, 8), *exultare* (J. 98, 6), *exul* (J. 14, 7, H. III, 82, 18), in quibus omnibus enuntiandi modum, non etymologiam secutus fuisse Sallustius videtur.

Sallustium antiquam scribendi normam in eo secutum esse contendit Gerlachius (lib. p. 308); quod in pluribus vocabulis semivocales non geminavit, laudatque *paulo*, *paululum*, *belua*, *causa*, *mile*. Huic assentiri videtur Jordanus, qui tamen *mille* semper scribit (J. 68, 3; 105, 3), cum Dietschio, Kritzio, ceteris, at *milia*, *milium*, *milibus* Dietschius, Jacobsius, Jordanus habent omnibus locis[1], Kritzius vero *millia*, etc. Contra *caussa* scribunt Kritzius, Dietschius, Cortins, deteriorum codicum fide. Sed hæc hactenus; jam ad declinationem transeamus.

CAPUT II.

DE DECLINATIONE.

In declinationibus et conjugationibus parum a communi dicendi usu recedit Sallustius; hæc tamen notatione digna indicabimus.

A. — Declinatio prima. — Formam *custodias* (Hist. III, 42)[2], quidam inter veteres pro genitivo habuerunt. Charisius (I, p. 60, edit. Lindem.) eam dicit a Sallustio per analogiam vocum *paterfamilias*, *materfamilias* usurpatam fuisse, idemque tradit Servius, (ad Virgil. Æneid. XI, 801), qui Asperum ejus explicationis refert auctorem. At verisimile est, ut ait Schultzius (*loc. cit.* p. 24) Asperum, ut Sallustium prisce loquentem faceret, ingenio abusum esse; ceterum accusativum, non nominativum esse *custodias* ostendit Kritzius ad hunc locum. Præterea vide Bücheler, Grundriss der lat. Declination, p. 32.

Filii familiarum (C. 43, 2), *matres familiarum* (C. 51, 9), dixit Sallustius, Sisennæ imitatione, quod et usu loquendi et grammatica ratione defenditur[3]. Omnes vero scriptores a Terentio ad Quintilianum formam alteram longe prætulerunt. Sallustium in hac re Tacitus imitasse videtur. (Cf. Ann. I, 26; III, 8; XI, 13).

1. Scriptura *milia* cum monumentis et sonorum legibus congruit.
2. *Castella custodias thesaurorum in deditionem acciperentur.*
3. Cf. Schultzius, *loc. cit.* p. 25.

B. — Declinatio secunda. Formam genitivi *i* pro *ii* semper adhibet Sallustius, non solum in nominibus propriis, sed etiam in communibus, in *ius*, *ium* desinentibus, ut *consili*, *ingeni*, etc., quod ab omnibus ætatis ejus scriptoribus plus minusve observatum fuisse constat. Adjectivi autem nunquam hanc syzygiam patiuntur.

Similiter *dis* pro *diis* semper scribit [1], interdumque *idem*, *isdem* pro *iidem*, *iisdem* (V. ad pronomen, pars ii, p. 39).

Generis mutatio notanda est in tribus verbis : *forus*, masculino genere, pro *forum* (Hist. i, 76), forma obsolata a Lucilio et Pomponio adhibita; item *volgum* (J. 69, 2; 73, 5) pro *volgus*; et *vadus* (facilem vadum H. i, 68), pro *vadum*, quas formas a Sisenna, Accio, Varrone, Nonius testatur adhibitas fuisse.

Adde *loci* pro *loca*, sensu vulgari : Jug. 18, 4; 30, 1; 66, 1; 76, 1; 78, 1; 86, 4; 97, 1. (Cf. Rudim. inst. gram. lib. I, 108.)

C. — Declinatio tertia. — *Accusativum* pluralis tertiæ declinationis in is semper usurpavit Sallustius in iis vocabulis quæ genitivum in *ium* exeuntem habent : quæ quidem forma sola legitima est, ut plane demonstravit Corssenius (l. l. p. 744); in aliis autem vocabulis, forma in *es* apud Sallustium ceterosque aureæ ætatis scriptores præferenda esse videtur. De qua re plura lege apud Schultzium (De archaismis sallustianis, p. 18 sqq.), et cf. Keller, der Accusat. auf *is* der dritten Declination bei den Augusteischen Dichtern (in *Rhein. Mus.* xxi, 2, p. 241-246).

Genitivum singularis tertiæ declinationis *Persi* (H. i, 7), pro *Persis* a nominativo *Perses*, confirmant veteres grammatici hoc ipso loco allato Probus, Priscianus, Charisius, Servius, M. Claudius Sacerdos. *Ariobarzani* formam, quam edidit Gerlachius pro *Ariobarzanis* (H. iv, 10), ex editionibus Aldi et Junii, codicum auctoritate non nititur.

Genitivo pluralis scripsit Sallustius *Bacchanaliorum*, pro *Bacchanalium*, a nominativo tertiæ declinationis *Bacchanalia*, (H. iii, 97), similiterque *Volcanaliorum* (H. iv, 70 et 71), Nonio teste qui (p. 333) ait : « *Bacchanaliorum* pro *Bacchanalium*, ut *vectigaliorum* et *conpitaliorum* et *novaliorum* et *Volcanaliorum*. Sallustius : *exaudirique sonus Bacchanaliorum*. Notandum est contra *duum* pro *duorum* sequente verbo *milium* : *duum milium intervallo* (J. 91, 3; 106, 5); *præsidio quasi duum milium peditum* (J. 50, 3); at *milium passuum duorum* (H. ii, 83); *duorum Carthaginiensium*. (J. 79, 1.)

Accusativus pluralis *vis* pro *vires* in fragm. Hist. iii, 84 legitur. Lo-

1. At Hist. i, 45, 27, *divis*, ex codice Vaticano 3864 decimi sæculi, cujus cetera exempla apographa sunt. (Jacobs : *dis*.)

H. — Terminatio in tudo. — Hæc terminatio nostro scriptori carissima videtur fuisse : *Necessitudo*, quam ex usu antiquiorum scriptorum dici pro *necessitate* jam veteres grammatici docent[1], pluribus locis occurrit hoc sensu : Cat. 17, 2, 5; 21, 3; 33, 5; 58, 11, 19. Jug. 19, 8; 48, 1; 102, 5; at in historiis *necessitas* legitur : H. I, 45, 15; III, 1, 8. Unde conjici potest, adnitente Gellii de Cæsare testimonio, Sallustii temporibus distinctionem quam notavit Dietschius ad Cat. 17, 2 nondum apud omnes valuisse, eumque formam *necessitudo*, ut numerosiorem, alteri prætulisse.

Quam opinionem confirmat frequens usus vocabulorum in *udo* desinentium apud scriptorem nostrum : *claritudo* pro usitatiore *claritas* (J. 2, 4; 7, 4); *lassitudo* (C. 13, 3; J. 50, 1; 69, 2), quæ tamen apud Ciceronem et Cæsarem etiam occurrit.

I. — Terminatio in mentum. — Hujus terminationis substantiva, quæ apud posterioris ætatis scriptores percrebuerunt, a Cicerone et æqualibus raro usurpata sunt. Hæc apud Sallustium memoratu digna notavimus : *cognomentum*, pro cognomine, ut apud Tacitum (Hist. IV, 50); — *dehonestamentum*, pro dedecore H. I, 45, 21 *Fufidius, ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum;* pro deformitate H. I, 57 *quæ facie sua ostentabat aliquot adversis cicatricibus et effosso oculo. Quo ille dehonestamento corporis maxime lætabatur.* (Cf. Tac. Hist. 4, 3; Ann. 12, 14; 14, 21); — *delenimentum* Hist. III, 82, 21 (Cf. Liv. et Tac.); — *hortamentum* pro hortatione, ut apud Liv. et Tac.; Jug. 98, 7 *sed ea cuncta Romanis facilia visu magnoque hortamento erant;* — *inritamentum*, pro incitamentum Jug. 89, 7 *neque salem neque alia inritamenta gulæ quærebant* (Cf. Liv. et Tac.); — *munimentum*, apud historicos frequens, apud Ciceronem nusquam invenitur; — *turbamentum*, Hist. I, 45, 25, *quæ si vobis pax et concordia intelliguntur, maxima turbamenta reipublicæ atque exitia probate*; (cf. Tac. Hist. I, 23); vox rarissima.

J. — Formam *quis* ablativi pluralis (Cat. 58, 16) pauci et deteriores codices habent, quam tamen recepit Kritzius in textum; Jordanis vero aliique recentiores editores hoc loco, ut plerumque alias, *quibus* prætulerunt, quibus non possum non assentiri. Mirum est igitur quod Gar-

1. Gharisius, p. 76, ed. Lind.; Nonius, p. 405; A. Gellius, XIII, 3 : « Itaque in libris veterum vulgo reperias *necessitudinem* dici pro eo quod necessum est. Sed *necessitas* sane pro jure officioque observantiæ adfinitatisque infrequens est, quanquam, qui ob hoc ipsum jus adfinitatis familiaritatisque conjuncti, *necessarii* dicuntur. Repperi tamen in oratione C. Cæsaris qua Plautiam rogationem suasit, *necessitatem* dictam pro *necessitudine*, id est jure adfinitatis. Verba hæc sunt : *Equidem mihi videor pro nostra necessitate non labore, non opera, non industria defuisse.* »

bari (De quibusdam stili Sallustiani proprietatibus) hanc formam antiquam sæpissime inveniri apud Sallustium affirmaverit : « Jam illud quidem, inquit, mirum est, in ejus libris initio constanter *quibus*, in fine sæpius *quis* legi. De qua re bene judicare Dietschius (ad Catilin. 58, 16) videtur, a librariis initio librorum antiquatam formam *quis* in *quibus* mutatam esse; postea, cum sæpius idem legerent, suo judicio diffidentes a pruritu mutandi manus protervas abstinuisse. » At ex recensione Jordani his tantum locis dativi vel ablativi pluralis formam obsoletam *quis* adhibuit Sallustius : Jug. 7, 7; 13, 6; 14, 10; 18, 1; 25, 4; 28, 4; 66, 4; 70, 5; 80, 3 et 5; 81, 1; 85, 37; 105, 1; 111, 2; Hist. I, 45, 6; II, 50, 1 et 4; III, 1, 6; Adde hæc loca in fragmentis apud Kritzium reperta : I, 20; II, 22; IV, 48 et 72 [1]; inc. 44 [2]. In Catilina vero nullum invenitur exemplum; nam Cat. 18, 1, ubi Jordanus, unius Diomedis auctoritatem secutus, contra Parisinum Sorbonnæ codicem ceterosque *in quibus* scripsit, sane *quibus* restituendum est, item Cat. 58, 16, optimorum et plurimorum codicum auctoritas formam *quibus* commendat. Vana est igitur Dietschii conjectura; nam initio *Jugurthæ* formæ *quis* exempla non desunt, tam frequentia sane quam in fine; in medio vero, ut in *Catilina*, omnino deesse videntur. Ceterum in forma *quis* nihil absoleti inest. (Cf. Neue II, p. 168, sqq.)

K. — Declinatio pronominis nullus. — In Catil. 29, 3 : « *Nullius* earum rerum consuli jus est, » codices alii formam *nulli*, alii formam *nullius* exhibent. At forma *nulli* genere femineo pro *nulla*, quæ quidem antiquius usitata fuit, in libris veterum non invenitur. (Cf. Prisc. VI, 1, p. 143 et 226, ed. Krehl); nec video cur Gerlachio assentiar qui *nulli* idem quod *non* valere contendit, ac dativum esse putans ad verbum *consuli* refert. Exemplum enim quod allegat Ciceronis (ad Attic. XV, 23). « *Sextus ab armis* nullus *discedit* » nihil ad nostrum valet; nec magis hoc (ad Att. X, 24) : *Philotimus non modo nullus venit, sed ne per litteras quidem* etc.; aut etiam illud (ad Attic. XIV, 3) : *Corumbus Balbi adhuc nullus* (scil. *venit*). Multo igitur præstat formam optimorum codicum *nullius* servare, præsertim cum utrum in Jug. 97, 3 « *nullo impedimento* » dativus an ablativus *nullo* sit ambigatur. Fuerunt enim qui *nullo* antiquam dativi formam putarent, quam Prisc. VI, 7, 36 p. 243, ed. Kr. apud vetustissimos in usu fuisse testatur. At cum Schulzio arbitramur simpliciorem esse eorum interpretationem, qui *nullo impedimento* ablativum esse volunt, cujus constructionis apud

1. *Quis* pro *quos*, quod apud Arusianum legitur, recte conjecisse videtur Lindemannus.
2. In Jug. 31, 3 unus codex *quis* habet, et tamen Kritzius hoc testimonium satis valere putat, quum scribæ ad *quis* in *quibus*, non autem *quibus* in *quis* mutandum propensi esse debuerint; sed in textum *quibus*, sane adnotationis oblitus, recepit.

Ciceronem plura sunt exempla (ad Attic. x, 18) : *Tullia mea peperit... me mirifice tranquillitates adhuc tenuerunt, atque majore impedimento fuerunt quam custodiæ quibus asservor*; et (Rhet. ad Herenn. II, 11, 5) : *Nos vero arbitramur, non modo nullo adjumento esse* (sc. cognitionem amphiboliarum), *sed potius maximo impedimento.*

Nullo igitur modo affirmari potest Sallustium in declinatione pronominis *nullus* ab æqualium more discessisse.

CAPUT III.

DE CONJUGATIONE.

I.

De perfecto verborum neglego et intellego.

Contra vulgarem usum loquendi has formas adhibuisse videtur Sallustius : *neglegisset* (Jug. 40, 1), *neglegeris* (Cat. 51, 24, in optimis codicibus, præcipue in Parisiensi longe optimo); *intellegerint* (H. I, 45, 23), ubi tamen Vaticanus *intellegerent* habet, minus bono sensu; *intellegit* (J. 6, 2) : *Quibus rebus Micipsa, tametsi initio lætus fuerat, existumans virtutem Jugurthæ regno suo gloriæ fore, tamen postquam — intellegit, vehementer eo negotio permotus, multa cum animo suo volvebat;* ubi Indicativum difficile est videre, propter Imperfectum enuntiato primario positum. Anhalt, Weinholdio assensus, eas formas non usurpandas in editione censet, primum quod a nullo grammatico ut Sallustiana memorentur, deinde quod Parisianus ille qui *neglegeris* Cat. 51, 24 exhibet, *neglexisset* contra Jug. 40, 1 afferat, pluribusque locis (C. 20, 3; J. 93, 3; H. III, 82, 9) *intellexit* omnibus codicibus legatur. Fatendum tamen est non semper sibi constare nostrum scriptorem in veteribus formis adhibendis, nec causam hanc satis validam esse ut archaïsmos ex scriptis sallustianis omnino expellamus, si forte non uno tenore certaque ratione usurpati videantur. Cf. *duum* et *duorum*, supra, pag. 5.

II.

De terminatione tertiæ personæ pluralis perfecti activi.

Forma *ere* tertia personæ pluralis perfecti activi semper fere utitur Sallustius; recentissimis enim codicum collationibus a Jordano factis sequitur ut formam in *erunt* omnino tantum quater certo usurpaverit:

Cat. 20, 10 *consenuerunt;* Jug. 14, 5 *appetiverunt*; J. 58, 3 *quieverunt*; Hist. IV. 19, 10 *lacessiverunt*[1]. Adde in fragmentis alia exempla quatuor : Hist. I, 85, *maturaverunt*; II, 11, *tenuerunt*; II, 32, *tradiderunt*; inc. 30 *incurrerunt*. In his autem locis terminationes *erunt* et *ere* fluctuant : *cognoverunt* (J. I, 87, 4), *cognovere* (J. 91, 5); *conruperunt* (H. I, 51, 6), *conrupere* (J. 18, 10); *decreverunt* (H. I, 51, 5), *decrevere* (Cat. 30, 7; J. 28, 2); *dixerunt* (C. 51, 9), *dixere* (J. 4, 2; 95, 2); — *occupaverunt* (J. 38, 7), *occupavere* (C. 46, 2); — *sumpserunt* (C. 51, 38), *sumpsere* (H. IV, 19, 5); — *venerunt* (C. 45, 3), *venere* (J. 13, 7); — *convenerunt* (J. 11, 2), *convenere* (C. 6, 2, 17, 3).

Ex his exemplis apparet formam in *erunt*, quæ in legibus romanis ab ætate Gracchorum ad ætatem Cæsaris unice exstat, et ad sermonem litteratorum romanorum pertinebat, raro a Sallustio adhibitam esse, formam vero in *ere*, ad sermonem populi sane pertinentem, quæ quidem apud Ciceronem rarius (epist. 10, 19, *dedere*; de leg. I, 2, 56 *successere*; in Rull. I, 4 *suscepere;* in Pis. 40 *fuere*; cf. Zumpt, Gr. lat. p. 163), apud Nepotem nusquam, apud Quintilianum septies tantum occurrit, multo sæpius atque innumeris fere locis inveniri. Hæc vero forma rarior est apud Plautum et Terentium quam forma in *erunt*, et romanorum veterum historicorum, si Catonem excipias, scripta unum tantummodo exemplum præbere videntur (Æm. Scaurus in orat. 2 (Peter) *triumphavere*); at contra in Catonis reliquiis (edit. Jordan), viginti sex fere loci inveniuntur quibus *ere* insit[2], octo vero tantum quibus *erunt* forma legatur. Unde colligi potest in illa imperfecta forma adhibenda Catonem tantum, non priscos in summa scriptores, imitatum fuisse Sallustium, ideoque nullum hic archaïsmum esse; postea autem Sallustii exemplum secutos fuisse, Livium, Velleium, Senecam, atque imprimis Tacitum, apud quos ea forma frequens est.

III.

De Gerundivi et gerundii terminationes.

Formas *gerundii* et *gerundivi* in *undus* et *undum* exeuntes omnibus temporibus promiscue cum formis in *endus, endum* usitatas fuisse animadvertit Corssenius (II, p. 182 sqq.)[3], ac præterea addit eas in quibusdam antiquis formulis juris apud aureæ ætatis scriptores per-

1. Schultze, p. 81; Bruennert, p. 8.
2. Cf. Schultze, p. 82, qui eos locos enumerat.
3. Cf. Deltour, *de Sallustio Catonis imitatore*, (Paris, 1859), cap. II, p. 12.

mansisse, ut apud Ciceronem *jure dicundo*, *communi dividundo*, *rebus gerundis*, apud Cæsarem, Livium et Tacitum *belli gerundi*. Sallustius vero multo sæpius quam alii ætatis illius scriptores forma in *undus* usus est, fortasse ut majorem gravitatem et colorem quemdam antiquiorem orationi daret. Nam Cicero, ut Beier ad Cic. orat. I, 2, et Dietschius (Sall. Cat. p. 18, 6) observaverunt, formam in *undus* adhibet præsertim in verbis quorum exitus est in *bo*, *go*, *do*, *to*, *co*, *mo*, *ro*, *io*; ac Corsenius hanc formam in verbis in *io* aurea ætate multo frequentiorem fuisse affirmat. In aliis vero formam in *endus* multo usitatiorem fuisse constat.

IV.

De formis quibusdam singularibus.

Participii formæ *arguiturus* (Fragm. hist. II, 57) nullum apud alium scriptorem jam exemplum exstat : quam formam testatur Priscianus (X, p. 505). Idem (X, p. 511, 3) *agnoturum* formam Sallustio tribuit (Fragm. II, 73), a priscis scriptoribus adhibitam. Notanda sunt etiam plusquam perfectum *soluerit* (Fragm. II, 64) verbi *soleo*, in quo adhibendo veteres historicos imitatus esse videtur Sallustius (Cf. Cato, ed. Jordani p. 89, 34, et Neue. II, 253), et participium futuri *juvaturum* (Jug. 47, 2). Cf. Plin. Ep. 4, 15. Obsoletas formas *quæsere* (H. I, 120), *quæsitur* (H. IV, 19, 1), pro *quærere*, *quæritur*, Sallustius sane adhibuit. Quod vero ad *quæso* attinet, constat Romanos *quæso* verbum, ubi enuntiatum ab eo non pendet, plerumque imperativo vel prædicato postponere solitos esse, quem morem non sequitur Noster. « Neque hoc mirum est, Schultzius inquit (p. 62), quod Sallustium antiquum verbum *quæsere* pro *quærere* usurpasse vidimus. Quod minus politi atque accurati sermonis est, sed hac collocatione verbo *quæso* major vis attribuitur. » Adde quod Fragm. I, 55 *quæsit* perfecto indicativi invenitur : *Curionem quæsit uti concederet* ubi præsens tempus recipi recte non potest.

Nequitur. — Hanc formam passivam Cato in *Originibus* (Ed. Jord. p. 8, 17) usurpavit, quem secutus esse videtur Sallustius in Oratione Memmii (Jug. 31, 8), quæ quidem tota colorem antiquitatis valde redolet: *Quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, jure factum sit.* Fatendum tamen est hunc usum passivi in verbo *nequeo* etiam aliorum priscorum scriptorum proprium esse, velut Lucretii (I, 1045), Pacuvii, Terentii (Hecyr. IV, 1, 57), Plauti (Persa II, 2, 12; Rud. IV, 4, 20) [1].

1. Cf. Bruennert, loc. cit. p. 9; Schultze, p. 63.

« Veteres in hoc verbo, Kritzius inquit, analogiam passivorum *potestur* et *cœptum est* secutos esse, eamque nonnisi cum passivi infinitivo conjunctam usurpasse viri docti jam monuerunt; quare patet *ulcisci* hoc loco contra vulgarem usum passivum sensum habere, cujus in hoc verbo rara exempla sunt. » Ego vero opinor, per analogiam hic verbum *ulcisci* vim passivam sumpsisse, cum unum exemplum activæ formæ afferatur (Ennius apud Nonium, p. 292, 16, *ulciscerem*), et id quidem dubium [1]. Nota etiam rarissimas formas *nequiens* (H. III, 77, 18) *nequeuntes* (H. III, 87), *oreretur* pro *oriretur* (J. 72, 1, Jordan); cf. Paul. Nol. carm. 15, 59; *circumlavitur* (H. II, 21), (cf. circumlavat, Hygin. fab. 275); *claudit* (H. III, 82, 25 et 98); *claudebat* (H. inc. 76) ab infinitivo *claudere* = claudicare; quæ formæ pro archaïsmis jure habentur.

1. Gothofredi editio a. 1595 habet *ulciscereiur*.

PARS SECUNDA.

DE FORMARUM USU.

CAPUT PRIMUM.

DE SUBSTANTIVORUM USU [1].

I. SINGULAREM NUMERUM PRO PLURALI in substantivis concretis quæ singulari vim collectivam habeant, a Romanis scriptoribus usurpatum fuisse satis constat. Quem loquendi usum Livius [2] et Tacitus [3] imprimis ad variandam orationem dilatarunt. Pauca vero affert exempla Sallustius: Cat. 5, 3, *Corpus patiens inediæ*, vigiliæ, *algoris;* Cat. 9, 4 *vindicatum est in eos qui contra imperium in* hostem *pugnaverant.* (Cf. Cat. 52, 30; 60, 4; Jug. 52, 3 et 5; 55, 3 et 8; 56, 1; 85, 33; 94, 3; Hist. I, 68; sæpius vero pluralis invenitur); at nomina gentilicia, *Numida, Maurus* pro populo ipso posita non occurrunt, semper autem ducem significant, [4] ut Jug. 101, 6: *Dein Numida* (id est *Jugurtha*), *cognito Bocchi adventu*; (cf. 106, 3; 111, 4; 113, 4 et 6); Jug. 113, 1, 3 *Maurus*, (id est *Bocchus*;) (cf. Jug. 97, 2; 108. 1) Jug. 106 et 107, 1 *Maurus*, id est *Volux*. — *Miles* pro *milites* uno tantum loco (Jug. 45, 2) occurrit: *ut* miles *cibum et arma portaret*; item *pedes* Jug. 101, 6: *occiso* pedite *nostro* (at *eques* pro *equites* non reperitur; apud Suetonium frequenter, detorto sensu, pro *equester ordo*).

Nomina quæ sequuntur genus animantium, vel rerum quæ e terra gignuntur, indicant: Jug. 6, 1 leonem *atque alias feras primus aut in primis ferire*; J. 17, 5 *ager frugum fertilis, bonus pecori*, arbore *infecundus*; J. 48, 3 *collis* — *vestitus* oleastro *ac murtetis aliisque ge-*

1. Hoc capitulo Anschutzium (*Selecta capita de synt. Sall.*) et Draeger (*Hist. synt.*) imprimis secuti sumus.
2. *Drakenb.* Liv. 2, 20, 12; 3, 2, 11; 7, 35, 2.
3. *Draeger.* Ueber Syntax und Stil. d. Tac. p. 3; Hist. Synt. p. 4.
4. Cf. Anschutz, p. 3.

neribus arborum; J. 57, 4 glande *aut lapidibus pugnare* (Cf. Liv. 38, 20 et 21)[1]. Insolentius posita numero singulari invenimus : *angustia* (H. IV, 35) ; *catena* H. I, 23) more pœtarum ; *insidia* (H. II, 22) ; *primordium* (H. I, 1) ; radix (H. inc. 6).

II. PLURALEM contra NUMERUM PRO SINGULARI adhibet Sallustius, non tantum, ut solet, in substantivis quibus materiæ notantur et res quæ in natura fiunt, ut *aquæ* (Jug. 17, 5 ; 37, 4 ; 55, 8) ; *incendia* (Cat. 27, 2 ; 32, 2 ; 48, 4 ; 51, 9 ; 52, 36 ; Hist. I, 51, 20) ; *luces* (Hist. inc. 88), *ignes* (J. 98, 6 ; 106, 4 ; Hist. III, 77, 5 et 17) ; *ardores* (J. 18, 9 ; *Getuli sub sole magis haud procul ab* ardoribus, *id est* locis quæ solis ardoribus exuruntur, cf. 19, 6, *dehinc loca exusta solis ardoribus*) ; sed etiam nonnullis concretis aliis, ut — COMITATUS, (Cat. 45, 1) ; — COMMEATUS, Cat. 58, 9 *omnia nobis tuta erunt*, commeatus *abunde*, ubi singularem, alii, alii pluralem, ut Anschutzius, vident ; Jug. 28, 7 ; 47, 2 ; Hist. II, 50, 7 ; II, 48 ; V, 8 ; — EQUITATUS (Jug. 46, 7) ; — FRUMENTA, Hist. III, 77, 20 *et tum natura in agris erant autumni* frumenta (ex restitutione plurimorum editorum) ; — MULTITUDINES, (*globorum popularium* sensu), Cat. 50, 1, *partim exquirebant duces* multitudinum, (rarius quidem plurali numero vocabulum) ; — PATRIMONIA (Cat. 37, 4) ; — PECUNIÆ (Cat. 18, 3 ; 49, 2 ; 51, 43 ; 52, 14 ; Jug. 31, 25 ; 40, 1 ; Hist. I, 51, 17) ; — PRÆDÆ (Jug. 20, 8 ; 31, 10 ; 32, 3 ; 41, 7 ; 44, 5 ; 88, 3 ; Hist, IV, 63) ; — RES FAMILIARES (Jug. 64, 6 ; Hist. I, 12).

Notandum etiam est pluralis *liberos* per concinnitatem adhibitum Jug. 10, 8 : *observate talem hunc virum, imitamini virtutem et enitimini ne ego meliores* liberos *sumpsisse videar quam genuisse*, ubi de Jugurtha tantum res est[2].

III. ABSTRACTORUM vero SUBSTANTIVORUM PLURALEM præter ceteros Ciceronem frequentissime adhibuisse constat, quod ante ætatem ejus perraro accidit. Quem pluralis usum Drægerus, qui de ea re diligenter disputavit (Hist. Synt. p. sqq.), in his quattuor causis positum putat. Usurpari enim pluralem dicit, 1° quod significet complura genera substantivi abstracti ; 2° aut (sæpissime) quod designet actiones, condiciones, animorum quosdam habitus, qui iterum ac sæpius repetantur ; 3° aut quod ad plura concreta pertineat ; 4° aut propter concinnitatem verborum. Generis cujusque exempla hæc notavimus[3] :

1. Cf. Anschuetz. p. 3, qui eadem nomina affert.

2. Hanc verborum seriem, rerum dispositione tantum mutata, ex Anschuetzio, p. 3-4 hausimus.

3. Hæc quoque, ex Draegero quidem ad verbum fere expressa, ab Anschuetzio mutuamur,

1° Asperitates Jug. 75, 2 et Hist. I, 68; (ex conjectura Carrionis); cf. J. 29, 1; *bellique quod administrabat asperitatem ostendere cœpit*; — Difficultates (Jug. 7, 1; 90, 1); — Famæ Hist. 1, 66 (ex conjectura Keilii, quem Kritzius et Dietschius sequuntur); Hist. inc. 42; — Lubidines (Cat. 13, 5); Modi (passim); — Munditiæ (J. 63, 3; 85, 40); — Opportunitates loci (C. 43, 3; J. 47, 2); — Rationes Cat. 44, 5; *consideres quid tuæ rationes postulent*; (cf. C. 56, 5); alio sensu J. 97, 2; — Suspiciones (Hist. IV, 56).

2° α. Astutiæ (Cat. 26, 2); — Conventus (Cat. 30, 2; Jug. 30, 1); Dedecora (C. 37, 5; J. 31, 19; cf. Cic. fin. I, 14, 47); — Doli (Cat. 14, 5; Jug. 6, 3; 14, 11; 22, 4; 23, 1; 25, 9; 56, 1); — Egressus (Jug. 35, 5); — Fallaciæ (Cat. 11, 2); — Largitiones (Cat. 37, 7; Hist. I, 51, 6); — Latrocinia (J. 4, 7; Hist. II, 77); — Pollicitationes (J. 20, 1; 61, 4); — Portationes (Cat. 42, 2); — Rapinæ (passim); — Sævitiæ (Hist. I, 10); — Sumptus (Cat. 24, 3; Jug. 4, 7; Hist. II, 50, 7; IV, 19, 8).

β. Ærumnæ[1] (Cat. 51, 20; Jug. 14, 7 et 23; 24, 10; 49, 3; Hist. II, 27); — Casus (J. I, 5; Hist, III, 77); — Fortunæ Jug. 13, 3; 14, 24; 23, 2; 62, 1; 83, 2; — (cf. Decl. in Cicer. 3, *ut sese ac fortunas suas venales habeat*). — Gaudia Cat. 61, 9; Jug. 2, 4; (cf. Livium, 9, 15; 22, 7; 30, 42; Tacit. Ann. 13, 46; 14, 4; Ciceronem ipsum, in Cat. I, 10, 26, et poetas); — Initia (Cat. 11, 4); — Insomniæ C. 27, 2; H. IV, 19; (cf. Cic., de senect. 13, 44); — Miseriæ (Cat. 4, 1; 40, 3; 51, 20; Jug. 13, 4; 11, 21; 92, 3; 100, 5; Hist. I, 21; II, 50, 2); — Necessitates (Hist. III, 1, 8); (cf. Necessitudines (Cat. 21, 3); — Tempestates (Cat. 20, 3; 53, 5; Jug. 73, 7; 96, 1; 108, 2). Sæpius vero singularem Sall. usurpat, quæ apud veteres scriptores et Ciceronem ipsum (sed tanquam poeticum), de orat. III, 38, 153; Orat. 49, de div. I, 34, 75, invenitur; ad pluralem quod attinet, merus archaïsmus est. (Cf. *Lorenz* ad Plauti most. v. 18; *Schultze*, loc. l. p. 76).

Falso autem Gerlachius docet in pluralibus abstractorum substantivorum inesse quemdam antiquitatis colorem, cum ex computatione recenti constet 58 tantum pluralia varia abstractorum substantivorum apud veteres scriptores, 402 autem apud classicos, qui dicuntur.

et indices qui sequuntur, ex ejus indicibus valde locupletatos, ad ordinem alphabeticum redegimus, ut ceteros omnes.

1. Cf. *Schultze*, de arch. Sall. p. 47, et *Allgeier*, in Krebsii Antibarbaro, qui verbum hoc significationem *laborum non fugiendorum* aut *summæ tristitiæ* apud Ciceronem ipsum (de fin. II, 35, 118; de Orat. III, 38, 153) habere ostendit. Ceterum non archaïsmus, ut Gerlachius voluit, putandum esse videtur, etsi Ciceronis ætate paululum obsoletum.

scriptores, et 484 apud posteriores inveniri. (Draeger, Hist. Synt. p. 9 sqq.)

3° Amicitiæ (Cat. 6, 5; 10, 5; cf. Familiaritates (Cat. 14, 5); Inimicitiæ (Cat. 49, 2; 51, 16; Hist. ii, 50, 4; iii, 82, 27); singularem, quem teste Gellio (19, 8) Cæsar non esse admittendum putabat, Cicero usurpat Tusc. iv, 9, 21; item Plaut. Stich, iii, 1, 8; *cum eo reveni ex inimicitia in gratiam*; Nonn. 129, 6; Ennius ap. Gell. 19, 8, 6; Simultates (Cat. 9, 2; Hist. i, 11); Discordiæ (Cat. 9, 2; Jug. 78, 1; H. i, 10; i, 51, 14; iii, 82, 17); Dissensiones (Hist. i, 8; i, 10). — Animi (de una persona); Hist. i, 45, 24; iii, 82, 11; et cum nomine collectivo, H. i, 16 *atque omnis Italia animis discedit*; — contra singulari numero de pluribus, Jug. 20, 8 *suis animum, hostibus terrorem augere.* (Cf. Jug. 54, 1; 85, 45). Pluralis vero ad plures personas spectans apud Sallustium, ut apud ceteros omnes, rarus non est. Cf. Ingenia Cat. 8, 3 et 4; 20, 2; 51, 35; Jug. 103, 2; at Cat. 51, 8, *ingenia* non jam viros magno ingenio præditos, sed ingenium, idest naturam atque indolem quorumdam virorum significat, ut singularis. — Auxilia (C. 6, 5; 52, 29; H. i, 24; i, 45, 7; i, 51, 13; ii, 50, 1); et pro *auxiliaribus militibus* Jug. 39, 2, 84, 2 etc; cf. Præsidia (Cat. 26, 4; Jug. 14, 15, 18; Hist. iii, 82, 4); Patrocinia (Hist. i, 51, 6); Societates Jug. 14, 18; — Cultus (Hist. ii, 78); — Custodiæ (C. 47, 3; 50, 4; 52, 14); — Imperia (Cat. 6, 7; Jug. 3, 1 *magistratus et imperia*; J. 4, 7; H. iii, 82, 18); cf. Dominationes (Hist. i, 11); Potestates (Jug. 63, 5; 85, 9); Legationes (J. 40, 1); Consulatus (Jug. 31, 10; 85, 29); Sacerdotia (Cat. 21, 2; Jug. 31, 20 *sacerdotia et consulatus*): ex quibus ultimis exemplis patet non Livium primum, ut docet Draeger (l. l. p. 15), nomina magistratus designantia plurali numero usurpasse. — Studia (C. 23, 5; J. 2, 1; 5, 2; 6, 3; 73, 4; 84, 3); cf. Voluntates (Jug. 113, 1 *regiæ voluntates, ut vehementes sic mobiles, sæpe ipsæ sibi adversæ*).

4° Exitia Hist. i, 45, 25 *turbamenta reipublicæ atque* exitia *probate*; (cf. Cic. pro Mil. 2, 1; De leg. i, 12); sic fere Mortes Hist. iii, 1, 1, *quem — fame, miserrima* omnium *morte, confecistis;* (cf. Cic. de fin. ii, 30); — Gloriæ Jug. 41, 7 *penes eodem ærarium, provinciæ, magistratus,* gloriæ *triumphique erant*[1]. — Paces J. 31, 20 *bella atque* paces; (cf. Lucr. v, v. 1128; Plaut. Rud. i, 5, 1; Hor. ep. i, 3, 8; ii, 1, 102); — Quietes (Cat. 15, 4); *nàmque animus impurus — neque vigiliis neque* quietibus *sedari poterat*; paulo aliter Lucr. i, 406 (*canes*) *naribus inveniunt intectas fronde* quietes = (loca in quibus quiescunt feræ); Cic. de

1. Abstractorum substantivorum plurali numero positorum multa exempla attulit Deltourius (l. l, p. 16 et 17), ex Cæsare, Cicerone, Livio, Isocrate petita. Item apud nostratem Bossuetium hæc structura sæpius invenitur.

torto quo *antiquius*, *antiquissimum*, qui quidem in eo constat, quod non *temporis* remoti ac dudum præterlapsi, sed *loci atque ordinis prioris* et propter id ipsum gravioris ac melioris notio, ex *ante* voce repetenda, usu obtinuit (Kritz) : Hist. I, 15, *tantum antiquitatis curæque majoribus pro Italica gente fuit.* — Animum gerere, locutio Ciceronis ætate rara; invenitur tamen apud Ciceronem ipsum (Parad. V, 2, 37), et Jug. 54, 1, (Cf. morem, amicitiam, curam *gerere*). Animos tollere (J. 101, 7), pro *an. erigere*, priscorum more; (Cf. Ter. Hec. III, 5, 57; Plaut. Truc. II, 8, 10; Lucil. ap. Non. p. 286,6); — Arbiter, Cat. 20, 1 *omnibus arbitris procul amotis*, propria sua vi significat eos qui aliquam rem præsentes audiunt vel vident. — Arbusta, Jug. 48, 4, pro arboribus, ut videtur; Schultzius vero hic arborum ordines significare putat (*ea* loca *consita arbustis*); ceterum apud poetas tantum et Ciceronem de Sen. 15, 54, ubi Catonem finxit, usurpatum invenitur. — Artes, usitatissima vox Sallustio ac varia vi adhibita, ut modo *mores* et *studia* (Cat. 10, 4; 11, 2, Jug. 2, 4) significet, modo *facta* quibus illa exercentur (Cat. 3, 4; Jug. 4, 7; 63, 3)[1]; sæpe additur adjectivum quo distinctius substantivum definiatur, ut *bonæ* (C. 10, 4; 11, 2; J. 1, 3; 4, 7; 28, 5,); *eis*, *eisdem*, *suis artibus* etc. — Asperitas, pro « difficultas et periculum rei », Jug. 29, 1; 50, 6; 75, 2 et 10; 67, 3; 89, 4; 92, 4; Hist. I, 68; proprio sensu, Jug. 17, 2; Hist. IV, 35. Cf. *asperitates* (supra § III, 1°). — Casus pro commoda occasione Jug. 25, 9 *aut vi aut dolis sese casum victoriæ inventurum*; 56, 4, *fortunam illis præclari facinoris casum dare*; sæpe apud Tacitum. De malo aliquo usurpatur Cat. 40, 2; 51, 9; Jug. 14, 22; 23, 2; 62, 9; 73, 1. — Contactus. pro contagione, ut apud Tacitum et poetas : Hist. I, 51, 9 *licentiam scelerum*, *quasi tabem*, *ad integros* contactu *procedere*. — Contemptor animus (J. 64, 1) vox argenteæ ætatis; — Copia insolenter junctum Jug. 111, 1 *quoniam* Jugurthæ copiam *haberet*, pro tradendi Jugurthæ copiam haberet, vel J. in potestate haberet. — Creditum pro pecunia credita, Cat. 25, 4, ut apud posterioris ætatis scriptores. — Cultus, in malam partem pro mollitia, Cat. 13, 3; (cf. Liv. 29, 21). — Cupido, sæpissime apud Sall., qui *cupiditas* tribus tantum locis usurpat (Cat. 2, 1; 5, 2; 21, 4;) Cicero et Cæsar *cupido* vocem non adhibuerunt, sed tantum posteriores; Cupitum vim substantivi habet H. IV, 58, *ut mox* cupitis *ministram haberet*, *decreverat*; (cf. Tac. Ann. 4, 3). — Decus dignitas est, quam obtinere decet (Cat. 20, 14; 25, 3; 54, 5; Jug. 3, 4; 31, 12; 33, 1; 74, 2; 103, 4); *decori esse* legitur Jug. 19, 1; 73, 4; 103, 4.

1. Anschuetz, p. 10.

— Descensus Cat. 57, 3, (cf. Plin. et Virg.). — Discessio, vox rarior pro discidio, H. I, 10, *discessio plebis à patribus*; a Cicerone usurpata de senatorum more, quo usi sunt ad sententiam proferendam. — Dissimulator, Cat. 5, 4; (cf. Quintil. Tac. Hor. Ovid). — Dominatio semper de imperio non legitimo legitur (Garbari [1]) : Cat. 5, 6; 6, 7; 17, 5; 20, 2; 28, 4; Jug. 31, 16 et 20; 41, 2; — Eloquentia, (Cat. 5, 4; 54, 1), apud Sallustium tantum est magna persuadendi, auditorumque animos commovendi vis ac facultas, non perfecta illa Ciceronis eloquentia; sæpius vero Sall. *facundiam* adhibet (Cat. 53, 3; Jug. 30, 4; 63, 3; 102, 4; H. II, 46; II, 50, 4), et *facundus* (J. 85, 26; 95, 3; H. IV, 57), quæ vocabula non apud Ciceronem et Cæsarem, sed tantum apud posteriores inveniuntur. Distinctio quam inter illa duo verba apud Sall. constituere conati sunt Dietschius aliique non satis certis argumentis probata nobis videtur. — Excidium pro eversione, Hist. I, 10 *post Carthaginis excidium*; H. IV, 19, 12; vox poetarum et Augusteæ ætatis. — Exilium, de ipso exilii loco dicitur H. III, 73; (cf. Tac. Hist. 4, 44; Curt. 6, 4; Virg. Æn. 3, 4.) — Exitium, pro exitu, fine, positum videtur Cat. 55, 2 *ita ille — dignum moribus factisque suis* exitium vitæ *invenit*; sicque intellexerunt Fabri, Kritz, Œstling aliique, (cf. Festus p. 81 M.); Dietschius contra hoc loco *exitium* pro *pessimo exitu, pernicie*, ut apud omnes scriptores, positum vult; quod in summa non multum refert. Pluralis adhibetur H. I, 45, 25, ut etiam apud Ciceronem. — Fine, cum genitivo, paulo insolentius pro *tenus*, Hist. III, 94 *fine inguinum ingrediuntur mare*; (cf. Cæs. b. g. 7, 47; Auct. bell. afr. 85, 1). — Sine fraude, (Cat. 36, 2, *diem statuit, ante quam* sine fraude *liceret ab armis discedere*,) « sine periculo, sine damno » (cf. Cæs. b. g. v, 51), significare plerique interpretes putant; Schulzius et Herzogius *sine pœna* malunt; (cf. Plaut. mil. gl. II, 3, 23). Utcumque est, *sine fraude* veterem formulam esse constat quæ etiam apud Livium (1, 24) verba prisci regis laudantem, et apud eumdem (26, 12) in decreto antiquo legitur. Cf. etiam legem XII tabul. apud Gell. 20, 1, 49 laudatam (*se fraude esto*). — Furta belli. H. I, 86, pro insidiis; (Cf. Virg. X, 735; XI, 515; Curt. IV, 13, 4.) — Gaudia corporis, pro voluptatibus J. 2, 4; insolenter quidem, sed confer tamen Cic. Tusc. V, 53, 96, *corpus gaudere tamdiu, dum præsentem sentiret voluptatem*. — Gloria = officiosa honoris significatio Hist. II, 29, 1, *at Metellus — magna gloria concurrentium — omnium visebatur*. — Gratiam *reddere*, Jug. 110, 4, insolentius pro « *referre* »; (cf. Tac. Hist. 2, 48; Tibul. 2, 1, 36.); *gratiam rei facere*, pro « *ve-*

1. De quibusdam stili sallustiani proprietatibus. Programma, Trento, 1871.

niam dare alicujus rei » vel « *ignoscere* », Cat. 52, 8, *qui mihi atque animo meo nullius unquam delicti gratiam fecissem*; Jug. 104, 5; H. III, 85; (cf. Liv. 3, 56, et apud nostrates *faire grâce de*). — GNARITAS, H. III, 78, *namque alii fiducia gnaritatis locorum occultam fugam, pars globis eruptionem tentavere*. Cf. Ammianum 16, 2, *juvante locorum gnaritate*. — IGNORANTIA, vox apud æquales Sallustii rarissima pro ignoratione legitur semel, H. III, 82, 25. — IMPERATORES antiquiore significatione, pro iis qui in civitate imperant, qui rempublicam gerunt, Cat. 6, 7, *annua imperia binosque imperatores sibi fecere*; cf. Jug. 1, 3, *Dux et imperator vitæ mortalium animus est*; et passim. — IMPERITIA, apud nullum alium hujus ætatis scriptorem invenitur : Jug. 38, 1; 85, 45; 99, 1. — INCULTUS, Cat. 55, 4; Jug. 2, 4; quam vocem nullo alio loco invenias nisi apud Liv. 42, 12. — INFECUNDITAS pro sterilitate Hist. III, 90; (cf. Tac. Ann. 4, 6); similiter INFECUNDUS, Jug. 17, 5, voces rarissimæ. — INGENIUM pro natura et indole Hist. II, 50, 9; III, 17; I, 61, *Oceani duas insulas constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere*; (cf. Liv. et Tac). — INJURIA, vox illa cum genitivo substantivi vel pronomine possessivo juncta semper significat injuriam alicui illatam, ut Cat. 51, 11; 52, 6; Jug. 14, 8 et 19; 20, 4; 24, 6; 82, 3; Hist. I, 51, 10. — ITER, de tractu locorum insolenter dictum J. 49, 1. — LASCIVIA, in malam partem, ut apud argenteæ ætatis scriptores, J. 39, 5; 41, 3. — LAXITAS loci (Hist. IV, 2), vox satis rara; (cf. Cic. Off. I, 39, 139). — LUBIDO, rarius apud Sallustium notionem impetus animi præclaras res appetentis, sæpius vim effrenatæ cupiditatis habet (Laws, *de dicendi genere Sallust. comment.*, Roessel, 1864, p. 9); nec tamen archaïsmum hic videre licet, quum hoc sensu *lubido* apud optimos scriptores usurpatum sit. — MADOR. Hist. III, 26; (cf. Apul. et Ammian). — MALITIA pro vitiositate, J. 22, 2, *virtute, non* malitia, *P. Scipioni summo viro placuisse*; quam loquendi consuetudinem improbat Cicero Tusc. 4, 15, 34; Fin. 3, 12, 40; (cf. Senec. Ep. 31, 81, 82, 106). — MANUS pro pugna, Cat. 39, 4, *quodsi primo prælio Catilina superior aut æqua manu discessisset*; (cf. Liv. 27, 13, Tac. Ann. 1, 63). — METUS cum genitivo gerundii objectiva significatione legitur Jug. 35, 9, *veritus ne reliquos popularis metus invaderet* parendi *sibi, si de illo supplicium sumptum foret*, cujus constructionis nullum aliud inveni exemplum. Cum genitivo substantivi, ut solet, occurrit Hist. 3, 44, *metus Pompei victoris*. — MORTALES. Sallustius *mortales* pro hominibus semper cum verbo *multi* jungit, *homines* vero et *mortales* pariter cum verbo *omnes*; quam locutionem Cæsar nunquam, Cicero semper cum verbis *omnes* vel

multi usurpat. Sallustius vero sæpius absolute *mortales* ponit. (Cat. 1, 5; 6, 3; 12, 3; 20, 11; 33, 4; 36, 4; 51, 11; Jug. 2, 4; 6, 3; 10, 2; 17, 7; Hist. II, 29, 2), et in singulari numero J. 72, 2; 92, 2. Unde autem orta sit Sallustio hujus verbi amor præcipuus multum diuque disputaverunt interpretes. Gerlachius hoc vocabulum a prisco sermone adscitum putat, Frontonem laudans (ap. Gell. XIII, 29), qui illud amplius prolixius et fusius dictum censet; probat Kritzius, nisi quod archaïsmum esse recte negat; idemque Herzogium vituperat qui hoc vocabulo homines cum quodam contemptu vel negligentia et quasi ἐν παρόδῳ significari existimat. Lawsius vero docet Sallustium, quod ætate provectus stoicorum philosophiæ se dedisset, in oratione euphemismo uti dedignatum fuisse, ideoque *mortales hominibus* prætulisse. Dietschius *mortales* pro *homines* usurpari recte sentit, ubi universum genus humanum distinguatur ab iis quibus non est natura mortalis; Sallustium tamen constat studio quodam gravitatis et magnificentiæ sæpe eo vocabulo, etiam ubi simpliciter *homines* dicendum esset, usum esse; quod exemplum secuti sunt Livius et Tacitus. — Munificentia, vox Ciceroni et Cæsari non usitata : Cat. 54, 2; Jug. 7, 7; 103, 5; 110, 5. — Nobilitas nunquam egregias animi virtutes significat, sed aut generis claritudinem, aut hominis gloriam; sæpe etiam pro *nobiles* ponitur. — Noxa, pro detrimento, Hist. I, 51, 1 et 11; (cf. Liv). — Nisus, vox fere poetarum (Jug. 94, 1 et 2). — Numerus pro multitudine hominum (Cat. 33, 3; 42, 4; Jug. 18, 4; 35, 6; 38, 6; 40, 4; 86, 4). — Obtentus, vox argenteæ ætatis, Hist. I, 45, 24, *secundæ res mire sunt vitiis* obtentui, pro « vitia obtegunt »; (cf. Tac. hist. 2, 14; Ann. 1, 10; 12, 7.) — Opulentia, pro divitiis, opibus, Cat. 6, 3; 52, 9 et 22; Hist. II, 50, 14; (cf. *opulens* pro opulento, J. 69, 3; *opulenter*, J. 85, 34). — Ostentus, rarior omnino vox pro documentum : J. 46, 6; 24, 10 *sed quoniam eo natus sum ut Jugurthæ scelerum* ostentui *essem*, id est, ut in me ostenderetur sive cognosceretur, quæ scelera Jugurtha committeret; (cf. Tac. Ann. 1, 29; 12, 14; 15, 61, dativo casu, et Gellius 20, 1, 48, ablativo. — Ostentatio Hist. II, 29, 2 *scenisque ad ostentationem histrionum fabricatis*; huic voci hic rarior subjecta est vis *artem histrionum exhibendi*, pro eo quod est usitatius : *ad jactationem sive gloriationem histrionum*; (cf. Liv. 7, 4). — Paratio, vox rarissima, pro comparatione : J. 31, 8, *sed sane fuerit regni paratio plebi sua restituere*; (cf. Afran. ap. Non. 219, 27, et Paul. Dig. 30, 139. — Paratus pro apparatu, Hist. I, 57, invenitur etiam apud Cicer. (Fin. 5, 19, 53), Livium (10, 41, 3), et Tacitum (Ann. 13, 17). — Peritia pro scientia (Jug. 46, 8; Hist. I. 102), apud alium quemquam

hujus ætatis non exstat. — Permixtio pro perturbatione J. 41, 10, vox rarissima; (cf. Aurel. Victor, *Cæs.* 41, et Cicer. *Univ.* 12, 37). — Popularis, insolenter pro socio, Cat. 22, 1; 24, 1; 52, 14. Cf. Ter. Adelph. 1, 2, 1, ad quem locum Donatus adnotavit : *popularitas* in omnis rei consortium sumitur; absolute dictum apud Sen. Vita beata, 13, et Ter. Phorm. 1, 1, 1). — Portatio, Cat. 42, 2; (cf. Vitruv. 10, 1). — Positus pro situ H. II, 1. (Cf. Tac. et Ovid.). — Præsidium ad omnia ea transfertur, quæ ad aliquem tuendum aut muniendum usui sint : Cat. 19, 2; 33, 5; 36, 3; 57, 5; 58, 4; Jug. 10, 4; 14, 18; 19, 1; 35, 1. — Properantia (Jug. 36, 3); vox illa rarissima invenitur apud Tac. Ann. 12, 20. — Requisitum, Hist. inc. 20; (cf. Quint. 8, 6, 59, et Ammian. 23, 6.) — Senatus pro aditu ad senatum Jug. 13, 9 *die constituto senatus utrisque detur*; (cf. Cic. ad Quint. fr. II, 12, 2. Livium et posteriores scriptores.) — Socordia, (et adjectiv. Socors) apud Cicer. et Cæs. non usitata vox, apud Sall. frequens est, ut apud posteriores. — Sonor, vox poetarum pro sono, sonitu. Hist. III, 77, 7; (cf. Tacit). — Tædium, pro satietate, primus in soluta oratione adhibuisse videtur Sallustius : J. 62, 9; Hist. I, 45, 7; — Tempestas pro tempore, vox poetarum, sæpius apud nostrum est : Cat. 7, 1; 17, 7; 22, 1; 24, 3; 36, 4; Jug. 8, 1; 13, 7; 30, 4; 32, 5; 35, 1; 37, 1; 40, 5; 65, 5; 78, 2; 90, 11; 104, 4; Hist. IV, 19, 10; (cf. Liv. 10, 11, et Tac. passim). — Terga *sumere atque reddere*, pro insequi et rursus fugere, insolenter, Hist. inc. 21; cf. *terga dare* vel *præbere*. Kritzius ad h. l. « Quemadmodum qui fugit, ipse *terga dat*, sc. *ferienda persequenti*, ita qui persequitur fugientis terga sibi data *sumit* atque ubi ipse ea persequendo in fugam se convertit, terga *reddit*. » — Torpedo, Hist. I, 51, 19; III, 82, 20 et 26; cf. Tac. H. 3, 63, Auct. Epist. II ad Cæs. de rep. ord. 8, 7, et Cat. Jord. 83, 7. Charisius (p. 86, 11) : « torpor et animi et corporis dicitur debilitatio, scilicet a torpedine pisce, cujus contactu corpus hebetatur, unde Sallustius hoc idem vitium torpedinem dixit. » — Transenna pro fune, Hist. II, 29, 3. — Transgressus pro transitu, Hist. I, 64, *vitare prælium in transgressu conatus*. Cf. Tac. Ann. II, 10, et genitivo Ann. 6, 37, *auspicium prosperi transgressus*. Erravit igitur in eo Freundius (Lexic. p. 792), quod statuit hanc vocem in ablativo singulari tantummodo exstare. — Vecordia, vox fere poetarum et Taciti propria : Cat. 15, 5; Jug. 5, 2; 72, 2; 94, 4; 99, 3. — Vera = ea quæ res ipsa postulat, quæ rerum conditioni ac naturæ consentanea sunt (Kritz), Hist. I, 51, 20, *sin libertas et vera magis placent*; cf. Hist. III, 82, 13; IV, 19, 3. — Vir, nusquam legitur, nisi ubi Sallustius aliquem ob ingenii virtutem laudare

velit. (Cf. Cat. 21, 3; Jug. 70, 2; 77, 1; 85, 10, cum Cat. 51, 16; 53, 6; Jug. 22, 2; 27, 2; 43, 1). — VOCABULUM pro nomine Hist. II, 4, *ex suo vocabulo insulæ nomen dedit*; (cf. Tac. Ann. 12, 27 et 66; 13, 12).

2° Inter archaïsmos quos eo nomine vere dignos existimat Schultzius, hæc substantiva notavimus, et hoc loco transtulimus, contracta tantum paucis ve locis mutata materia : CUM ANIMO habere (Jug. 11, 8); volvere (Jug. 6, 2; 108, 3; cf. Cat. 31, 2 *secum*); reputare (Jug. 13, 2; 70, 5; 85, 10); trahere (Jug. 93, 1); animus autem in his quasi altera persona cogitatur; Herzogius, ad Jug. 6, 2, hanc constructionem ad veteres pertinere docet qui concreta abstractis præferant; Deltourius [1] vero et Bruennert [2] Catonis imitationem hic vident. Cf. Catonem Jordani p. 38, 10 *cogitare cum animis*; Terentium, *cogitare cum animo*, et Plautum, *agitare cum animo*. Cicero autem semper *animo* aut *in animo* habet. — ANIMOS TOLLERE, Jug. 101, 7; (cf. Ruhnken ad Ter. Hecyr. III, 5, 57; Plaut. Truc. II, 8, 10; Lucil. ap. Non. p. 286. 6; Dietschium ad Jug. 101, 7). — BENEFACTUM, pro beneficio, Cat. 8, 5; Jug. 85, 5; Hist. I, 51, 4 et 6. Quam significationem non solum Cato, (Jord. p. 37, 3; 38, 11; 69, 7 [3]), sed etiam Ennius, (apud Cic. de off. II, 61, 18), et Plautus frequenter adhibuerunt. Ex Sallustio autem nullum fere est exemplum in quo sensus beneficii plane pateat, quodque non intelligi possit *recte factorum* significatione. — CONSULTOR Jug. 64, 5 *ita cupidine atque ira pessimis consultoribus grassari*; 85, 47; 103, 7; Hist. III, 82, 15; H. I, 51, 1; inc. 57; non pro eo qui consilia petit, ut apud Cic., (c. har. 9, 22; Balb. 20, 45; Tusc. 5, 48, 112), sed pro eo qui consilia dat, et aliis consulit; (cf. Varr. 3, 2, 1, et Gell. 4, 5). — CLARITUDO, NECESSITUDO (Vid. terminatio in *tudo* p. 8) — DOLUS Cat. 26, 2 *neque illi tamen ad cavendum* dolus *aut astutiæ deerant*, bono sensu, pro sollertia. *Dolus* enim mediæ significationis est vocabulum (cf. venenum), quod bono sensu veteres accepisse testes sunt Festus et Ulpianus dig. IV, 3. — FORUS pro forum (H. I, 76); cf. Lucilius ap. Charisium I, p. 55 P et Nonium p. 216, 15; similiter VADUS (H. I, 68), VOLGUS (Jug. 69, 2; 73, 5.) masculino genere pro neutro, a Sisenna, Accio, Varrone, Nonio teste p. 230, 7, usurpata sunt. — EA GRATIA, EA CAUSA (Vid. ad pronomem). — OBSIDIUM, pro « obsidio, » Hist. I, 84; IV, 19, 14; hæc

1. De Sallustio Catonis imitatore, Paris, 1859.

2. De Sallustio imitatore Catonis, Sisennæ aliorumque veterum historicorum Romanorum, Jenæ, 1873.

3. *Honorem emptitavere, malefacta benefactis non redemptitavere;* hic vero sensus dubius esse mihi videtur.

antiqua forma legitur etiam apud Plaut. Bacch. IV, 19, 24; Varron, c. l. v. 16, 90; posteaque apud Tacitum, Sallustii imitatorem, usurpata est, ad speciem gravitatis orationi ex antiquitate verborum conciliandam. — PENIS, quæ vox in obscenis Ciceronis ætate erat, apud antiquos vero pro *causa* dicebatur; (cf. Cic. ad fam. 9, 22, 5). Circumlocutionem adhibuit Sallustius, ut ejus ætate in usu erat, Jug. 85, 41 *dediti ventri et turpissimæ parti corporis*; at *pene* Cat. 14, 2. — PROSAPIA = progenies Jug. 85, 10; cf. Cic. in Tim. 11. *Et eorum, ut utamur* vetere *verbo, prosapiam*; Quintilianus (I, 6, 40; VIII, 3, 26) hanc vocem obsoletam dicit, et Non. I, p. 343. Catonem in *Originibus* (Cato Jord. p. 9, 6) ea usum esse tradit; itaque primum Gerlachius et Kritzius, deinde Deltourius et Bruennert a Catone hausisse Sallustium hoc verbum putaverunt, quod eo verisimilius videtur quod in fragmentis veterum historicorum nusquam invenitur. — SATIAS pro « satietas » (Hist. II, 35) obsoletam formam esse testatur Nonius (17, p. 117 G), laudans Accium, Varronem, Lucilium, Lucretium. Cf. Livium qui unum, et Tacitum qui quatuor hujus verbi habet exempla; cf. etiam Neue I, p. 589. — SUPPLICIA, pro « supplicationes » vel « sacrificia solemnia » Cat. 9, 2; Jug. 52, 28; 55, 2. At Jug. 46, 2 *Igitur legatos ad consulem cum* suppliciis *mittit*, falso Fabrius, Kritzius et postea Œstling [1], *intentas preces* interpretati sunt, quod quidem eo magis mirandum videtur quod Kritzius adh. l. scite explicat *supplicia*, Festum laudans qui (Gram. lat. vol. II, p. 247, ed. Lindemann) hæc ait: « *Supplicia sunt quæ caduceatores portant; ea sumebantur ex verbena felicis arboris.* » Nec dubito quin hic de ramis supplicum dictum affirmem, præsertim quum locutio *cum suppliciis*, si pro *cum precibus* positam eam admittas, multo durior sit, quam si proprio ac concreto sensu usurpatam putemus. Cf. Livium 22, 57, 5; Tac. ann. 3, 64, 3. — TEMPESTAS (Vid. supra, III, 2°β). — VENENUM, antiquis temporibus mediæ significationis vocabulum *medicamen* significans, (teste Gellio XII, 9), quem usum Sallustius (Cat. 11, 3) retinuit, ubi « *venena mala* » scripsit, ut in lege antiqua quæ a Cicerone (pro Cluent. 148) refertur. Cf. Dietsch. et Jacobs. ad h. l., et Schultz. (l. l. p. 78). — VERBUM, *sententiæ*, vel *dicti*, vel *vocis* significatione, (Jug. 11, 7,) more comicorum; cf. Plaut. Aul. III, 6, 11; Cas. II, 5, 39; Most. I, 3, 95; Ter. Eun, I, 9, 95; Ad. V, 8, 29; VERBIS alicujus, ut postea NOMINE *alicujus* : Jug. 21, 4 *senatus populique Romani verbis*. Cf. senati verbis (Jug. 25, 11), regis verbis (Jug. 102, 2).

His adde OBSEQUELA Hist. II, 58, quæ tantummodo apud antiquos pœtas invenitur (Afran. com. 257; Turpil. com. 63 et 210; Plaut.

1. De elocutione C. Sallustii commentatio, Upsala, 1862.

Asin. I, 50) — et SECUS pro sexu, neutro genere, Hist. II, 29. *Metellus magna gloria concurrentium undique* virile et muliebre secus *per vias et tecta omnium visebatur*, ubi Sallust. Sisennam (ap. Non. 222, 27) imitatus (tum in muro virile ac muliebre secus populi multitudine omni collocata) accusativum post genitivum absolute posuit. Tacitus per oppositionem *secus* (et adjectivum) plerumque nominativo vel accusativo jungit.

CAPUT II.

DE ADJECTIVORUM USU.

A. — ADJECTIVA PRO SUBSTANTIS DICTA [1].

Adjectiva pro substantivis Sallustius frequenter usurpat, præsertim nominativo et accusativo plurali masculini aut neutrius generis, sed rarius ceteris casibus, quippe quorum formæ non distinguantur, ita ut genus intelligi nequeat; rarius etiam singulari numero masculini generis. Hæc equidem exempla notavi :

I.

Masculina singularia.

Nominat. : bonus *et* ignavus (Cat. 11, 2); — bonus (Cat. 15, 2; Jug. 31, 28); — infidus (Hist. I, 51, 15); — malus (Jug. 31, 28).

Accusat. : alienum (J. 10, 5); — mortalem (J. 92, 2).

Genit. : æqui bonique (Hist. inc. 42).

Dat. : ignavo (Jug. 83, 1); — potentiori (J. 41, 8); — proxumo *ac maxume* fido (J. 35, 4); bono (J. 42, 3).

Ablat. : *a minus* bono (Cat. 2, 6); — *Non divitiis cum* divite, *neque factione cum* factioso, *sed cum* strenuo *virtute*, *cum* modesto *pudore*, *cum* innocente *abstinentia certabat* (Cat. 54, 6). Cf. Naegelsb. § 25, pag. 80.

II.

Masculina pluralia.

Nominat. et accusat. : *contra* adversos (Jug. 97, 5); — æquos bonos *que* (J. 85, 5); — alii (*passim*); — alios..... plerosque (J. 65, 4); *apud*

1. Cf. Dræger. *Hist. Synt.* pag. 36 sqq.; Naegelsbach, *Lat. Stil.* §§ 21 sqq.; Anschuetz, *Selecta* capita de Syntaxi Sallustiana, p. 24 sqq. — Indices a nobis collectos, adhibitis Drægeri ac præsertim Anschutzii indicibus, paululum auximus, et divisiones Anschuetzii,

alios (C. 51, 14); — alienos (J. 10, 3); — boni (Hist. I, 51, 13), bonos (J. 31, 27; 53, 8); boni..... mali (Cat. 7, 2; 51, 30; 52, 22; Jug. 31, 15); *Juxta* boni mali *que*, strenui *et* inbelles (J. 67, 2); — *apud* dextumos (Jug. 100, 2); — *ad* ignaros *et minus* bonos (Cat. 51, 27); *ad* indignos *et non* idoneos (ibid.); — *apud* inferos (Hist. II, 50, 3); — inermes (Jug. 94, 5); — innocentes (C. 51, 40); — inopes potentisque (Hist. IV, 19, 17); — insontis — sontis (Cat. 16, 3); — integros (C. 60, 4, Hist. I, 51, 9); — *inter* invidos, *occursantes*, factiosos (Jug. 85, 3); — malos (Cat. 37, 3; 52, 13; H. I, 51, 9 et 13); mali *atque* scelesti (Cat. 52, 15); — meliores (Hist. I, 51, 21); — multi (Cat. 3, 1; 17, 4, etc.); — novos (Jug. 65, 1, 5); — novi veteres *que* (J. 87, 3; 97, 5); — *in* noxios (J. 31, 26); — *penes* optumos, *non* audacissumos (Jug. 31, 16); — pauci (J. 8, 2; 14, 15; 15, 3; 16, 4; 17, 3, etc.; Cat. 6, 4; 50, 1; 60, 3, etc.); — pessumi (Hist. I, 45, 2); pessumi *et* stultissimi (Hist. I, 51, 1); — postremos (J. 50, 4; 55, 8); — *apud* primos (J. 46, 7; 101, 6); — primos..... extremos (J. 99, 2); — *belli* promptissumos (H. II, 18); — proxumos (J. 80, 3; 97, 2); — singulos *modo, modo* universos (J. 84, 1); singulos (J. 94. 2); — strenui, boni, nobiles *atque* ignobiles (Cat. 20, 7); — saucios (J. 54, 1); — *quæ etiam* timidos fortis *facit* (C. 58, 19); timidos (J. 94, 2): — univorsos (J. 54, 1); *in* univorsos (Hist. III, 82, 21).

Genit. : bonorum (C. 3, 2; 48, 4; J. 85, 42; 86, 3); innoxiorum (Hist. I, 45; 17); — locupletium (C. 21, 2); — malorum (C. 48, 8); — mortalium (C. 6, 3; 20, 11; J. 1, 3; 2, 4; 6, 3; Hist. II, 29, 2); — multorum (J. 8, 2); — necessariorum (J. 103, 2); — noxiorum (Hist. III, 82, 3); — paucorum (Cat. 39, 1; 58, 11; J. 3, 4; H. I, 28); — potentium (H. III, 82, 27); — sapientium (C. 11, 8); — togatorum (J. 21, 2); validiorum (Hist. I, 1, 10; III, 82, 7).

Dat. : *rursus* aliis, *post* aliis *minitari* (J. 55, 8); — bonis (Cat. 37, 3: 51, 28; Jug. 64, 1; Hist, I, 51, 1); — defessis *et* exanguibus (C. 39, 4); — ignavis (J. 53, 8); — malis (C. 54, 3; J. 31, 27); — miseris (C. 54, 3): — paucis (H. III, 82, 28); — pessumis (H. I, 45, 21); — raris (H. III, 82, 7); — timidis..... strenuis (J. 85, 50).

Ablat. (plerumque cum præpositione) : *Pompeius cum* alacribus *saltu, cum* velocibus *cursu, cum* validis *vecte certabat* (Hist. II, 17): — *a* bonis (C. 52, 13); *ab* dignis *et* idoneis (C. 51, 27); — *ab* externis (H. I, 45, 5 et 19); *ex* fortissumis *magis quam* familiarissumis (J. 98, 1); *a* fortissumis (J. 67, 2): — *cum* humillimis (J. 96, 2); — *ab* in-

ut commodiores, adoptavimus, ita ut hic primus paragraphus A haud longe a capitulo, IV, § A Anschuetzii differat.

fimis (C 44, 5); *de* inferis (C. 52, 13); — *de* manufestis (C. 52, 36); — *pro* mortalibus (J. 1, 5; H. II, 27); multis (J. 18, 3; 96, 2; 110, 2); *ex* multis (J. 97, 4); *cum* paucis (C. 32, 1; 60, 7; 41, 7; 54, 2; J. 80, 1; 101, 6; H, I, 51, 6); paucis (J. 56, 6; H. I, 41); — *cum* pessumis (H. I, 51, 22); — *ut* prudentes *cum* imperitis, *ne* pauciores *cum* pluribus *aut* rudes *cum belli* melioribus *manum consererent* (J. 49, 2); — *cum* plurumis (J. 101, 6); *in* primis (J. 6, 1); *in* primis *modo*, *modo in* postremis (J. 45, 2); *pro* sauciis (C. 60, 4).

Hæc autem pluralia nonnunquam adjectiva habent opposita, sed nulla fere alia nisi numeralia (Cf. Dietrich, l. l. p. 501) : *complures* (C. 19, 2; J. 8, 1); — *cuncti* (C. 51, 13); — *multi* mortales[1] (C. 2, 8; 10, 5; 52, 7; J. 20, 3; 28, 7; 31, 7; 42, 4; 47, 1; 54, 6; 62, 1; 65, 5); *multi* probi (H. I, 45, 8); — *multos* bonos (H. III, 8); — *omnis* mortalis (J. 28, 1), *at* omnis homines (C. 1, 1; 51, 1); *omnis* bonos (Cat. 21, 4; 33, 3; 52, 12; Jug. 85, 48; H. I, 51; 15; inc. 50); *pauci*, *paucos*, etc. (Cat. 20, 7; 52, 11; J. 27, 2; 31, 9 et 19; 107, 1; H. I, 11; III, 8); *plerique* mortales (Cat. 51, 15). Uno tamen loco adjectivum qualitatis invenitur, Cat. 12, 3 *nostri majores*, religiosissumi mortales.

III.

Neutra singularia.

Hæc quidem adjectiva rarius quam pluralia inveniuntur, at tamen apud Sallustium ea haud infrequenter occurrere docent exempla quæ sequuntur :

Nominat. et *Accusat.* : bonum *et* æquum (Jug. 15, 3); — bonum *aut* honestum (J. 82, 2); *jus* bonum *que* (C. 9, 1); — malum (C. 37, 11); — verum (C. 38, 3; 48, 5 (?); 51, 2; Jug. 33, 4; 35, 8).

Genit. : alieni *appetens* (C. 5, 4); *quid* boni (J. 88, 2); *nihil* languidi *neque* remissi (J. 53, 6); — *si quid*.... mali (J. 14, 16); — *finem* mali (H. III, 82, 9).

Dat. : vero (J. 16, 1).

Ablat. : æquo (C. 51, 11); — æquo *et* bono (H. I, 51, 17); — *humi* arido *atque* harenosò (J. 48, 3)[2]; — bono honesto*que* (J. 8, 1); — malo (Cat. 51, 32; J. 100, 5; H. IV, 48); — vero (J. 105, 3).

Bonum et *malum*, ut apud ceteros scriptores, cum alio adjectivo

1. Hoc notandum est semper cum *multi* adjectivo « *mortales* » Sallustium usurpare, nunquam vero « *homines* ; » at cum adjectivo *omnes* pariter « *homines* » ac « *mortales* » jungit.

2. Hoc exemplum quantum habeat audaciæ nihil est quod moneamus. Cf. Tac. *sero diei*, etc.

apud nostrum junguntur. Sæpe autem adjectiva neutralia singulari numero a Sallustio ita adhibentur ut ex propositionibus pendeant, quod genus dicendi Livio præter ceteros omnes scriptores familiarissimum est. (Cf. Drakenb. Liv. 28, 3, 9; Kühnast, Liv. Synt. p. 48).

Ex æquo bono *que* (J. 35, 7); — *in* aperto (J. 5, 3); — *pro* bono (J. 22, 4); — *a* bono honesto *que in* pravom *abstractus est* (J. 29, 2); — *in* cassum (H. III, 82, 11); — *pro* certo (Cat. 15. 2; 52, 17); *ex* conposito (H. II, 62); — *in* deterius (H. inc. 44); — *in* dubio (C. 52, 6); — *in* excelso (C. 51, 12); — *in* extremo (C. 52, 11; J. 23, 2); — *ex* inproviso (J, 14, 11 et 16; 20, 3; 53, 1; 58, 1); *de* inproviso (C. 28, 1; J. 38, 4; 99, 1; 107, 6); — *in* inmensum (J. 48, 3; 92, 5); — *in* incerto (C. 41, 1; J. 68, 5; 46, 8; 51, 1); — *de* integro (J. 62, 9); — *in* majus (J. 73, 5; H. II, 88; III, 64); — *in* medio (C. 19, 6; J. 45, 2; 79, 3); — *in* medium (H. IV, 40); — *pro* nihilo (J. 31, 25); — *in* obscuro (C. 51, 12); — *ex* occulto (J. 59, 2; H. III, 77, 17); — *in* occulto (J. 85, 23); — *in* planum (J. 49, 6); — *in* posterum (H. III, 82, 12); — *in* postremo (J. 46, 7); — *ad* postremum (H. I, 11; I, 51, 5); — *in* præsens (C. 16, 3; H. IV, 19, 19; IV, 72); — *in* primo (J. 68, 4); — *in* promptu (J. 111, 1); — *per* pronum (H. III, 23); — *in* propatulo (C. 13, 3); — *in* propinquo (H. III, 77, 4); — *in* proxumo (J. 59, 2); — *in* unum (C. 17, 2; J. 11, 2; 31, 14; 50, 5; 51, 3; 80, 2; 98, 4); *ex* vero (C. 8, 1); — *a* vero (H. I, 6); — *a* vero bonoque (J. 30, 2); *pro* vero (C 51, 36); — *contra* verum (J. 35, 8).

IV.

Neutra pluralia.

Hæc adjectiva Sallustius, sicut et ceteri scriptores, pro substantivis frequentissime usurpat iis casibus ex quorum forma quale sit genus conspicuum est. Itaque ea tantum *Nominativi* et *Accusativi* exempla afferemus quæ minus in vulgari usu sunt.

Advorsa (H, II, 36; II, 50, 13; III, 82, 4); — aliena (C. 12, 2; J. 1, 5; H. I, 51, 14); — difficilia (J. 93, 3); — digna (J. 62, 8; H. I, 51, 20); — divina.... humana (C. 12, 2; H. I, 45, 11; III, 63); — divorsa (H. III, 78); — falsa (J. 85, 27); — hostilia (J. 107, 2); — humana... divina (H. I, 45, 11; IV, 19, 17); — immoderata, incredibilia, *nimis* alta (C. 5, 5); — indigna (H. II, 50, 8); — justa (J. 11, 2); — magna *atque* mirabilia (J. 63, 1); — majora *et magis* aspera (J. 89, 3); mediocria (J. 89, 2); — muliebria (C. 13, 3); — nova (C. 20, 12); opportuna (multa *atque*) (J. 102, 10); — prava (J. 64, 2); — propinqua (J.

89, 5); — proxuma (J. 78, 2); — secunda (H. II, 36); — seria (J. 96, 2); — summa (J. 60, 6); — utilia (H. II, 50, 7); — vera (J. 85, 27; H. IV, 6); *libertas et vera* (H. I, 51, 20); — vera *et* honesta (H. III, 82, 13; IV, 19, 3); — vetera (J. 102, 14); vetera *et* nova (Cat. 37, 3).

Genitivi et dativi nulla exempla occurrunt, nisi in substantivis « *mala*, *bona* » quæ plane in vim substantivorum plurali numero abierunt. *Ablativus* vero nonnunquam reperitur in adjectivis quæ numerum significant; ut *multis* (Jug. 111, 1; Hist. III, 82, 1); *paucis* (Cat. 4, 3; 5, 9; 38, 3; Jug. 15, 1; 17, 1; 95, 2; 110, 6; Hist. I, 2); quibus omnibus locis vox « *verbis* » etiam intelligi potest.

Interdum opposita invenimus adjectiva *alia*, *multa*, *omnia*, vel pronomina : *alia* magna et egregia *tua* (J. 10, 2); — *multa* periculosa (J. 1, 5; cf. Hist. II, 50, 1; inc. 44); — omnia sæva (J. 14, 10; cf. Cat. 26, 5); — *aliena* bene parta (H. I, 45, 17); — *sua* necessaria (J. 73, 6); — superba *illa* (H. II, 29, 5; Cf. H. III, 82, 15). Quæ quidem loca non confundenda sunt cum iis in quibus adjectiva « *omnia*, *cuncta*, etc. » vim substantivi habent et alterum adjectivum iis ita adjungitur, ut pro attributo sit, ut Cat. 11, 6 sacra profanaque *omnia*; Jug. 86, 1 propere commeatu, stipendio, armis *aliis* que utilibus (*id est* aliis rebus quæ bello usui sunt) navis onerat; cf. Jug. 3, 2; 5, 2; 31, 9, 12 et 20, Cat. 30, 4, etc., etc.

V.

Subtantiva pro attributis posita.

Contra nonnunquam, ut solet, occurrunt substantiva pro adjectivis attributivis posita, quod tamen apud classicos auctores rarum est. C. 5, 4 *animus audax*, *subdolus*, *varius*, *cujus rei lubet* simulator *ac* dissimulator; J. 64, 1 *contemptor* animus; J. 12, 5 mulieris *ancillæ*. Ad totum enunciatum appositum est substantivum H. III, 82, 26 *Abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur et huc ire licet atque illuc munera ditium dominorum*. Cf. H. IV, 19, 8 *pacis mercedem*; H. I, 45, 12 *mercedem scelerum*.

B. — ADJECTIVA PRO SUBSTANTIVIS DICTA.

Satis frequenter adjectiva pro adverbiis ponit Sallustius, ex. gratia: Cat. 26, 5 *quoniam quæ occulte temptaverat* aspera fœda*que evenerant*, ad quem locum optime docet Kritzius, ubi verbum ita cum substantivo conjunctum sit, ut et subjectum vocabulo apposito et prædicatum adverbio accuratius definiri possit, Latinos subtilitate qua-

dam dicendi adjectivum ponere, ubi ex recentiorum linguarum usu potius verbum adverbio addito definiri soleat. Adde Cat. 52. 29 *vigilando, agundo, bene consulundo* prospera *omnia cedunt*, ubi Wirzius et Jacobsius « *prospere* » malunt ex Vaticani et primi post optimum Parisiensis codicis scriptura; Jug. 6, 3 *opportunitas — quæ etiam mediocris viros spe prædæ* transvorsos *agit;* (cf. J. 14, 20); Jug. 21, 1, *et Jugurthæ* obvius *procedit*; (cf. J. 45, 5; 69, 1; 113, 5); Jug. 49, 1 *ipse* propior *montem — suos collocat*; J. 61, 4 *uti ad se colonquendi gratia* occultus *veniat*; (cf. H. III, 77, 14); J. 94, 2 potissumus *temptare;* J. 101, 1 citi *se ostendunt*; Cat. 25, 4 *sed ea — luxuria atque inopia* præceps *abierat*; (cf. J. 31, 6; 63, 6; C. 31, 9); J. 55, 7 divorsi *agebant;* (cf. J. 87, 4; 101, 2; 25, 6; 12, 5); J. 104, 3 lubens *accepit*; J. 96, 2 invitus *accipere*; J. 74, 1 varius incertus *que agitabat*; J. 84, 1, *Marius* — multus *atque* ferox *instare*; — J. 55, 20, *civitas trepida antea* — læta *agere*; (cf. H. I, 45, 2; I, 63); J. 88, 6 *quo improvisus* gravior *accideret*; Cat. 60, 3 *illi haud* timidi *resistunt.*

Similiter participia præsentis pro adverbiis posita habemus: Jug. 44, 5 *prædas* certantes *agere*; (cf. 94, 6); J. 52, 5 *dum legatus ad flumen — festinans pergit*, quietus — *aciem exornat.* Cf. *maturantes* (J. 22, 1); *properantes* (J. 53, 1; Hist. IV, 26).

C. — DE SINGULIS ADJECTIVIS.

ACTUARIUS pro celeri, H. II, 65 *Ad hoc pauca piratica actuaria navigia.* Hæc Non. XIII, 9 p. 535, 2 Merc.: Actuariæ naviculæ celeres dictæ, quod agi possent. Sallust. hist. lib. II; ad hoc etc. — ADVECTICIUS, pro inportato, (J. 44, 5), apud solum Sallustium exstare videtur. — ALIQUANTUS. — Hoc adjectivum, quod frequenter usurparunt posteriores scriptores, apud Sallustium ter legitur: Jug. 74, 3 *aliquanto numero*; 105, 4 *timor aliquantus*; Hist. II, 29 *aliquantam partem gloriæ* (cf. Liv. 29, 35). — AVIUS, J. 54, 9, *nocturnis et aviis itineribus*, vox historicis tantam et poetis frequentata. — CETERUS et PLERUSQUE singulari numero sæpius occurrunt [1]. — CONSCIUS (animus), pro mala conscientia, Cat. 14, 4; Jug. 40, 2. Item *conscientia*, Cat. 15, 4; J. 32, 5; 35, 4; 85, 26. — DECOR (vel *decoris, e*) pro decoro, H. III, 1. — DEDECOR, pro inglorio, H. III, 91. — DISCORDIOSUS, pro discordiarum pleno, Jug. 66, 2 (Cf. Sidon. epist. 6, 2); de terminatione in *osus* quæ copiam quandam immodicam rei, super qua dicitur, indicat, teste Nigidio Figulo apud Gellium (IV, 9, 2), cf. *seditiosus* (ibid.), *calamitosus*

1. Vide Anschuetz. l. l. p. 25.

(Cat. 48, 2) [1]. — Dubiæ (res), Cat. 10, 2; 39, 3; 51, 1; Jug. 14, 5; 94, 2, eæ sunt quæ quemnam eventum habituræ sint in incerto est. Cf. *res asperæ* (J. 7, 6); *dubias atque asperas res*, (Cat. 10, 2). — Effetus pro infirmo, viribus exhausto, vox apud aureæ ætatis scriptores rarissima (C. 53, 5). — Ferox (animus) eorum est qui vehementissimis cupiditatibus exagitantur: Cat. 5, 7; 38, 1; 43, 4; 52, 18; Jug. 11, 3 et 9; 84, 1; item superbientium: Cat. 23, 3; Jug. 14, 21; 94, 4; 98, 6; 104, 2; postremo illorum qui animo constantes sunt: J. 54, 5; 106, 3. — Formidulosus semper activo sensu: Cat. 7, 2 et 5; 19, 2; 52, 13. — Hostilis, pro hostium C. 61, 8; J. 41, 2; 105, 3. — Gallius pro gallico (Hist. iv, 22). — Honestus, eadem significatione qua *honorificus*: Jug. 3, 1; 14, 24; 65, 5; item *inhonestus* non adhibetur de vita turpi et flagitiis contaminata, sed de vita non honestata honore, Cat. 20, 9. — Inermus pro « *inermis, e* » J. 66, 3; 94, 2; 107, 1; H. i, 51, 18; *at inermis* ab omnibus codicibus profertur Jug. 94, 5; 54, 10; 113, 6; Cat. 59, 5; et Hist. ii, 73 Priscianus (x, 3, 19, vol. I, p. 486, ed. Kr.) *inermes* habet, ubi alii codices *inermis*, vel *inermos* præbent.

Immutilatus pro non mutilato (H. iv, 48); cf. Cod. Theod. iv, 22, 1. Nonnulla similia adjectiva, ex *in* particula privativa composita, habet Sallustius, quæ quidem primus usurpasse videtur, ut *impollutus* (H. i, 45, 11); *importuosus* (J. 17, 5); *incelebratus* (H. i, 57; cf. Tac. ann. 6, 7); *incruentus* (C. 61, 7; J. 92, 4; Hist. iii, 16), frequens apud Livium; *incuriosus* (H. iv, 66); *infecundus* (J. 17, 5); *intactus* (J. 54, 10; 67, 3; 83, 3; H. iv, 19, 15), vox Livio et poetis præsertim usurpata; *intectus* (domus *intectæ* Hist. ii, 27; *intectum* renonibus corpus, Hist. iii, 57); *intestabilis* (J. 67, 3; H. i, 45, 1; cf. Horat. et Tacit.); *intutus* (H. i, 51, 17.)

Ignarus, vi passiva: Jug. 18, 6, *mare magnum et ignara lingua commercia prohibebant*; (cf. 52, 4; Hist. inc. 63); similiter *incertus* J. 49, 5, *nam inter virgulta equi Numidæque consederant, neque plane occultati humilitate arborum et tamen* incerti *quidnam esset*; *innoxius*, Cat. 39, 2, *ipsi* innoxii *florentes sine metu ætatem agere* (id est *sine damno, inviolati*); ubi Herzogius veterum imitationem videt, repugnante Schultzio; activa tamen significatione legitur Cat. 40, 6; Jug. 85, 43; *falsus*, J. 10, 1. *neque ea res falsum me habuit*, id est *fefellit*, (cf. 85, 20); quibus locis vis propria verbi servata esse videtur; at activo sensu Cat. 10, 5, *ambitio multos mortalis falsos fieri subegit;* (cf. Tac. Ann. i, 7, 1); *saluber*, J. 17, 6, *genus hominum salubri corpore*; (cf. Liv. i, 31; Tac. hist. v, 6) [2].

1. Cf. Anschuetz, p. 35. — 2. Cf. Anschuetz. p. 35

Infestus contra semper activa vi usurpatur, ut Cat. 15, 4, *dis hominibusque infestus*, ubi parum recte Kritzius adjectivum illud passive accipiendum esse monet; cf. Jug. 14, 17; 23, 2; 27, 2; 39, 1; 46, 5, etc.; Cat. 51, 10; 52, 24 et 29; 60, 2. — Similiter activa significatio est Jug. 89, 5, *infesta serpentibus*, ubi *serpentibus* ablativus modi existimandum est.

Inquies, priscorum vox pro « *inquietus* », legitur H. I, 8; I, 51, 11 et 16; II, 45; IV, 60; invenitur jam apud Plautum, ac deinde a Plinio, Velleio, Tacito usurpata est. — Internus, pro domestico, intestino, apud primum Sallustium est H. IV, 19, 13 *ob ipsorum interna mala dilata prælia;* sic postea apud Senecam, Plinium maj. et Tacitum. — Longa spes, id est longinqua, sera, quæ in longum extenditur (Kritz.), Hist. I, 24, *et Metello procul agente longa spes auxiliorum.* — Luxus pro luxato, suo loco moto, Hist. V, 2, *luxo pede*; vox obsoleta; cf. Fest. p. 89 ed. Lindemann, (Cato, de Re Rust., 160). — Militaris, pro belli perito, Cat. 45, 2; 59, 6, ut sæpe apud Livium et Tacitum. — Nefandus, vox apud Sallustii æquales rara, Cat. 15, 1; Hist. I, 45, 1; III, 77, 15 et 17; inc. 28. — Novus pro recente, J. 75, 8, *in nova deditione.* — Oblongus (J. 18, 8), quæ vox apud Ciceronem et Cæsarem deest. — Onustus (præda), pro abundante, J. 87, 1, *in agrum fertilem et præda onustum proficiscitur*, de quo vide Fabri, ad h. loc., qui hanc locutionem nullam lassitudinis notionem afferre docet [1], et Drakenb. ad Liv. XXIX, 27, 5, qui multa hujus exempla affert. — Pergnarus (H. IV, 22), Perincertus (H. IV, 50), quæ adjectiva apud reliquos Romanorum scriptores exstant [2]; adde Peridoneus (H. I, 86), ut apud Cæsarem b. civ. 2, 24; Tac. Ann. 4, 12. — Pollutus, pro fœdo ac detestabili, J. 15, 5, *ne polluta licentia invidiam accenderet, animum a consueta libidine continuit.* — Popularis, insolenter dictum pro socio, C. 22, 1, *popularis sceleris sui* (cf. 24, 1; 52, 14). — Præaltus (J. 78, 2). — Præceps, paulo insolentius pro proclivi : J. 6, 3; C. 37, 4, *sed urbana plebes ea vero præceps erat multis de causis*, absolute dictum pro « præceps erat ad probanda Catilinæ incepta ». Cf. Kritz. ad h. l., qui contra codicum auctoritatem *præceps ierat* legendum censet, contendens *præceps* non nisi cum verbo motus, neque quietis conjungi posse; sed cf. Liv. 23, 7, *præceps ingenio in iram erat*, præterea 26, 38, et Tac. Ann. 16, 21. — Præclarus in malam partem dicitur apud solum Sallustium, J. 14, 21,

1. *Præda onustus* ist ein Ausdruck, der häufig von dem gebraucht wird, der viele Beute gemacht hat. In diesem Sinne steht es gewohnlich ohne den Nebenbegriff der Bechwerung oder des Lästigen blos für *prædæ plenus.*

2. Cf. Anschuetz. p. 35.

ille qui nunc sceleribus suis ferox atque præclarus est. — PRÆDATORIUS, ut apud Livium et Tacitum (J. 20, 7), et PRÆDABUNDUS, quæ apud Livium quoque exstat. — PRIOR pro potiore, præstantiore, Jug. 10, 7, *Jugurtha, qui ætate et sapientia prior erat* (Cf. 96, 3). — PRIVUS, pro ignoto, insolenter dicitur H. I, 103, *privus ipse militiæ* (Cf. Apul. de deo Socratico, c. 43, *turba imperitorum, priva veræ sapientiæ*, et vide Kritz. ad h. l.). — PRONUS, pro facili (J. 80, 4; 114, 2); cf. Tac. Agric. c. 1 et 33. — PROMISCUUS pro vili, (C. 12, 2), apud Ciceronem et Cæsarem non exstat; (cf. Liv. et Tac.) — SALTUOSUS apud primum Sallustium occurrit, Jug. 38, 1; 54, 3, ac postea apud Livium et Tacitum. — SCŒVUS non videtur apud alium quemquam hujus ætatis scriptorem exstare; Hist. I, 45, 5, *scævus iste Romulus* (cf. Aul. Gell.); item; SEMIRUTUS, H. II, 27. — SITUS, insolenter de hominibus dictum, H. IV, 19, 17, *quin socios, amicos, procul, juxta sitos — trahant, excindant.* (Cf. Tac. Agr. 30; Ann. 12, 10.) — SOCORS, cui voci stultitiæ vim subjicit Cicero, apud Sallustium pro securo, negligente est, Jug. 100, 1, *neque tamen victoria socors aut insolens factus; sed pariter atque in conspectu hostium quadrato agmine incedere*; (cf. Hist. III, 82, 8, et adverbium *socordius*, H. III. 96). — SUBLIMA *nebula*, pro « SUBLIMIS *nebula* », H. III, 14. — TUMULOSUS (Jug. 91, 3), vox rarissima. — VASTUS *animus* (Cat. 5, 5) est animus modum excedens et profunda cupidine exagitatus. — VERTICOSUS, vox rarissima; Hist. IV, 37, *mare verticosum*; cf. Liv. 21, 5). — VITABUNDUS, vox Cæsari et Ciceroni non usurpata (Jug. 38, 1; 60, 4; 101, 9; H. III, 20). — VIRGULTUS = virgultis obsitus, H. inc. 8, *consedit in valle virgulta nemorosaque*, vocabulum ad analogiam vocis *pluvius* factum.

His addemus nonnulla adjectiva, quæ, aut solis poetis aut pariter et poetis et posterioris ætatis scriptoribus usitata, a Sallustio primo inter prosæ orationis scriptores usurpata sunt :

Attonitus (H. I, 88); *clemens*, a moribus ad res translatum, J. 22, 1, *rumor clemens erat*; (cf. Tac. Ann. 13, 38; Germ. 1); *consuetus*, pro solito, usitato (J. 15, 5; 85, 7; 100, 5); *curvus* (H. IV, 35); *ferinus* (J. 18, 1; 89, 7); *festinus*, H. inc. 10, *in secunda festinas cohortes composuerat*, ubi de leviter armatis dictum videtur; *gratus*, de personis dictum (C. 23, 3); *inclutus* (H. I, 62 et 80; II, 27; IV, 19, 19); *insons* (C. 16, 3); cf. Liv. et Tac.; *invius* (H. I, 9; III, 77, 6); *lacer* (H III, 77, 16); *lassus* (J. 53, 5); *limosus* (J. 37, 4); cf. Plinium; *nemorosus* (H. inc. 8); *noxius* (J. 31, 26; 42, 1; H. III, 82, 3); *obnoxius* (frequentissime); cf. Livium; *pavidus* (J. 12, 5; 60, 4; 103, 4); *placitus* (J. 81, 1); cf. Tac. Ann. 2, 66; 4, 37; *sævus* (passim); *scelestus* (C. 51,

32; 52, 15; H. III, 1, 1; IV, 19, 2; inc. 64), de hominibus dictum; *semianimus* (H. III, 77, 16); cf. Liv.; *trepidus* (J. 40, 4; 55, 2; 91, 5; 97, 5).

D. — — DE COMPARATIVIS ET SUPERLATIVIS ADJECTIVORUM (ET PARTICIPIORUM).

Pauca tantum exempla habet Sallustius novorum comparativorum vel superlativorum, in eoque multo minus audax est quam æqualis ejus Cicero :

COMPARATIVA : adulescentior (Hist. I, 55); divorsius (C. 61, 3); inconsultius (J. 35, 6); cf. Cæs. b. g. I, 45; Liv. 41, 7; Plin. Paneg. 83; intestabilior (H. I, 45, 1); properantius (J. 8, 2; 96, 3); cf. Tac. Ann. 2, 55; promptior (J. 44, 1); cf. Cic. Off. I, 24; purgatiores (H. II, 87); socordius (H. III, 86); suspectiores (C. 7, 2); cf. Cic. Orat. 2, 4.

SUPERLATIVA : cupientissumus (H. V, 15; J. 84, 1); conruptissimi (H. I, 51, 7); dextumus (J. 100, 2), obsoleta forma, ut testantur Priscianus (III, p. 98), qui eam apud Cœlium Antipatrum et Varronem (cf. Nonium II, p. 66) invenit, et Festus (p. 74, ed. Müller), qui illam vocem antiquam esse ait; paucissumis *absolvam* (J. 17, 2); *dicam* (J. 17, 7); promptissumos (H. II, 18); cf. H. I, 51, 1; quæsitissumæ *epulæ* (H. II, 29, 4); cf. Tac. Ann. 2, 53; 15, 44; sollertissumus (J. 96, 1); cf. Caton. de Re Rust. 8, 2; strenuissumus (Cat. 61, 7); cf. Cato, de Re Rust., proœm., 4; Tac. Hist. 4, 69 [1].

CAPUT III.

DE PRONOMINUM USU.

1° Pronomen possessivum « *suus* » ad objectum directum vel indirectum, (non tantum ad subjectum), enuntiati referri posse constat, ut Cat. 21, 4, *admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suæ*; quod præsertim fit, ubi ad subjectum *logicum* (id est cujus conditio, agendi ratio, etc. designatur) refertur, ut Cat. 28, 1, *constituere ea nocte paulo post cum armatis hominibus sicuti salutatum introïre ad Ciceronem ac de improviso domi* suæ *imparatum confodere;* Jug. 9, 2, *En habes virum dignum te atque avo suo Masinissa*, ubi *ejus* exspectaretur. (Cf. Madvig. Gr. lat. § 490 *b*). — Pro genitivo objectivo *sui* C. 51, 11, *neque cuiquam mortalium injuriæ suæ parvæ videntur.*

1. Nostri comparativorum et superlativorum indices paululum, ut par est, ab Anschutzii indicibus differunt, a quo tamen eos non mutuati sumus.

Suus, alieno oppositum ad congruentiam significandam, occurrit Jug. 54, 8 *et qui sua loca defendere nequiverat, in alienis bellum gerere*; 61, 1, *neque Jugurtham nisi ex insidiis aut suo loco pugnam facere.*

Pro substantivo habetur J. 52, 6, *laborantibus suis.*

Suus met sine sequente « *ipse* » pronomine, Hist. II, 59, *Ruuntque magna pars suismet aut proxumorum telis*; (cf. H. I, 45, 25); cum *ipse*, Jug. 8, 2; 31, 6; Cat. 23, 2. — *Suuspte* semel occurrit, H. I, 61 *cujus duas insulas — constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere.*

2° *Pronomen reflexivum* raro in secundario enuntiato invenitur, quod conjunctivo verbum non habet, ideoque cum primario non arcte videtur conjunctum; cujus constructionis apud Sallustium hæc exempla (frequentiora quam apud ceteros scriptores) inveni: Jug. 61, 1, *Metellus — ab Zama discedit, et in eis urbibus, quæ ad se defecerant satisque munitæ loco aut mœnibus erant, præsidia imponit.* (Cf. J. 66, 1; 88, 4; 103, 2).

3° *Is*, (rarius *ille*) pro *sui, sibi, se* in oratione obliqua, quæ constructio apud Cæsarem satis frequens est, utique per exceptionem usurpatur; et apud Sallustium *ille* occurrit Jug. 96, 2, *magis id laborare ut illi quam plurumi deberent* [1]; Hist. V, 11, *Lucullus pecuniam Lucullo dedit, ne* illi *succederetur*; ubi quidem falso *illi* ad Pompeium referunt nonnulli; (cf. Cic. pro Roscio Ann. 34, 96; Zumpt. Gr. lat. § 78, 7 not. 1, p. 408, ed. IV; Ramshorn. Gr. lat. § 158, 6, not. 2, p. 350, ed. I). Hanc Kritzii ad J. 96, 2, explicationem referre placet: « Pro *illi*, inquit, poterat Sallustius *sibi* dicere, si hanc enunciationem ad Sullæ mentem retulisset, ut poscebat legitimus cogitandi ordo; sed quum haud inusitata scriptorum negligentia in incepta cogitatione non pergeret, sed ex ejus quem cogitantem induxerat mente in suam ipsius personam transiret, eo factum est ut pro reflexivo pronomine demonstrativum ponendum esset. »

4° Pronomen *ipse* Sallustio satis usitatum est; hic vero notanda est locutio *ipse per se*, in qua *ipse* eminentiam quamdam subjecti significat, clariusque et accuratius indicat id quod vocibus *per se* continetur : Jug. 96, 2, *multis rogantibus, aliis per se ipse dare beneficia, invitus accipere*; J. 14, 4, *sed quoniam parum tuta per se ipsa probitas est.* (Cf. 4, 8, ac præterea Cic. Epist. ad famil. III, 2, 6; VI, 10, 8; de leg. II, 17, 43; pro Mur. 14, 30, Liv. III, 6, 5; Sen. Ep. 92). — *Et ipse* quod apud Livium frequentissimum est, et apud Ciceronem quinquies legitur (Draeger), satis frequenter a Sallustio usurpatum est: Jug. 44, 1. *præ-*

1. Hoc loco Jacobsius observat fieri posse quodam modo ut *illi* nominativus pluralis sit, et *quam plurimi* verba pronomini subjecto apposita.

dator ex sociis et ipse præda hostium; J. 8, 2, *sed postquam Numantia deleta P. Scipio dimittere auxilia, et ipse revorti domum decrevit*; cf. C. 31, 4; J. 11, 1; 35, 10; 70, 1; 94, 3; 98, 6.

5° *Is* [1], præsertim initio enuntiati, frequentissime apud Sallustium legitur, quippe qui sæpius demonstrativis quam relativis pronominibus usus sit, id quod abrupto genere dicendi, quo utitur, maxime convenit. Plerumque etiam (similiter *ille*, *hic*) totam vim suam servat ante relativum, etiam ubi facile propter sensus claritatem detrahi possit; at non negari potest etiam tum aliquid sermonis robori adjuncto demonstrativo addi. Ceterum multa sunt loca, etsi fortasse pauciora quam apud ceteri scriptores, ubi pronomen antecedens deficit, si eodem casu poni debuit, ut Cat. 51, 9, *matres familiarum pati quæ victoribus conlibuissent*; Jug 14, 10, *quippe quis hostis nullus erat, nisi forte quem vos jussissetis*; J. 39, 1, *Aulo omnes infesti, ac maxume qui bello sæpe præclari fuerant*; Hist. II, 50, 10, *facio quod sæpe majores asperis bellis fecere: voveo dedoque me pro re publica*; cf. J. 8, 2; 111, 1 et 4; C. 17, 2; 20, 5; 23, 4; 26, 5; 51, 25; etc., etc. Sæpenumero etiam pronomen *is* omittitur, imprimis relativo prægresso, si duo verba diversæ constructionis ad idem substantivum referantur, ut Cat. 13, 2, *quippe quas* (scil. *divitias*) *honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant*; 37, 3, *nam semper in civitate quibus opes nullæ sunt bonis invident*; (cf. C. 17, 6; 55, 5; H. I, 51, 13); Jug. 54, 1, *univorsos in contione laudat atque agit gratias*; (cf. Cat. 48, 6).

Apud Sallustium sæpius attractionis vi pronomen *is* cum sequenti substantivo ita conjungitur, quasi ejus notio jam in prægressa enunciatione inesset, quanquam verbo non declarata est : Jug. 54, 6, *puberes interfici jubet, alia omnia militum prædam esse*. Ea formidine *multi mortales Romanis dediti obsides*, ubi *ea formidine* pro *earum rerum formidine* positum est; Jug. 83, 1, eo dolore *impeditus*, id est *dolore quam ex hoc re capiebat*; J. 54, 4, *id* ea gratia *eveniebat quod*, id est *hujus rei gratia quod*; (cf. J. 80, 4); Cat. 52, 7, *ea causa*, ubi notandum est veteres scriptores (Plautum, Ennium, Terentium, Catonem) *ea gratia*, *ea causa* adhibuisse, ac postea Tacitum, Sallustii imitatione,

1. Dativus vel ablativus *is* (quæ forma eadem est atque *iis*) legitur in quibusdam libris Cat. 6, 1; 51, 43; 58, 17; Jug. 17, 2; 23, 2; 28, 1; 49, 2; 61, 1; 93, 8, 102, 2; 105, 2; *eis*, Cat. 50, 3; 51, 43; J. 29, 3, 102, 2. Omnibus locis *is* in *eis* correxerunt Dietschius et Jordanus, excepto tamen, J. 105, 2, ubi Jordanus *his* lectionem plurimorum codicum recte servavit, præsertim quum in paucis eis qui scripturam *is* servaverunt *h* littera supra lineam scripta sit. Similiter *ei* nominativo (non *ii*) Sallustius adhibuisse videtur. — Formas codicum *idem* (nomin. plur.) J. 27, 1; *isdem* (ablat.) C. 42, 1; 39, 6, servaverunt Jordanus, Kritzius, alii; Dietschius contra ubique formam *iisdem* quæ sæpius invenitur restituit.

qua causa, (Ann. IV, 18), scripsisse[1]. His exemplis addemus *ex eo numero* (J. 35, 6; 38, 6; 18, 4; Cat. 42, 3); *ex suo numero* (C. 32, 3). De qua constructione, sequente relativo, vide infra *Constructio ad sensum*, pars tertia.

Id adeo pluribus locis legitur : Cat. 37, 2, *sed omnino cuncta plebes novarum rerum studio Catilinæ incepta probabat. Id adeo more suo videbatur facere*, ubi Kritzius sic *adeo* interpretatur : « Sallustius, inquit, hac particula cum *id* conjuncta utitur, ubi ad prægressam enunciationem accessio fit gravioris cujusdam sententiæ. .. Nostro igitur loco eo cumulatur sententia quod rerum novarum studium non solum tunc temporis, sed *de more* plebis fuisse dicitur. Pariter in fine capitis § 11, (*Ad hoc quicumque aliarum atque senati partium erant, conturbari rempublicam quam minus valere ipsi malebant. Id adeo malum multos post annos in civitatem reverterat*), antegressa verba eo amplificantur, quod priorum annorum malum revertisse memoratur ». Cf. Jug. 65, 3; 110, 4; 111, 1.

Pleonasmus notandus Cat. 37, 4, *sed urbana plebes, ea vero præceps ierat multis de causis*, ubi nominativus absolutus primum positus est, ac deinde pronomen, cujus vim auget particula *vero*, pro vero subjecto habetur, id quod toti sententiæ magnum quoddam robur addit. Hæc autem constructio non confundi debet cum altera illa, ubi Latini, nomine prægresso nonnullisque interjectis, non negligentia quadam, ut videtur, sed perspicuitatis sensu ducti, pronomen *is* vel *hic* ponere solent, ut Cic. in Cat. II, 12, 27, *nunc illos, qui in urbe remanserunt, monitos eos velim*; pro lege Man. 12, 33; de off. I, 35, 127; 38, 137; et Terent. Eun. V, 4, 6.

6° *Ille* pro *is* semper adhibet Sallustius in oratione obliqua, ut significetur is ad quem dirigitur ejus, quem loquentem inducit auctor, oratio, ita ut, si recta oratio fiat, pronomen secundæ personæ ponendum sit, ut Jug. 8, 2, *si permanere vellet in suis artibus, ultro illi et gloriam et regnum venturum;* cujus rei causa in eo sita est, quod auctor suam ipsius personam in ejus quem loquentem facit, locum substituit; eodem modo quo indicativus pro subjunctivo ponitur in enuntiatis secundariis. Similiter Jug. 51, 4, *simul orare, hortari milites ne deficerent, — neque* illis *castra esse, neque munimentum ullum*; J. 62, 1, *caveat ne* illo *cunctante, Numidæ sibi consulant*; cf. 33, 4; 61, 4; 64, 2; 65, 3; 79, 8; 106, 1; 111, 1. — Jug. 49, 3, illum *diem aut omnis labores et victorias confirmaturum, aut — initium fore, ille* pro *hic*, ut in oratione obliqua solet, positum est.

1. Cf. Kritz. ad Cat. 52, 7.

7° *Uterque* plurali numero de duobus singulis dictum occurrit Cat. 5, 7, *inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quæ utraque eis artibus auxerat quas supra memoravi*; et C. 30, 4 *Q. Marcius Rex Fæsulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque ea loca missi*; *ei utrique ad urbem imperatores erant.*

8° *Aliquis* satis rarum est apud Sallustium, qui neque in negativis, neque in conditionalibus enuntiatis hoc pronomen unquam usurpat; semper vero *quis*, aut *quisquam*, qui rarius in finali negativa enuntiatione occurrit, Jug. 45, 2, *ne quisquam in castris panem aut quem alium cibum venderet... ne quispiam ordine egrederetur*, ubi nonnulli codices *ne quisquam... ne quisquam ordine egrederetur* exhibent.

9° *Alius* pro « *alter* » positum quidem videtur Cat. 54, 1, *Igitur eis genus, ætas, eloquentia prope æqualia fuere, magnitudo animi par, item gloria, sed alia alii*, ubi de duobus tantum dicitur; cf. Cat. 1, 7, *ita utrumque per se indigens alterum* [1] *alterius auxilio eget*; sed frustra, nam hoc loco *alia* idem quod *diversa* valet et utriusque gloriam nondum explicitam et illustratam definit; itaque ad mutuam rationem quæ inter res et personas intercedit significandam opus erat ut personæ vocabulum cum rei vocabulo congrueret. Cf. Liv. I, 21, 6 *Ita duo deinceps reges, alius alia via, ille bello hic pace, civitatem auxerunt*, et I, 25, 5. — Pro « ceteri » Sallustius *alii* usurpat Cat. 27, 2, *ipse cum telo esse, item alios jubere;* Jug. 58, 3, *locum cepere paulo quam alii editiorem.* (Cf. J. 10, 2; 63, 6; 85, 4; 94, 3; Cat. 43, 3), qui loquendi usus apud Livium tritissimus apud Ciceronem plane deest. — *Alter* cum « uterque » conjunctum reciprocam relationem significat J. 18, 12, *deinde utrique alteris freti finitumos armis aut metu sub imperium suum coegere.*

CAPUT IV.

DE ADVERBIORUM USU.

I.

De adverbiis attributivorum adjectivorum loco positis.

Livium et Tacitum constat persæpe Græcorum imitatione adverbium substantivo et adjectivo vel pronomini interponere; quæ tamen constructio prioribus Romanorum scriptoribus non prorsus ignoratur, et apud Sallustium brevitatis causa his fere locis invenitur: Jug. 76, 5,

1. Hic notandum est *alterum* ad sensum non necessarium esse.

denique Romani, multo ante *labore prœliisque fatigati*, ubi nonnulli *ante* ad *fatigati* referunt; Hist. IV, 19, 14, *nullo* circum *adnitente*, et 15, *vastis* circum *omnibus locis*.

II.

De adverbiis pro objecto positis.

Pro neutris pluralibus adjectivorum, adverbium objecti partes gerens legitur : Jug. 85, 27 *quippe vera necesse est* bene *prædicent*, id est *si qua vere de me dicere velint, necesse est ea prædicent ita ut bona sint quæ prædicentur*, vel simplicius *cum laude ea prædicent;* (cf. Cortium et Kritz. ad h. loc.) ; Cat. 45, 5 *præcepit*[1] *ut* — bene *polliceantur*, id est *ut bona polliceantur*. Aliud exemplum ab Anschuetzio allatum J. 11, 1, *et ipse longe* aliter *animo agitabat*, id est *alia*, a Kritzio longe diversa ratione explicatur, qui quidem parum recte *agitare* absolute positum esse ait, ut et aliis locis quibus pro *esse, se gerere, commorari* usurpatur ; cf. Cic. Divin. II, 17, 38, *bene promittere*; ad Att. V, 13, 2, *liberalissime polliceri*, etc.

Huc referenda cum Anschützio arbitror, ea loca quibus verbis *sentiendi* et *declarandi* adverbia *sic* vel *ita* adjunguntur, quibus objectum prænuntiatur, quod deinde per accusativum et infinitivum explicatur, ut Cat. 51, 43, *ita censeo, publicandas eorum pecunias* ; Jug. 14, 12, *ego sic existumabam — qui vostram amicitiam diligenter colerent eos multum laborem suscipere* ; (cf. Cat. 14, 7 ; 19, 4; 51, 15; 52, 36 ; Jug. 4, 5 ; 85, 40 ; 114, 2) ; ac præterea Jug. 24, 5, *nisi tamen intelligo illum supra quam ego sum petere* = *aliquid quod supra me est* (Cortius), ubi tamen Kritzius *ulterius tendere* intelligit ; parum quidem recte, nam secundum comparationis membrum *quam ego sum* eam explicationem rejicit, nisi adverbium *ubi* intelligas hoc modo : *ulterius* (malim *altius*) *quam ubi ego sum*, quod maxime dubium est. Denique Cat. 3, 2, *quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit, supra ea veluti ficta pro falsis ducit*, ubi *supra ea* brachylogia est pro « *ea quæ supra ea sunt* ». Ad grammaticam rationem quod attinet, Kritzius *supra ea* a prægressis *quæ quisque putat* pendere ait, quod equidem etiam audacius existimo quam *supra ea* pro objecto verbi *ducit* habere. (De ceterorum interpretum opinionibus Kritzium vide ad h. loc. ; et cf. Cic. Orat. I, 4 *in poetis non Homero soli locus est*

1. Correctionem Linkeri a Jordano acceptam inutilem existimamus ; cf. J. 13, 6 ; C. 34, 1. Similem sed contrariam in temporum consecutione anomaliam videre est Jug. 46, 4 PERSUADET *uti Jugurtham necatum sibi* TRADERENT ; cf. Cat. 32, 2, et *passim*. (Vide infra, in cap. de consecut. temporum, pars quarta.

aut —, *sed horum vel secundis vel etiam infra secundos*). *Contra ea*, in Jug. 85, 2, *sed mihi contra ea videtur*, sine necessitate nonnulli pro subjecto positum censent.

III.

De singulis adverbiis.

Adeo cum *id* pronomine, fere oratoria potestate occurrit Jug. 65, 3, *id adeo mature posse evenire*; (cf. J. 110, 4; 111, 1; Cat. 37, 2 et 11).

Aliquando pro *tandem aliquando* positum occurrit Cat. 52, 5, *expergiscimini aliquando et capessite rem publicam*; (cf. Jug. 14, 21; 62, 1; 102, 5); at solita significatione invenitur, de præterito dictum, J. 14, 17; de futuro, J. 110, 3.

Aliter, pro *alioquin*, quod apud Sallustium non exstat, positum invenitur, Cat. 44, 1, *ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant jus jurandum, quod signatum ad civis perferant*: aliter *haud facile eos ad tantum negotium impelli posse*. (Cf. 29, 3; Hist. I, 40). Propriam vim habet Jug. 7, 3; 11, 1; 72, 1, etc.

Amplius adverbium pro adjectivo « *plures* » usurpatum videtur duobus locis: Cat. 20, 11 *Illos binas aut amplius domos continuare*, ubi fortasse constructio sola insolita est (pro « *binas domos aut amplius* »), et Jug. 80, 6, *quia singuli pro opibus quisque quam plurimas uxores, denas alii plures habent, sed reges eo amplius*, ad quem locum Kritzius ex mente Jacobsii et Dietschii hæc supplet « *quo magis ceteros opibus* superant, Gruendelius vero (Quest. Sall. p. 15) addit hic *opibus* non de divitiis, sed de auctoritate et dignitate valere, quod verisimile est. — Cum verbo *posse*, ad pondus vel gradum designandum, J. 69, 2, *ira atque prædæ spes amplius quam lassitudo posse*; (cf. H. III, 82, 19) [1].

Ante aliquem esse, pro superare, C. 53, 3; J. 10, 7; 15, 1; ita Livius, Tacitus, nunquam autem Cicero locutus est.

Audaciter (H. II, 101, a Prisciano, XV, 4, 21; vol. I, p. 625 Kr. laudatum), pro *audacter*.

Certo, in locutione *certo scio*, idem quod *pro certo habeo* valet, Jug. 9, 2; Cat. 51, 16. At *certe* apud Sallustium semper vim restringendi habet; cf. J. 4, 3; 31, 4; 85, 25; H. III, 82, 15.

Ceterum sæpissime, præsertim in *Jugurtha*, Sallustius usurpavit. Plerumque mera transitio est ad novum aliquid, vel quod scriptor non negligendum putet, ut Jug. 4, 1, *Ceterum ex aliis negotiis quæ ingenio*

1. Plura affert Anschütz, l. l. p. 39, quem vide.

exercentur, in primis magno usui est memoria rerum gestarum. (Cf. 10, 7; 13, 1; 17, 7; 18, 8; 20, 8; 29, 2; 41, 1 et 6; 43, 4; 51, 1; 58, 3; 73, 4; 75, 9; 78, 1; 79, 6; 91, 1; 94, 1; 95, 1; 98, 4; 104, 3 et 5; 110, 6; 111, 4; H. IV, 19, 16; Cat. 20, 6). — At interdum *ceterum* præcedentibus addit quod præter illa fuit, ut Cat. 17, 6, *erant præterea conplures — nobiles, —. Ceterum juventus pleraque, sed maxume nobilium, Catilinæ inceptis favebat*; (cf. Jug. 15, 4; 75, 3). — Sæpius etiam vim adversandi habet tam gravem ut pro *sed* vel *verum* particula positum videatur, ut Jug. 14, 1, *Micipsa pater meus moriens mihi præcepit, uti regni Numidiæ tantum modo procurationem existimarem meam, ceterum jus et imperium ejus penes vos esse*; (cf. J. 2, 4; 14, 12; 15, 4; 22, 3; 46, 4; 48, 1; 52, 1; 55, 7; 70, 5; 76, 1; 82, 1; 83, 1; 84, 3; 85, 38; 87, 1; 92, 4; 102, 14; 108, 1; 112, 3; 113, 1; Hist. I, 51, 6). Pro *revera* autem positum occurrit Jug. 76, 1, *ceterum proditionem timebat*, qua significatione nullus ante Sallustium scriptor usus est.

Confestim semel tantum apud Nostrum legitur, et quidem peculiari significatione, Hist. inc. 67; Charisius, II, 14, 36, p. 176, Lindem. (p. 176, Putsch): *Confestim pro continuo et sine intervallo, sed jugi festinationis studio peragentis Sallustius libro....* « FESSIT, UT NUNTIIS CONFESTIM LUGUBRIBUS. »

Denique, ut *postremo*, ibi adhiberi videmus, ubi breviter et quasi per summam prægressa omnia comprehenduntur: Cat. 20, 13 *at nobis est domi inopia, foris æs alienum, mala res, spes multo asperior; denique quid reliqui habemus præter miseram animam?* (Cf. J. 15, 2; 39, 2; 43, 3; 79, 7; 110, 4).

Ferme, quod Varronis testimonio (de l. l. VII, 5, 92) antiquius est quam *fere*, duobus locis invenitur Jug. 48, 3; 74, 3; uno vero tantum apud Ciceronem (*ad Att.* V, 20); at sæpius apud Livium, Tacitum et posteriores.

Ibi et *ubi*. — *Ibi* scribitur sæpe pro pronomine solo vel cum præpositione juncto, ubi nos accuratiorem rei descriptionem expectamus, quod brevitati mirabiliter confert: Cat. 3, 3; 5, 2; 8, 3; 27, 4; 60, 6; Jug, 79, 8; 85, 41; 101, 6; 112, 3. Eodem modo *ubi* usurpatur: Cat. 20, 8; 54, 4; Jug. 14, 2; 37, 3; 46, 5; 47, 1; 67, 1; 90, 2; Hist. IV, 37. Insigne exemplum est Jug. 79, 8 *Græci optionem Carthaginiensium faciunt, ut vel illi*, quos finis *populo suo peterent, ibi vivi obruerentur, vel* etc.

Illim (Jug. 114, 2, ex conjectura Dietschii); cf. Cic. *illim* et quoque *istim*, et vide Corssen. Zeitschr. f. d. vergl. sprachw. V, 120 sq.; Lachmann ad Lucret. II, 169; III, 880.

Item frequentissimum est, et « *ad hoc, præterea, pari modo* » significat plerumque.

Juxta proprie dictum est Jug. 65, 2 et Hist. IV, 19, 77; at sæpius significat « *æque* », id quod rerum scriptoribus, ac præcipue Livio, usitatum est, quem oratores « *æque* » usurpare soleant. Ea vero quæ comparantur per copulativam particulam (*ac, atque, et, que*) conjunguntur: per *ac* Cat. 37, 8; Jug. 45, 2 (juxta ac si); per *atque* Jug. 95, 3; per *et* Cat. 51, 30; Jug. 85, 33; per *que* Cat. 2, 8; 61, 6; Jug. 67, 2; 85, 47; 88, 1. Adde *juxta mecum* (Cat. 58, 5), quæ junctura apud solum Plautum invenitur (Pseud. IV, 7, 62; Pers. 249-250; Aulul. IV, 7, 1; Trin. I, 2, 160; Pœnul. 47), ideoque in obsoletis locutionibus numeranda est.

Longius pro diutius: Cat. 29, 1, *quod neque urbem — longius tueri poterat*; (cf. Cæs. b. g. IV, 1 et passim).

Maturrime (Hist. I, 47; 51, 16); — De qua forma hæc Priscianus (III, 3, 19): « Excipitur *maturrimus*, cujus cum positivus sit *maturus*, tamen, quasi a nominativo *matur*, qui nunc in usu non est, nascatur, in *er* desinentium regulam servavit, id est in *rimus* terminatur. (Cf. Cic. de Orat. III, 20, 74; Cæs. b. g. I, 33; Tac. Ann. I, 63; XV, 74 [1]).

Nave, Jug. 77, 3 *et cuncta a Bestia, Albino Metelloque imperata nave facerant*, obsoleta forma pro *naviter* quod pluribus locis legitur, apud Cicer. ad fam. 5, 1, 23, et Liv. 30, 4; 43, 7. *Nave* ab exoleto adjectivo *navus* oriundum a Plauto usurpatum esse tradit Festus, (p. 169, a, 3 M).

Non modo — sed semper usurpavit Sallustius, *non tantum* autem nusquam apud eum occurrit; contra *tantum modo*, pro *tantum* vel *solum*, sæpissime invenitur.

Postremo utitur, quum id adjungere vult, quod et prægressa et quæ præterea commemorari possunt omnia complectatur (gallice : *en un mot*): Cat. 15, 6, *aliis scorta præbere, aliis canes atque equos mercari, postremo neque sumptui neque modestiæ suæ parcere*. (Cf. 20, 12; 23, 3; 51, 9 et 38; 54, 4; Jug. 2, 3; 3, 1; 10, 2; 13, 6; 16, 3; 31, 12 et 30; 33, 3; 38, 5; 44, 5; 46, 5; 49, 4; 64, 2; 92, 2; 101, 11; 110, 4). Ceterum sensu solito sæpe invenitur. — *Prorsus*, uno loco excepto (Cat. 16, 5, *sed ea prorsus opportuna Catilinæ*,) ubi *omnino* valet, semper ita usurpatur ut significet « *ut paucis complectar* »: Cat. 15, 5; 23, 2; 25, 5; Jug. 23, 1; 30, 3; 66, 1; 76, 4. Qua particula, præcedenti satis vicina, indicatur recta ad finem tendi.

Porro locali significatione, quæ fere antiquorum tantum est, Jug.

1. Sic Anschütz. loc. cit. p. 41.

28, 6, *Sed legiones per Italiam Rhegium atque inde Siciliam, porro ex Sicilia in Africam transvectæ*; figurato sensu : J. 25, 7 *timebat iram senatus*; *porro* (= sed alia ex parte) *animus cupidine cæcus ad inceptum scelus rapiebat*; (Cf. Cat. 46, 46, 2, ubi *porro* = *longius procedendo, altius cogitando*).

Simul crebro connectit sententias, ubi ad id quod in aliqua re gravissimum est adjicitur quod in eadem re non minimi nomenti est: Cat. 16, 4; 17, 7; 19, 2; 20, 3; 56, 5; 58, 4; Jug. 4, 1; 20, 1; 102, 5.

Vero, si sequatur pronomem aut adverbium demonstrativum, vim quamdam oratoriam sermoni addit, ut Jug. 50, 6, *Sin opportunior fugæ collis quam campi fuerant, ea vero consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere*; (cf. Cat. 37, 4; 58, 16; J. 58, 3); — similiter *tum vero* (J. 84, 1; 94, 3; 106, 6; C. 61, 1); — *nunc vero* (C. 52, 10; 58, 5; J. 14, 17); — *quasi vero*, Cat. 62, 15 *quasi vero mali atque scelesti tantum modo in urbe et non per totam Italiam sint;* — *tu vero* (H. IV, 19, 19); — *tibi vero* (J. 102, 7); — *immo vero* (C. 52, 28).

4° Seorsum tractanda videtur locutio *inpensius modo* quod bis in Jugurtha legitur: 47, 3 *inter hæc negotia Jugurtha inpensius modo legatos supplices mittere*; 75, 1 *Ea fuga Jugurtha inpensius modo rebus suis diffidens*. Quæ locutio apud Ciceronem ac Cæsarem plane deest, excepto uno loco Ciceronis, ad fam. XIII, 64, 5. Kritzius (ad J. 47, 3); *inpensius quam modus patiebatur* (*supra modum*) interpretatur; Jacobsius, quem Freundius sequitur, *modo* adverbium esse ait quod vim addit sententiæ et interpretatur: *diligentior quam antea*, vel *nunc primum diligens*, et sic adverbio *modo* temporalem significationem assignare videtur, Marcou vero (in editione Sall. p. 260) *modo* expletivum esse censet, ut *numero* in locutione *sæpe numero*; paulo subtilius Thomas (Sall. edit., Mons, 1877) confert hoc gallicum *ne faire que*, ubi nulla temporalis significationis vestigia apparent. Quod ad me attinet, Jacobsii interpretationem dubiam esse, neque alteri exemplo ullo modo convenire posse arbitror, quum jam in præcedenti paragrapho dixerit Sullustius de incerto atque anxio Jugurtha animo, priusquam pugna, in qua victus est, commissa esset. Kritzii vero sententiam non ita absurdam video; (cf. Hist. IV, 44 *avidior modo properandi factus*); quod si eam rejicias, restat ut illam Marcou, quamquam non exemplis probatam, pro vera accipiamus. Ceterum non negari potest his duobus locis paulo obscuriorem esse sensum.

5° *Eo*. — Particulas loci *ubi*, *ibi* latiore significatione pro demonstrativo pronomine positas occurrere supra docuimus. His adjungi debent: *huc* (J. 47, 2); *quo* (J. 66, 2; 103, 1); *illic* (Hist. III, 50); *unde*,

Jug. 14, 22, *quamquam tibi inmaturo et unde minume decuit vita erepta est;* ac præsertim, *eo*, quod liberius etiam jungitur : Jug. 75, 4, *præterea conquirit ex agris quam plurumum potest domiti* pecoris. Eo *inponit vasa cujusque modi*; (cf. J. 47, 2; 66, 2; 103, 1); J. 60, 1, ubi *quisque legatus aut tribunus curabat*, eo *acerrume miti*, ubi *eo* = *ibi;* J. 35, 10 *sed postquam* Roma *egressus est, fertur sæpe* eo *tacitus respiciens postremo dixisse*; J. 24, 10 (ubi *eo* = *ad id*); Jug. 1, 5 *et* eo *magnitudinis procederent, ubi* (alii : *uti*) *pro mortalibus gloria æterni fierent*; (cf. 5, 2; 14, 3; 21, 1; H. I, 45, 8); Cat. 44, 2 *Cassius semet eo brevi venturum pollicetur*, id est *ad Allobroges*, quod subjectum prægressi enuntiati est.

Eo, pro *ideo*, præcedente *quia* inversa constructione, legitur Cat. 20, 3 et 52, 11, quibus locis *eo* idem valet quod *propterea*, (cf. Gruendel, Quæst. sall. p. 6 sqq.), et pro ablativo neutro demonstrativi pronominis habendum est; adde J. 24, 10, ubi *ut* particula sequitur. Similiter, ubi ante comparativum ponitur, non, ut Kritzius vult, *eo* (vel *quo*) idem valere putandum est quod *tanto* vel *quanto*, (nam de quantitate non agitur), sed ablativus causalis intelligendus est ad prægressum enuntiatum referendus; ex. gr.: Cat. 13, 5 *animus inbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat*; eo *profusius omnibus modis quæstui atque sumptui deditus erat* (*eo*, id est *quia animus imbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat*); Cat. 37, 8 *eos atque alios omnis malum publicum alebat*; *quo minus mirandum est homines egentis..... consuluisse* (*quo*, id est *et eo, quod omnis malum publicum alebat, minus mirandum est*, scilicet *quam si eos malum publicum non aluisset*). Cf. Cat. 1, 3; Jug. 2, 4; 3, 1; 55, 2; 64, 6; 80, 6; 85, 6; 94, 6; ex quibus omnibus locis liquet perperam postulasse Kritzium ut, ubi *quo* vel *eo* cum comparativo esset, alterum membrum, apte respondens, ex antecedentibus suppleretur. Ubi enim Sallustius altera duarum rerum aut augescente aut minuente alteram simul augeri vel minui exprimere voluit, nimirum facere non potuit quin, utraque posita, sententiam integram efferret. Tales autem loci apud eum hi quatuor exstant : Cat. 54, 5, *ita quo minus petebat gloriam, eo magis illum sequebatur*; cf. Jug. 22, 3; 55, 4; 85, 2. Adde J. 31, 17, *atque eo vehementius quo majus dedecus est parta amittere quam omnino non paravisse*, ubi duplex comparatio instituitur.

6° Nonnulla hic adjectiva commemorabimus neutro genere adverbiorum loco posita : *acre* Hist. IV, 2; —*immane* Hist. II, 76, *immane quantum animiex arsere* (Anschuetz), ubi potius ellipsis intelligenda est; (cf. *mirum quam, mirum quantum*); —*immensum* (H. III, 35); cf. Tac. Ann.

III, 30, 52; IV, 27, 3; — *magnum*, Jug. 5, 4, *cujus magnum atque late imperium valuit*, ubi Muellerus et Gerlachius, Cortium secuti, adjectivum cum adverbio junctum esse satis inepte affirmaverunt verba interpretati *magnum fuit atque late patuit;* ac deinde Jacobsius et Freundius *magnum* pro adjectivo prædicativo habuerunt ad verba *imperium valuit* referendo, (sine dubio per appositionem), et contulerunt Cic. Tusc. V, 2, 5, *tibi* (*philosophiæ*) *nos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totosque tradimus.* Ego vero interpretationem Kritzii præferendam puto, qui *magnum* pro adverbio habet, et sic explicat : « Tenendum potius est, quum accusativo id contineatur cujus respectu illud fit quod verbo enuntiatur, adjectivorum quoque neutra isto casu posita eam vim habere ut quo modo vel quo respectu cogitanda sit verbi notio significent. Usu autem factum est ut talis accusativus, propria potestate plane oblitterata, in meram adverbii, verbum vulgari modo definientis, vim abiret. » — *Multum* cum verbo occurrit Cat. 27, 4; 60, 4; Jug. 19, 1; 94, 3; 108, 1; at Jug. 1, 5, ubi *multum* Kritzius interpretatur *respectu multarum rerum* vel *ut in multis fit,* id est *sæpe*, optimi codices *multaque* (non *multumque*) *etiam periculosa* exhibent. — *Recens* legitur adverbii significatione Hist. III, 31 et IV, 23 (Cf. Liv. II, 22, 4; Tac. hist. I, 77; ann. II, 21, etc, et vide Charisium, p. 216, 28.)

7° Adverbiorum accumulatio notanda est Cat. 2, 9 et 20, 10 : *verum enim vero* = at profecto.

8° *Haud* a Sallustio adamatum fuisse videtur, quod a *non* negatione quo modo differat grammatici non consentiunt. Tamen notandum est apud Sallustium semper fere ante adjectiva vel adverbia positum inveniri; uno tantum loco (J. 110, 8) ante participium, quod etiam pro adjectivo facile haberi possit: *haud repulsus abibis.* Locutionem vulgarem *haud scio an*, quæ apud Cæsarem semel et apud Ciceronem sæpius exstat, nusquam adhibuit Noster; item *haud dubito,* quæ apud Ciceronem legitur (de Rep. I, 15), non invenitur. Præterea Sallustius hanc particulam sæpius ante adjectiva ponit quam ceteri scriptores qui eam præcipue cum adverbiis jungere solent.

9° *Præter* adverbium sane est Cat. 36, 2, *ceteræ multitudini diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere, præter rerum capitalium condemnatis*, ut nonnullis locis apud argenteæ ætatis scriptores et apud Ciceronem (ad Quint. frat. I, 1, 5, § 16). Non igitur Prisciano assentiendum est qui nunc pro *præter damnatos*, nunc pro *sine damnatis* positum vult (XVII, p. 1101, XVIII, p. 1197).

10°. Denique hoc notabimus, Sallustium adverbia in *im* desinentia, quæ (exceptis usitatissimis *statim*, *paulatim*, *interim*, *partim*) præci-

pue in antiquiore sermone et apud hujus imitatores inveniuntur, peculiariter adamasse. Hæc vero exempla fere occurrunt : *carptim* (Cat. 4, 2); *singulatim* (C. 49, 4; J. 42, 5); *separatim* (C. 52, 23); *furtim* (J. 4, 7. H. I, 64); *passim* (J. 18, 3; 98, 1); *affatim* (J. 43, 3; 54, 6); *viritim* (J. 49, 4); *confertim* (J. 50, 5); *certatim* (J. 67, 1); *catervatim* (J. 97, 4); *turmatim* (J. 101, 4); *illim* (J. 114, 2); *confestim* (H. inc. 67). Quum autem non minus quatuordecim ejusmodi adverbiorum exempla in Sisennæ fragmentis inveniantur, eum auctorem præcipue Sallustium imitatum esse putat Bruennert (l. l. p. 25); cf. Nene, II, p. 506, sqq.; Bernhardy, hist. litt. Rom. not. 147, ed. IV.

CAPUT V.

DE VERBORUM USU.

I.

Simplicia pro compositis.

Satis sæpe Sallustius simplicia pro compositis verbis veterum more adhibet, qui tamen usus interdum apud Ciceronem ipsum invenitur. *Propinquare* pro *adpropinquare* legitur Hist. IV, 20; (cf. poetas et posteriores scriptores); *quærere* pro *requirere*, Jug. 98, 3; (cf. Cic. in Verr. II, 1, 10, 29); *capere* pro *accipere*, Jug. 85, 18, *Ergo invideant labori, innocentiæ, periculis etiam meis, quoniam per hæc illum cepi*; (cf. Cat. 29, 2 [1]; Jug. 32, 1 [2]; 37, 3, Hist. I, 84 ex conject. Kritzii); *suetus* pro *consuetus*, (H. I, 10; II, 77 et 78), quod etiam interdum apud Ciceronem legitur; *ferre* pro *proferre*, Hist. III, 82, 22, *vindices, uti se ferunt, libertatis*; *terrere*, pro *deterrere*, H. I, 45, 6, *metu gravioris servitii a repetunda libertate terremini*; (cf. *terrere quonimus* apud Livium et Tacitum; *terrere ne* apud Livium, et vide quæ de hac re scripsit Schultzius, l. c. p. 40).

II.

Genera verbi.

1° Verba activa nonnunquam *intransitive* usurpantur, ut *matu-*

1. *Ne quid respublica detrimenti caperet* (cf. H. I, 51, 21), solemnia verba in publico periculo a senatu pronuntiata; (cf. Cic. Mil. 20, 70; in Cat. I, 2, etc.; Cæs. b. c. I, 5, 3; I, 7, 4; Liv. III, 4 etc); at *detrimentum accipere*, (Cic pro Man. 6, 15, etc).

2. *Captæ pecuniæ* (*arcessebat*), formula antiqua; at J. 40, 1 *quique — pecunias accipiebant*, verbum compositum usurpatum est.

rare (Cat. 18, 8; 36, 3; Jug. 22, 1; 36, 1; 79, 5; H. I, 85; I, 51, 6); cf. Ter. Cic. et Cæs.; *properare*, quod semper transitivum est apud Ciceronem et Cæsarem, activa vi ponitur Jug. 105, 2 *itineris properandi causa*; J. 37, 4, *aliaque quæ incepto usui forent properare*; J. 112, 2, *properato itinere*; *augere*, vel passiva vi (= *auctum esse*), vel intransitiva (= *incrementum capere*), Hist. I, 51, 6 *populi Romani magnitudinem* auxisse; cf. Cat. p. 8, 6, Lucr. II, 1163.

Contra intransitiva nonnulla activa significatione posita occurrunt, ut *festinare*, poetarum more, Jug. 77, 1, *ni id festinaret*; (cf. J. 81, 4); Hist. I, 117, *profectionem festinantes;* Hist. inc. 74, *soleas festinare*; Servius ad Virg. Æn. XII, 425: « Atqui sicut nos *properare* dicimus, ita antiqui *festinare* pro *dare* dicebant (sic restituit locum Dietschius). Sallustius etc. » —Jug. 64, 6, *et animo cupienti nihil satis festinatur*; item *convenire*, Jug. 112, 2, *pax conventa*, ubi passivæ formæ sensus inintransitivus nest, ut in prisco sermone; (cf. Sisennæ fragm. 43, et substantivum *conventum*); *desinere*, H. I, 25, *bellum quibus posset conditionibus desineret*; (cf. Cic. ad fam. 7,1, *artem desinerem*). Adde *cæpisse* et *incipere*, de quibus vide infra, § 6, verbo *incipere*, ac præterea *pavere*, *mentiri* etc.; (cf. pars III, de Casibus, sub *Accusativo*).

2° Verba *reflexiva* veri nominis apud Latinos, ut apud Græcos, non exstant; itaque, Latini aut verba activa cum reflexivo pronomine, aut medio-passiva verba adhibent. Apud Sallustium verba activa cum reflexivo pronomine hæc fere sunt: *se abdere* (Jug. 38, 5), *adflictare* (Cat. 13, 5), *adpellare* (J. 18, 7), *agere* (J. 56, 5), cf. Tac. et Suet., *celebrare* (J. 85, 26), *condonare* (J. 79, 9), *conrumpere* (J. 33, 4; 76, 6), *curare* (C. 9, 3), *dedecorare* (J. 85, 42), *dedere* (J. 6, 1; 32, 5; 75, 5; Cat. 46, 4), *defendere* (C. 45, 4), *devovere* (H. II, 20), *dilatare* (H. III, 50), *ecferre* (J. 14, 11); *efficere* (H. I, 51, 3), *emergere* (H. IV, 37) [1], *exercere* (J. 63, 3), *expedire* (J. 105, 4), *expurgare* (J. 69, 4), *extollere* (C. 7, 1), *fatigare* (J. 3, 3) [2], *ferre* (H. III, 82, 22); *vindices, uti se ferunt, libertatis* (cf. Liv. IV, 45, 7; Vell. I, 11, 1) = *uti se jactant, se proferunt*; *gerere* (J. 55, 1; 54, 2); cf. Cic. et posteriores; *habere* (C. 2, 3; 52, 12; J. 17, 7; 53, 8; 54, 4; 85, 23), *instruere* (H. I, 97), *invitare* (H. IV, 26), *occultare* (J. 12, 5), *onerare* (J. 91, 2), *ostendere* (J. 55, 8; 74, 2; 85, 31; 101, 1; 105, 3), *ostentare* (H. inc. 29), *perdere* (C. 36, 4), *præcipitare* (J. 41, 9), *proripere* (C. 32,

1. Rarissimum est hoc verbum activa vi, ac nescio an tantum participio inveniatur : *emersus* (Cic. Divin. II, 63; Liv. I, 13; Tac. Ann. I, 65; Ovid. Met. XV, 186, Fast. III, 399), aut cum pronomine reflexivo, ut Auct. Ætn. 118, Avien. Perieg. 126 et Manil. V, 198.

2. *Se fatigando*; *se*, quod in duobus codicibus deest, suspectum videtur Kritzio, parum recte, ut opinor.

1), *recipere* (J. 50, 5; 54, 3; 58, 6; H. I, 97; II, 39), *tegere* (J. 60, 1), *tradere* (C. 54, 3; J. 26, 1; 62, 3), *tutari* (J. 94, 4).

Sæpe etiam passivæ formæ vim reflexivam habent, at tamen apud Sallustium rarior est hæc consuetudo quam apud Ciceronem. Duo verba tantum a Sallustio primo hoc sensu usurpata esse videntur: *advolvi*, Hist. inc. 60, *genua patrum advolvuntur* (Cf. Tac.); *præcipitari*, Hist. I, 12, *ex quo tempore majorum mores non paulatim, ut antea, sed torrentis modo præcipitati;* (cf. Ovid. Trist. I, 3, 47, *Nox præcipitata*); at Jug. 14, 23 et 58, 6, (*cum alii super vallum præcipitarentur,* id est *super vallum procedentes e vallo præcipitarentur*, prægnanti sensu), ut apud Ciceronem, de Rep. II, 2, 3, Mat. ap. Cic. ad Fem. II, 28, 5, (*præcipitata*), vis passiva intacta est.

3° *Verba deponentia.* — *a.* — Antiquorum ætate notum est multa verba activa vi adhibita fuisse, quæ postea pro deponentibus habita sunt. Ex quibus unum adhibuit Sallustius, Jug. 43, 1, *provincias inter se partiverant;* (cf. Prisc. VIII, 6, 29; Plaut. Asin. II, 2, 5; Mil. glor. III, 1, 112; Lucil. ap. Non. 7, 64; Afranium, Ennium, Accium, Lucretium, ac Cicer. de leg. III, 3, 7). Quæ forma activa nusquam apud aureæ ætatis scriptores invenitur; at contra participium *partitus* passiva significatione omnibus ætatibus usitatum fuit. Sallustium imitatus est Tacitus, Ann. XII, 30.

b. — Verbi *solere* perfectum prisca ætate formam activam *solui* habebat, quam servavit Sallustius Hist. II, 64; Priscian. IX, 10, 54, p. 468. Kr.; cf. eumdem VIII, 11, 61 p. 403, et Varr. de ling. lat. IX, 61, p. 233, ed. Müller: *Sequitur ut, quoniam est* soleo, *oporteat dici* solui, *ut Cato et Ennius scribunt, non, ut dicit volgus, solitus sum;* ac præterea Cat. fragm. 89, 34 (Jordan), et Cœl. fr. 43.

c. — Contra pro *placuit, placitum est* dicebant antiqui, quam formam Cicero ipse adhibuit; similiter Sallustius *placitus* participium intransitiva significatione usurpavit, Jug. 81, 1, *in locum ambobus placitum* (= *qui placuerat* vel *placebat*); cf. Virgil. Ovid. Tac. Justin.; item *senectus*, a *senescere*, legitur Hist. IV, 64; inc. 86, ac *suetus*, Hist. I, 10; II, 77 et 78, ut apud poetas et posteriores scriptores; cf. Tac. Ann. II, 52 (*suesceret*), ipsumque Ciceronem, de Nat. III (*suerunt*), Epist. XV, 8 (*suevi*), VI, 8 (*suescent*) et *suetus*, in epistolis, passim.

d. — Verbum forma deponentiali, *comperior* quod prisca ætate adhibitum a classicis auctoribus rejectum est, Sallustius servavit Jug. 45, 1; 108, 3; cf. Prisc. 8, 5, 26 p. 297; Ter. Andr. V, 3, 31; Gell. III, 3, 1; Appul. Met. II, 21. Sine ulla causa est differentia a Diomede I, p. 373 facta inter *conperior* et *conperio*.

e. —Complura alia deponentia constat passiva vi a bonis scriptoribus, etiamque a Cicerone usurpata esse, ut *interpretari* (Cic; cf. Sall. Jug. 17, 7); *ulcisci* (Liv. 5, 49); cf. 2, 17 (ob iras graviter ultas); Enn. ap. Non. 292, 16, (activa vi), et Sall. Jug. 31, 8, *quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur*, ubi etiam notanda est passiva forma *nequitur* quæ aut ex infinitivo præcedente per analogiam originem ducit, (cf. *potestur, cœptum est*), aut, ut alii volunt, ad imitationem Catonis (Jord. p. 8, 17), Pacuvii, Plauti, Terentii, Lucretii positum est. Cf. Festus (Neue II, p. 472, Holtze II, p. 20): « Nequitum et nequitur pro non posse dicebant, ut Pacuvius cum ait: Sed cum contendi nequitum vi, clam tendenda est plaga, etc. » — At nonnulla etiam rarissima et obsoleta, præsertim participio, ex antiquis mutuatus est Sallustius: *adipisci*, participio: Jug. 101, 9, *dum prope adeptam victoriam retinere cupit;* cf. Catil. 7, 3, ac præterea Plaut. Trin. II, 2, 88; Q. Fab. ap. Prisc. VIII, 4, 16; C. Fann. fr. 8 P (vid. Neue p. 198), Tacitum et posteriores [1]; at naturam verbi deponentialem decies non neglexit Sallustius (Cat. 11, 7; 23, 6; 39, 4; 54, 3; 61, 7; Jug. 4, 4; 20, 1; 41, 4; 77, 3; 85, 1); — *dilargitus*, Hist. I, 36; (cf. Lact. 7, 1, 13); — *enisus* [2], Jug., 25, 2; (at vi deponentiali J. 22, 2); — *frustratus*, Jug. 58, 3; (cf. Sisenna, fr. 102); — *interpretatum* nobis est, J. 17, 7; (cf. Cic. de leg. 2, 12); — *ludificatus*, Jug. 50, 4, et fortasse J. 36, 2, ubi Kritzius, Orellius, Dietschius, Jacobsius, Arusiani auctoritatem secuti, *ludificari*, pro *ludificare*, quod omnes fere libri exhibent, in textum receperunt; (cf. Plaut. Truc. 1, 1, 5; 2, 2, 8; Bacch. 4, 4, 3 etc.); — *machinatus*, Cat. 48, 7; Hist. III, 38; II, 29, 3 [3].

Adde *calvi* (Hist. III, 96, *ille calvi ratus*), quod vi deponentiali est in Pacuv. fragm. apud Non. p. 7, 6 et 192, 32; Att. ap. Non. 6, 33; Lucil. ap. Non. p. 7, 2; Gaj. Dig. 50, 16, 233; Plaut. Cas. 2, 2, 4; Nullum vero exemplum activarum formarum invenitur, etsi Prisc. p. 833 P. præteritam *calvi* agnoscit. Vi passiva infinitivus *calvi*, præter locum supra laudatum, legitur in Pacuv. ap. Non. 6, 29, ita ut non facile dignosci possit utrum Sallustius formam deponentialem vi passiva adhibuerit, an passivam formam, prisca ætate vere usitatam, usurpare voluerit.

f. — *Cœpi*, perfecto passivi, sequente infinitivo passivi, *personaliter* usurpatum, semel tantum apud Sallustium occurrit, Jug. 27, 1, *Quod postquam Romæ cognitum est, et res in senatu agitari cœpta*, quæ

1. Exemplum Ciceronis, de Senect. 2, a lexicis allatum parum certum est.
2. Hujus verbi passiva vi nullum exemplum ante Sallustianum hoc ad nos pervenit.
3. Item ante Sallustium nullum hujus verbi simile exemplum invenimus.

constructio apud Cæsarem interdum, apud Ciceronem et Livium sæpissime invenitur; nusquam vero *cœptum est*, indefinito sensu, reperitur.

At sæpissime *cœpit* cum infinitivo passivi jungitur, non solum ubi verbum infinitivo positum mediam significationem habet, ut Jug. 41, 10, *moveri civitas et dissensio civilis quasi permixtio terræ oriri cœpit*, (cf. Hist. III, 77, 9), quæ constructio apud Ciceronem ipsum est Brut. 27, 106 (*fieri*); Epist. ad fam. 14, 18, 1 (*fieri*), sed etiam ubi passiva significatio reipsa inest, ut Jug. 92, 1, *major atque clarior haberi cœpit*, et Cat. 12, 1 (*haberi, duci*), quibus tamen locis Draegerus mediam significationem videt; at Hist. III, 80, *et delectæ cohortes intellegi cœpere*, et Cat. 51, 40, *circumveniri innocentes, alia hujusmodi fieri cœpere*, vis passiva dilucide apparet, quæ quidem apud Cæsarem et Ciceronem plane deest; Cf. auct. ad Herenn. IV, 9, 14, *cœpit defricari*, Nep. Epam. 10, 3, ac præsertim Livium, Tacitum, Suetonium et poetas.

4° *Impersonalia verba.* Multa inter impersonalia verba prisca ætate personaliter usurpata interdum inveniri constat. Sic apud nostrum verbum *pœnitere:* Hist. I, 53 *Lepidum pœnitentem consilii*, inc. 77 *non pœniturum*; cf. Cic. Phil. 12, 2; ad Att. 2, 42; Liv. 36, 23; Plaut. Stich. I, 150 *me quidem hæc conditio nunc non pœnitet*; Apul. Met. 5, 6; Just. 11, 3; 31, 6; Suet., Claud., etc. Contra verbum personale *solere* impersonaliter usurpatur pluribus locis: Hist. I, 73 *nullo, ut in terrore solet, generis aut imperii discrimine;* H. II, 64; III, 52; 78; 89; Jug. 25, 3; 59, 3)[1]; absolute, sed personaliter: Cat. 29, 2; 30, 2; Jug. 15, 5; 66, 2.

III.

Verba frequentativa [2].

Nullum alium scriptorem in usurpandis verbis frequentativis tam crebrum fuisse quam Sallustium affirmari potest; qui usus profecto archaïsmo tribuendus est, quum apud veteres scriptores ac præsertim historicos ejusmodi verba sæpissime inveniantur, et multa ex eis, a probatis scriptoribus plane neglecta et simplicibus reddita, ab antiquis frequententur, velut *ductare* apud Plautum frequens (cf. Quintil. VIII, 3, 44; Tac. hist. II, 100), *pollicitari* comicis usitatum, *negitare*, vox priscis poetis propria. Hæc fere verba frequentativa apud Sallustium

1. Rarior illa quidem structura, exstat tamen Cic. Cluent., 59, 161, et apud Plautum et Terentium.

2. Cf. Marcou, ed. Sallust., p. 263 — 4; Schultze, p. 67 et 74; Bruennert, p. 40; Garbari, p. 10; Badstübner, p. 14 — 15.

inveniuntur, quorum pleraque pro simplicibus, nulla addita propria significatione, posita videntur:

Agitare, activa vel passiva vi positum innumeris fere locis occurrit: propria significatione, Jug. 60, 4, *aut niti corporibus et ea huc illuc — agitare* (cf. J. 53, 1; 79, 6); — de animi vehementi perturbatione, Cat. 5, 7, *agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum* (cf. Jug. 25, 6); — de iis quæ cogitamus et mente quasi huc illuc volvimus, Cat. 57, 2, *ex difficultate rerum eadem illa existumans, quæ supra diximus Catilinam agitare* (cf. C. 20, 5; 53, 4; J. 63, 1; 93, 2; H. I, 61); — de rebus quos maximo opere perficere studemus, Cat. 24, 2, *neque tamen Catilinæ furor minuebatur, sed in dies plura agitare* (cf. C. 27, 3; 42, 2; J. 14, 2; 35, 4; 39, 5; 54, 2, *ubi gentium aut quid agitaret*). Adde hæc variis significationibus conspicua exempla: *agitare imperium* (Cat. 9, 5), pro *imp. exercere*; — *agitare pacem* (J. 14, 10; 29, 7; 109, 2); cf. *agere pacem* (H. IV, 19, 1); — *agitare bellum* (J. 109. 2); — *agitare moras* pro *morari* (J. 81, 4); — *agitare gaudium atque lætitiam* (C. 48, 1); cf. Cat. 61, 9 *ita varie per omnem exercitum lætitia, mœror, luctus atque gaudia agitabantur*; — *agitare præsidium* (J. 55, 4; 85, 33); cf. J. 59, 1 *equitatum omnem pro castris agitare jubet* (item J. 94, 4), ubi verbum *agitare* absolute positum est, de qua constructione vide infra, pars tertia, cap. II, *de casibus*, sub Accusativo.

Consultare cum dativo junctum occurrit, eadem significatione qua simplex *consulere*, Cat. 6, 6 *delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, rei publicæ consultabant* (Cf. Aurel. Victor, *Cæs.* 15, fin.) Solus inter commentatores Marcou in sua de *sermone sallustiano*, ceterum laude digna, dissertatione, (ed. Sall. p. 263), notionem diuturnitatis frequentativo verbo hic addi putat, et postquam in loco dissimili (Cat. 52, 3 *res autem monet cavere ab illis magis quam quid in illos statuamus consultare*), gallice vertit « *delibérer longuement* », id est *longo spatio consulere*, hoc loco interpretatur « *formaient le conseil permanent de la République* », id est *perpetuo rei publicæ consulebant*, quod quidem paulo subtilius videtur.

Portare frequentativum verbum esse docet Dœderlinus, Syn. Lat. I, p. 150, ac de rebus gravioris ponderis dici, quod etiam de iis locis valere videtur, quibus commode pro *trajicere* vel *transmittere* sumi potest, velut Jug. 27, 5, *deinde exercitus qui in Africam portaretur scribitur*; (cf. 36, 1; 39, 4). Notandus est locus Cat. 65, *sociis atque amicis auxilia portabant*, insolens locutio, quæ nescio an nullus alius scriptor usus sit (Dietsch).

Ductare (Cat. 11, 5; 17, 7; 19, 3; Jug. 38, 1; 70, 2), vox rara a Tacito quoque adhibita; Plautus vero et Terentius eam sensu obscœno usurpaverunt; confer quæ Quintilianus ait (Inst. orat. VIII, 3, 44) : « Sed quoniam vitia prius demonstrare aggressi sumus, vel hoc vitium sit, quod κακέμφατον vocatur : sive mala consuetudine in obscœnum intellectum sermo detortus est, ut *ductare exercitus*, et *patrare bellum*, apud Sallustium dicta sancte et antique, ridentibus, si diis placet; quam culpam non scribentium quidem judico, sed legentium : tamen vitanda, quatenus verba honesta moribus perdidimus, et vincentibus etiam vitiis cedendum est. » Hoc verbum usurpavit Tacitus (Hist. II, 100).

Cetera frequentativa hæc fere sunt :

Adflictare (C. 31, 3); *adventare* (C. 56, 4; J. 28, 2; 36, 4; 53, 7; 99, 1; H. III, 77, 20); *amplexari* (C. 52, 5); *captare* (C. 20, 3); *cœptare* (H. I, 51, 16); *defensare* (J. 26, 1; 60, 3; 97, 5), Cicero usurpat *defensitare*; *dictitare* (J. 84, 1); *exagitare* (C. 14, 3; 29, 1; 38, 1; 48, 5; 51, 32; J. 73, 5; 84, 5; 72, 2; 63, 2; 34, 2; H. I, 51, 7); *exercitare* (C. 56, 2); *grassari* (J. 1, 3; 64, 5); *imperitare* (J. 19, 7; 76, 1; 79, 2; 81, 1; 102, 6; H. I, 45, 10); *missitare* (J. 38, 1); *negitare* (J. 111, 2); *objectare* (J. 7, 1; 85, 14; 94, 4; H. I, 45, 18); *occultare* (J. 12, 5; 15, 4; 49, 5; 68, 4; 90, 3; C. 23, 2); *occursare* (J. 12, 5; 85, 3); *ostentare* (J. 7, 2; 23, 1; 31, 10; 49, 4; 61, 2; 66, 1; 85, 29; 89, 1; H. I, 57; II, 27; III, 82, 20; IV, 19, 8 et 15; inc. 29); *pollicitare* (C. 38, 1; J. 8, 1); *prospectare* (J. 60, 3); *rogitare* (C. 31, 3); *sustentare* (C. 53, 5; J. 56, 6; 97, 5; 101, 9, etc; H. I, 51, 8 et 17); *tentare*, cujus significationes inter se maxime diversæ (C. 6, 4; 17, 1; 26, 5 etc.; J. 7, 1; 18, 7; 23, 1; 29, 1, etc; H. I, 51, 11 et 17; H. II, 63, etc.); *tutari* (J. 52, 4; 76, 3; 85, 45; 89, 2; 94, 4; 102, 12; 110, 6)[1].

IV.

Verba singularia [2].

Hic vero permulta verba enumerare placet, quæ aut detorta significatione a Sallustio usurpata sunt, aut apud Cæsarem et Ciceronem desunt, aut a poetis tantum vel a priscis auctoribus adhibita occurrunt :

Accidere, de hominibus dictum insolentius, vim habet irruendi

1. Ex his verbis pleraque apud Bruennertium quoque leguntur.
2. In hoc paragrapho tractando multa ex libello viri docti Oestling hausimus.

Jug. 107, 6, *ac statim profecti, quia de improviso acciderant, incolumes transeunt*; (cf. J. 88, 6, et Cæs. b. g. 3, 14, *missa a Gallis tela gravius accidebant.* — *Adesse* pro adgredi, impugnare, Cat. 52, 18, *jam omnes feroces aderunt*; (cf. Jug. 50, 4; Hist. IV. 19, 18; præterea Liv. 22, 32; 25, 34; Tac. Ann. 4, 25). — *Addere* sæpe dicitur de iis quæ hominum animis excitantur, aut quibus ornantur et instruuntur : Cat. 58, 1, *Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere*; (cf. C. 54, 2; J. 18, 2; 37, 4; 42, 4; 73, 4; 94, 2.) — *Adnectere*, insolenter junctum H. IV, 17, *equis paria operimenta erant, quæ lintea ferreis laminis in modum plumæ annexuerant*, pro « *quibus laminas annexuerant* ». — *Advenire*, pro evenire, contingere, J. 111, 1; item *venire* occurrit J. 103, 2, *tum rursus Bocchus, seu reputando quæ sibi duobus prœliis venerant.* — *Adfectare*, pro studiose quærere, sibi conciliare studere, Jug. 66, 1, *civitates quæ ab se defecerant formidine aut ostentando prœmia adfectare;* (cf. Vell. II, 39, 1; Tac. Hist. IV, 66, 1). — *Amare* sensu obscœno, ut apud Plaut. Ter. Horat., C. 11, 6; J. 85, 41. Ut φιλεῖν apud Græcos, Jug. 34, 1, *atque aliis omnibus quæ ira fieri amat*; (cf. H. inc. 78); de constructione cum accusativo et infinitivo, confer *volo, mihi placet*; at cum accusativo solo legitur J. 41, 3; utraque constructio occurrit apud Horat. Carm. I, 2, 49, *hic magnos potius triumphos, hic ames dici pater atque princeps.* Cf. Kritz. ad J. 34, 1. — *Amittere*, pro dimittere, H. inc. 51, *pactione amisso Publio legato* (cf. Plaut. et Ter.) — *Aperire* de re incognita alicui patefacta haud infrequenter invenitur : Cat. 22, 2, *aperuisse consilium suum*; Jug. 33, 3, *nisi socios sceleris sui aperiret*; (cf. C. 40, 6; 41, 4; 45, 1; 47, 1; 58, 3; J. 33, 4.) — *Antecapere*, pro eo quod est apud Ciceronem « *antevertere, prævertere* », Cat. 55, 1 *noctem*; J. 21, 3 *tempus legatorum*; (cf. C. 13, 3); similiter *antevenire* (J. 48, 2; 56, 2; 88, 2), at pro *superare* positum est Jug. 4, 7, *etiam homines novi, qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire;* (cf. J. 96, 3 et Tac. Ann. I, 63; IV, 18). — *Ante ponere*, cum tmesi, Jug. 15, 1, *non verba inimici ante facta sua ponerent*, pro « *factis suis anteponerent* », nusquam alibi est nisi apud Ennium, et Cicer. de off. 1, 24, 48; itaque pro archaïsmo habendum est. — *Appellare* sæpe ita usurpatur, ut aliquem oratione adire significet : Cat. 17, 1; 59, 5; Jug. 22, 5; 96, 2; 106, 1; 112, 1; 113, 1. — *Aptus* pro « *aptatus* », H. III, 86, *socordius ire milites occœpere non aptis armis*; (cf. Liv. 5, 49, 10; 33, 22, 5); id est: armis expeditis atque ita compositis ut ubi usus veniret ad manum atque in promptu esse possent. Participium est prisci verbi *apere*, quod Cicero quoque adhibuit Tim. 5; de nat.

deor. II, 38, 97; orat. 70, 235. — *Atterere* (Ciceroni in participio tantummodo usitatum), pro imminuere : Cat. 16, 2, *ubi eorum famam atque pudorem attriverat;* Jug. 5, 4; 79, 4; 85, 46. — *Attinere* pro retinere, Jug. 108, 3, *sed ego comperior Bocchum simul Romanos et Numidam spe pacis attinuisse*; (cf. H. I, 51, 16). Hoc verbum apud Ciceronem et Cæsarem aliosque optimæ latinitatis scriptores non invenitur; frequens autem est in quotidiano veterum comicorum sermone ex quo ii qui archaïca amabant, ut Sallustius, Tacitus, Fronto, videntur mutuati esse. — *Benefacere* Sallustius ex Catonis sermone repetiisse videtur, qui permulta exempla habet (Cf. Jordan. p. 24, 15; 37, 21; 37, 19; item *malefacere*, 24, 6; 37, 21); idque legitur Cat. 3, 1, *pulchrum est bene facere rei publicæ*, ubi recte Kritzius animadvertit hoc non esse : beneficia conferre in rempublicam, sed proprie, quod opposita verba (bene dicere) docent, factis egregiis de republica mereri; cf. Jug. 85, 5, *quippe bene facta mea rei publicæ procedunt*; item Cat. 8, 5; Hist. I, 51, 4 et 6; paulo aliter J. 22, 3, *quo plura bene atque strenue fecisset, eo animum suum injuriam minus tolerare;* (cf. J. 85, 9). — *Causari*, pro causam afferre, fingere, Hist. V, 13, *sed ubi ille militum voluntatem causatus* [1]. — *Cedere*, pro eo quod est apud Ciceronem: procedere, Cat. 26, 5, *postquam Catilinæ neque petitio neque insidiæ — prospere cessere;* (cf. C. 52, 29; J. 20, 5, et Nep. Datam. I, 2). — *Censere* arma, brachylogia pro « *censere arma capienda* », H. III, 82, 17; (cf. Cæs. Bell. gal. 7, 77; Liv. 10, 12; et Jug. 84, 1, *jubere legem*; Cat. 30, 6, *decernere præmium*). — *Circumvenire* insolenter dictum J. 68, 2, *planitiem locis paulo superioribus circumventam*; (cf. Curt. 5, 1, 28). — *Coalescere* (C. 6, 2; J. 87, 3; 93, 4), vox Ciceroni non usurpata, sed apud Livium, Tacitum, Quintilianum satis frequens. — *Colere*, insolenter pro habere J. 85, 34, *neque illos arte colam, me opulenter*. — *Collubet*, quod apud Plautum tantummodo frequentius invenitur, personaliter usurpatum est, C. 51, 9, *matres familiarum pati quæ victoribus collubuissent*. — *Condere* insolenter junctum, H. IV, 19, 17, (*Romanos*) *peste conditos orbis terrarum*, idest *ex perditissimis hominibus et quasi sentina orbis terrarum collectos et in civitatem compositos;* H. I, 75, *cui nomen oblivionis condiderant*. — *Commori*, vox rarissima, H. 1, 91, *obviam ire et commori hostibus;* (cf. Sen. Ep. 77). — *Competere*, pro valere, compotem esse, H. I, 88, *neque animo, neque auribus aut lingua competere*, vox fere argenteæ ætatis; (cf. Liv. 22, 5; Tac. Ann. 3, 46; Hist. 3, 73).

1. Errat igitur Krebsius, antib. p. 207, quod voce illa quemquam ante Livium scriptoremusum esse negat.

— *Concedere*, pro venire, Jug. 18, 12, *victi omnes in gentem nomenque imperantium concessere*; (cf. Cat. 20, 7; H. I, 11, et Liv. 29, 29). — *Conspicari*, pro conspicere, vi activa, J. 49, 4, *cum interim Metellus, ignarus hostium, monte degrediens cum exercitu conspicatur* (scil. eos); vox illa Ciceroni non usurpata a Cæsare, Plauto, Terentio frequentata est. — *Conspici*, pro oculos in se convertere, Cat. 7, 6; (cf. Livium). — *Consternari*, vi deponentiali, teste Prisciano, VIII, 15, 83, p. 419 Kr., qui fragmentum laudat H. I, 98, *equi sine rectore exterriti aut saucii consternantur*. Cf. (sed passiva significatione) Ovid. Met. 2, 314, *Consternantur equi* (id est *perterrentur*), *et saltu in contraria facto, Colla jugo eripiunt*. — *Considere*, de militibus stationem occupantibus frequens est: Cat. 57, 3; Jug. 21, 2; 41, 1 et 5; 51, 3; 52, 6; 91, 3; 98, 5; 106, 5). — *Consuefacere*, pro assuefacere, J. 80, 2, vox potissimum Terentii. — *Consulere* cum adverbio junctum, (quam structuram prorsus aspernatus est Cicero), sæpe invenitur, ut Jug. 13, 8, *consulere gravius*; 95, 3, *honestius*; Cat. 51, 4, *male*; C. 52, 29 et J. 92, 2, *bene*. — *Cunctari* sequente enuntiato relativo, pro deliberare, C. 52, 31, *vos de crudelissimis parricidis quid statuatis cunctamini*; (cf. Suetonium). — *Dare dono* apud Sallustium quasi formula est; legitur autem Jug. 5, 3; 85, 38; Hist. I, 45, 17, II, 50, 5 et 12; III, 82, 27. — *Degredi*, a Cicerone et Cæsare non usurpatum, bis legitur apud Sallustium, J. 49, 4, *monte degrediens*; cf. J. 50, 1, ac præterea Livium et Tacitum. — *Demissus* insolenter de hominum externa conditione dicitur, C. 51, 12, *qui demissi in obscuro vitam habent*. — *Deprecari* prægnanti sensu, Jug. 104, 4, *errasse regem et Jugurthæ scelere lapsum deprecati sunt*, idest *deprecantes dixerunt*. — *Detractare* insolenter junctum, J. 53, 8, *adversæ res etiam bonos detrectant*, pro de bonis vel de fama bonorum detrahere; (cf. Tac. Dial. de Orat. 11). — *Dilabi*, de tempore dictum, J. 36, 4, *sed postquam dilapso tempore comitiorum dies adventabat*, ubi *dilapso tempore* idem quod *tempore frustra contrito* valere videtur. — *Disjicere*, pro dissipare, dispergere, Jug. 50, 6, *disjectos ab tergo aut lateribus circumveniebant*; (cf. J. 53, 3; C. 61, 3); hoc verbum, rarum apud veteres, apud posteriores scriptores sæpe invenitur. — *Discernere*, proprio sensu, ut apud poetas, Livium et posteriores, J. 79, 3; apud Ciceronem vero semper translate dicitur. — *Dolet mihi* apud antiquiores scriptores pro *dolorem mihi affert* Kritzius et Dietschius recte quidem dicunt, (cf. Plaut. Epid. I, 2, 44; Men. II, 3, 84; Capt. I, 2, 49; Cist. II, 1, 20; Terent. Eun. I, 2, 3; Ad. IV, 5, 48); eos autem imitatum esse Sallustium, (Jug. 84, 1, *alia præterea magnifica pro se et illis dolentia*) negat Schultzius (l. l.

p. 50); Cicero enim pluribus locis simili modo loquitur (Ep. ad Brut. I, 17; pro Murena, 20, 42; de Orat. I, 53, 230, etc). Hoc vere dici potest participium *dolens* activa significatione perrarum esse, sæpius contra *dolet mihi* impersonaliter eum dativo junctum. Ad J. 84, 1, quod attinet, Herzogius *mihi* pro dativo remoti objecti vel dativo incommodi habendum censet, neque a verbo *dolere*, ut vult Kritzius, pendere arbitratur, quam sententiam validioribus argumentis probari necesse esset.[1] — *Exagitare* semper ita usurpatur ut vehementer aliquem aut aliquid commovere, vexare, irritare significet: Cat. 14, 3, *postremo omnes quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat*; 19, 1; 38, 1; 48, 5; 51, 32; J. 34, 2; 63, 2; 72, 2; 73, 5; 84, 5. — *Excire*, participio tantummodo perfecti passivi *excitus*, Cat. 15, 4; 37, 7; J. 72, 2; 99, 2; apud Cæsarem et Ciceronem rarissimum. — *Exercere* de iis dicitur, quæ continuo tractantur, quæ ita factitantur ut nihil, quod ad eos pertineat, neglegatur, ut *victoriam* exercere (C. 38, 4, J. 16, 2); *quæstionem* (J. 40, 5); *simultates* (C. 9, 2); *inimicitias* (C. 49, 2); *gratiam aut inimicitias* (C. 51, 16). — *Expurgare* (= excusare), pro purgare, quod est apud Ciceronem, C. 31, 5; J. 69, 4. — *Exquirere* aliquem, pro sententiam alicujus, apud solum Sallustium exstare videtur, Cat. 50, 1, *partim exquirebant duces multitudinum*. — *Facere* fugam (J. 53, 3; 58, 4), pro se dare in fugam, fugere, ut apud Liv. 8, 9; huic dictioni alias subjicitur vis fugandi. — (Nihil reliqui, *vel* reliquum) *facere* aut pro nihil relinquere est, ut Cat. 11, 7; 28, 4; 52, 4; aut pro nihil omittere, intermittere, Jug. 76, 4, *contra hæc oppidani festinare, parare, prorsus ab utrisque nihil reliquum fieri*; quæ significatio satis rara exstat tamen Cæs. b. g. 2, 26; Nep. Attic. 21, 4. — *Ferire* hostem (Cat. 7, 6; 60, 4, Jug. 85, 33), apud solum Sallustium, si vocem Ennii (Ann. 8, 40), apud Ciceronem (Balb. 22), excipias, videtur exstare. Et formula est veterum, quam Herzogius « *cominus pugnando occidere* » interpretatur; confer *securi ferire* (Cic. Verr. II, 1, 30, 75); et Jug. 6, 1, *ad hoc pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus aut in primis ferire*. — *Flagrare* inopia, paulo insolentius pro inopia laborare, H. I, 51, 7, *flagrantes inopia et cupidinibus*, ubi zeugma admittendum est. — *Frequentari* cum solo ablativo personæ concinnitatis causa jungitur, J. 48, 4, *ea* (loca) *consita arbustis pecore atque cultoribus frequentabantur*. — *Fugere* insolenter junxit Sallustius simul cum adverbio loci et accusativo objecti, H. II, 5,

1. Ceterum notandum est hanc locutionem in iis quæ e latina lingua orta sunt idiomatibus perstitisse, ex. gr., in Gallia meridiana, *me dol* (*duol*) = *mihi dolet*, unde facile concludi potest hanc structuram continuo in vulgari sermone viguisse.

Dædalum ex Sicilia profectum, quo Minonis fugerat iram atque opes. — *Gerere*, concinnitatis causa dictum, Jug. 55, 1, *ut seque et exercitum more majorum gereret;* cf. J. 46, 8; 85, 47; H. inc. 5. — *Gliscere*, H. III, 35, *neque jam sustineri poterat immensum aucto mari et vento gliscente*, vox Livio et Tacito usitatissima. — *Habere* pro agere, C. 4, 1, *mihi reliquam ætatem a re publica procul habendam decrevi* (cf. C. 51, 12; J. 85, 41); item *silentium habere* pro *agere* (J. 99, 1), cujus locutionis nullum aliud exemplum cognovi; (*gravius*) *habere*, pro ferre, C. 51, 11 (cf. Liv. 7, 5). — *Imminuere*, pro turbare, J. 65, 1, *mente paulum imminuta*; (cf. Tac. Ann. 6, 46). — *Immittere*, pro subornare contra aliquem, maligno animo mittere, C. 48, 8, *alii Tarquinium a Cicerone immissum aiebant*; (cf. Just. IX, 7, 1; XXXII, 2, 9; Tac. Ann. III, 16; Plin. Ep. VI, 31, 3). — *Incipere* cum accusativo junctum: C. 20, 3, *facinus:* C. 51, 5, *bellum* (cf. J. 66, 1; 80, 3 et 5; 83, 1); J. 70, 1, *deditionem*; — forma passiva exstat, J. 21, 2, *prælium non inceptum*, 57, 3; 74, 2; (cf. Cæs. b. g. J. 17, *si inceptam oppugnationem reliquissent*; Ter. Andr. V, 1, 17; Plaut. Capt. II, 1, 36; Virg. Æn. VIII, 90); — similiter *cœpisse*, ut apud poetas, cum accusativo occurrit, H. IV, 19, 13, *rursus tamen bellum cœpi*, ubi sine necessitate Dietschius correxit *cepi*; (cf. Att. ap. Cic. Divin. I, 22; Plaut. Casin. III, 5, 57; Ter. Eun. IV, 7, 30; Sil. 15, 420; Virg. An. VI, 372; Quint. Inst. or. VI, proæm. 15, *quæ ceperamus*); vi passiva, J. 21, 2, *uno die inter duos reges cœptum atque patratum bellum foret*; (cf. Tac. Ann. XII, 16, 3). — *Insolescere*, vox fere argenteæ ætatis, pro insolentem fieri, esse, C. 6, 7; 16, 3; vox poetis Livio, Tacito usitata; — eodem modo usurpatur *insolens*, J. 100, 1, et *insolentia*, Cat. 23, 4; J. 4, 2; 40, 5. — *Insuescere*, Ciceroni et Cæsari non usitata vox, pro assuescere, C. 11, 6; J. 8, 2; (cf. Liv. Tac. alios). — *Interrogare* legibus, C. 18, 2, P. *Autronius et P. Sulla designati consules legibus ambitus interrogati pœnas dederant*; formula est veteris juris. — *Jubere* insolenter junctum, J. 84, 1, *postquam ei provinciam Numidium populus jussit*, id est *decrevit*; item J. 85, 11; (cf. Kritz. ad J. 84, 1, ac præterea Liv. 9, 43; 10, 12; 42, 33). — *Memorare*, pro commemorare quo Cicero uti solet et apud ipsum Sallustium legitur Cat. 59, 6, sæpissime occurrit: C. 3, 2; 5; 7; 6, 2; 7, 3 et 7; 20, 1; 51, 4; 57, 1; J. 12, 1; 25, 4; 28, 4; 33, 4; 40, 3; 79, 1; 85, 21; 86, 3; 89, 4; H. II, 50, 3). Hoc vocabulum in scriptis quidem Ciceronis est rarissimum, ut observavit Madvigius ad Cic. de fin. II, 5, 15, p. 161, (ed. II), sed apud Plautum, Virgilium ceterosque poetas, item apud Livium et Tacitum satis frequens. — *Mutare* insolentius junctum J. 83, 1, *tamen*

non debere incerta pro certis mutare. — *Monere* in quibusdam formulis Sallustio adamatis legitur : *Moneo hortorque* (H. IV, 19, 23; J. 31, 25); *moneo quæsoque* (H. III, 1, 8; III, 82, 13); cf. *oro atque obsecro* (H. I, 51, 9); *moneo obtestorque* (J. 10, 3); cf. *monet atque obtestatur* (J. 49, 2; 62, 1). — *Niti* sæpe invenitur significans « *summum studium omnemque operam ad aliquid perficiendum impendere* », ut Jug. 3, 3, *frustra niti;* Cat. 38, 2, *contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas senatus specie pro sua magnitudine*; (cf. C. 1, 1; 11, 2; J. 4, 7; 35, 8; 55, 3, etc.). — *Obtruncare* apud Cæsarem et Ciceronem inusitatum, pro interficere, J. 35, 6; 66, 3; 67, 2; 97, 5; 101, 4; 113, 7; H. II, 59 (cf. Liv. I, 5). — *Occanere*, H. I, 69, *jussu Metelli cornicines occanuere;* inc. 82, *cornua occanuerunt*; vox illa rarissima apud Tacitum (Ann. 2, 81) invenitur, ac, si Reisigio credas, pro *occinere* posita est, ne funesti augurii significatio accederet, ac prætereą uti plenior sonus cornuum vocabulo ipso significaretur, quod fortasse subtilius sit. — *Occipere*, verbum obsoletum, H. III, 86, pro incipere usurpatum (*Socordius ire milites occœpere*), quo quidem Sisenna summo cum studio utitur, ita ut in paucis fragmentis, verbo *incipere* plane neglecto, bis legatur (cf. 25 et 104). Comici quoque veteresque poetæ, ut Lucretius, item veteres historici (Calp. Piso, fr. 36, quo tamen loco certis libris non nititur) et Livius Tacitusque hanc vocem usurparunt. — *Occursare*, quod apud Ciceronem non legitur, occurrit, J. 12, 5 et 85, 3. — *Offerre pugnam*, H. III, 77, 11, *obviam ire et ultro offerre pugnam cupientibus* [1]. — *Optare* pro eligere, H. III, 54, *atque eum Curio laudatum accensumque præmiorum spe, quibuscum optavisset, ire jubet* (cf. Liv. 6, 25). — *Patens* cum dativo junctum, ut apud Livium et Senecam, J. 92, 5, *mons mediocri castello satis patens*; quæ vox apud Ciceronem semper absolute ponitur. — *Patrare*, verbum a Cæsare, Suetonio, Plinio plane neglectum, et a Cicerone bis tantummodo usurpatum (ad Att. I, 14; de leg. II, 8, ubi ex lege antiqua sumptum), apud Sallustium frequens est (Cat. 18, 8; 53, 4; 56, 4; Jug. 13, 5; 21, 2; 43, 4; 70, 5; 75; 2; 88, 4; 92, 1), et quodam antiquitatis colore a *perficere* differt, quod ter tantum apud Nostrum legitur (J. 11, 9; 16, 3; Hist. I, 84). Cf. Livium et Tacitum.— *Pavescere* (J. 72, 2), vox fere argenteæ ætatis; — Item *pensare*, pro compensare, Hist. III, 82, 19, *nisi forte repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur*. — *Perdomare*, H. I, 9, *omni Gallia perdomita*, apud Ciceronem et Cæsarem non est. — *Pertingere*, pro pertinere, J. 48, 3, *in immensum pertingens* (*collis*). — *Pervertere* paulo inso-

1. Hanc locutionem latinam esse negavit Krebsius Antib. p. 552.

lentius usurpatum, H. III, 77, 16, *ei illudebant simul, nefandum in modum perverso vulnere*, i. e. telo in vulnere versato sive agitato, ut Kreyssigius hunc locum explicat. — *Prædicere* vim habet *antea dicendi*, ut præcipue apud Quintilianum, II. II, 1, *quum prædixero positum insulæ*. — *Prædocere*, J. 94, 1, *illi prædocti a duce arma ornatumque mutaverant*; quæ vox rarissima apud Plinium, (18, 34, 77), et Prudent. (Cath. 12, 72), invenitur. — *Præeminere*, H. II, 83, *omnes qui circum sunt præeminent altitudine*, vox argenteæ ætatis. — *Præstare* in malam partem dictum, C. 37, 5, *qui ubique probro atque petulantia maxime præstabant* (Cf. Tac. Ann. 2, 24, et apud Ciceronem *excellere*, in Verr. II, 28; de leg. I, 19, 51); item *præclarus* apud solum Sallustium in malam partem videtur acceptum esse J. 14, 21. — *Prævenire*, J. 71, 5, *dicit quæ ipse paravisset facere perfidia clientis sui præventa;* vox illa Ciceroni et Cæsari non usitata apud Livium et posteriores sæpe reperitur. — *Prodigere*, pro consumere, profundere, H. I, 45, 17, *nisi aliena bene parta prodegerint*, ut apud Plautum, Tacitum, Suetonium. — *Prominere*, quod apud Ciceronem et Cæsarem deest, legitur H. II, 2 *Sardinia in orientem latior prominet*. — *Provenire* de hominibus dictum, C. 8, 3, *provenere ibi scriptorum magna ingenia*; (cf. Plaut. Pseud. I, 5, 155; Næv. ap. Cic. de Sen. 6, 20). — *Quæsitus* pro « *exquisitus, conquisitus* », H. II, 29, 4, *epulæ quæsitissimæ*; (cf. Tacitum 2, 53; 3, 26). — *Quire*, vox apud Ciceronem rarissima, apud Sallustium etiam in affirmantibus enuntiatis occurrit, quod quidem est insolentius, Jug. 44, 5; 97, 4. — *Requietus*, H. inc. 7, *paululum requietis militibus*, vox Ovidii, Livii, ab argenteæ ætatis scriptoribus recepta, pro « *requiete refectus* ». — *Restare* pro resistere, H. I, 70, *urbem multos dies restantem pugnando vincit*, ut sæpe apud Livium; cf. Tac. Ann. 3, 46. — *Sævire*, quod a poetis fere primum usurpatum Augustea demum ætate a solutæ orationis scriptoribus frequentari cœptum est, apud Sallustium legitur Cat. 10, 1; J. 78, 2; H. inc. 37. — *Sallere* pro salire, H. III, 7, *Parte consumpta relicua cadaverum ad diuturnitatem usus sallere*; quæ vox priscorum auctorum esse Priscianus (x, 9, 57, p. 514 Kr.) et Diomedes (p. 372 Putsch) idoneis exemplis demonstrant. — *Scindere*, pro dividere, H. IV, 33, *omnis Italia scinditur in duo promontoria*; (cf. Tac. Germ. 43, *dirimit scinditque Sueviam continuum montium jugum*). — *Senectus*, participium verbi intransitivi *senescere*, insolenter legitur H. inc. 86, (*senecta jam ætate*), et IV, 64 (*senecto corpore*); quæ vox veterum poetarum post Sallustium a poetis et solutæ orationis posterioribus scriptoribus usurpata est. — *Sollicitare* semper de hominibus dicitur ad ali-

quam rem pertractandam excitandis : Jug. 19, 1, *pars imperii cupidine sollicitata plebe et aliis rerum novarum avidis*; (cf. Cat. 24, 4; 28, 4; 36, 1; 39, 6; 50, 1). — *Sperare* sequente accusativo substantivi pluribus locis legitur (C. 40, 2; 58, 16; J. 24, 5; H. II, 50, 2); quæ structura, apud veteres rarior, exstat tamen, ut Cæs. b. civ. 3, 96, *a quo genere hominum victoriam sperasset*. — *Strepere*, vox Ciceroni et Cæsari non usitata, J. 94, 1; 98, 6. — *Solvere*, injuriam, pro finem injuriæ imponere, H. I, 45, 15; cf. *morem solvere*, Liv. I, 49; Curt. 8, 8, 18. — *Subvertere*, quod apud Ciceronem et Cæsarem deest, sæpius occurrit : C. 10, 4; 13, 1; J. 30, 1; 94, 4; H. I, 45, 3; 51, 8 et 10; IV, 12, 15; ac priscorum verbum est, si Lawsio fides adhibenda sit. — *Suetus*, a *suescere*, H. I, 10; II, 77 et 78; vox poetis, Tacito, Livio usitata. — *Suggredi* Sallustius primus videtur dixisse H. IV, 68, *stolide castra suggressus*. — *Sumere bellum*, pro arma sumere, legitur Jug. 20, 5; 62, 9; 83, 1; H. I, 51, 2; IV, 19; (cf. Livium, Plinium et Tac. Agric. 16); item *sumere prælium*, Hist. III, 77, 10. — *Superare* paulo insolentius pro redarguere, Jug. 85, 27, *Nam me quidem, ex animi mei sententia, nulla oratio lædere potest; quippe vera necesse est bene prædicent, falsa vita moresque mei superant*, id est, *ea quæ falsa dixerint vita moresque mei vi veritatis vincunt et ita repellunt* (imagine a certantibus sumpta). — *Superjacere*, vox fere poetarum H. II, 81, *quod euri atque austri superjactis fluctibus circumlavitur*. Insolentior illa participii forma a Tacito usurpatur (Hist. 5, 6), pro usitatiore « *superjectus* ». — *Superstare* (J. 60, 7), et *supervadere* (J. 75, 2), rariora verba, quæ apud Livium tamen satis frequenter occurrunt; *superstare* apud Virgilium, Ovidium, Statium, quoque occurrit. — *Suspicere* pro suspicari, suspectum habere, apud solum Sallustium est, J. 70, 1, *suspectus regi et ipse eum suspiciens*; ubi significatio illa, participii præteriti propria, participio præsentis concinnitatis causa videtur esse subjecta. *Suspectus* insolenter jungitur H. I, 48, *suspecta in tumultum erat*, brevitatis causa dictum pro *suspecta erat proclivis esse ad tumultum*. — *Sustentare* duplici modo usurpatur; primum de iis qui alios, ne succumbant, adjuvant: Jug. 56, 6, *sed milites Jugurthini, paulisper ab rege sustentati* (cf. J. 101, 9); tum de rebus quarum impetui non ceditur, J. 17, 5, *hostium vim sustentabant*; (cf. C. 53, 5). — *Tendere* pro contendere, ut sæpe apud Livium, C. 60, 5. — *Torpescere*, quod proprie de corpore apud Ovidium Pliniumque dicitur, figurato sensu exstat C. 16, 3, *scilicet ne per otium torpescerent manus aut animus*; J. 2, 4, *ingenium... incultu atque socordia torpescere sinunt*; (cf. Tac. Hist. I, 71). — *Tractare*

rempublicam, pro gerere, administrare, C. 51, 28; J. 41, 2, ut apud Livium, 23, 28, *bellum tractare*; Tac. Ann. 2, 67, *regnum tractare*. — *Transgredi* translate dictum pro excedere H. inc. 46, *communem habitum transgressus*, ut apud Velleium et Plinium. — *Transire vitam* pro degere (C. 1, 1; 2, 8); ut apud Senecam Ep. 45, 12; Prov. 4. — *Transvorsum* (aliquem) *agere* pro a recta via deflectere J. 6, 3; 14, 20; cf. Sen. Ep. 8, 3; de Ira, 1, 8; Quint. Inst. or. x, 1, 110. — *Vastare* proprie est *vastum, vacuum reddere*; inde a Sallusttio transfertur ad animum vehementissimis permotionibus exagitatum, Cat. 15, 4, *conscientia mentem excitam vastabat*; cf. J. 41, 9, et *vastus animus* (Cat. 5, 5). — *Venum dare, ire*, Ciceroni non usitatæ locutiones: J. 28, 1; 91, 6; Hist. I, 45, 17. — *Vertere* pro recidere H. inc. 57. *nam talia incepta ni in consultorem vertissent, reipublicæ pestem factura*; (cf. Tac. Ann. 11, 37). — *Volens* pro benevolo, propitio, J. 14, 19, *virtute ac dis volentibus*; (cf. 73, 3; 103, 6); H. IV, 56, *multisque suspicionibus volentia plebi facturus habebatur*, id est *plebi faventia* ideoque *grata acceptaque*; hoc loco benevolentiæ notio, quæ est hominum propria, ad res paulo insolentius translata est. — *Volvere* pro considerare, Ciceroni non usitatum: *secum* (C. 32, 1; J. 113, 1); *cum animo* (J. 6, 2; 108, 3); his vocabulis non additis C. 41, 3, *hæc illis volventibus*, quæ structura rarior est.

His addamus nonnulla verba quæ præter Sullustium, aut a poetis solis, aut a poetis et posterioris ætatis scriptoribus usurpata sunt: *Arrigere* pro erigere (C. 39, 3; J. 23, 1; 68; 4; 84, 4; 86, 1; 93, 7; H. I, 51, 8); *attonitus* (H. I, 88), sæpe apud posteriores; *consuetus* (J. 15, 5; 85, 7; 100, 5), item *suetus* (H. I, 10; II, 77 et 78) et *solitus* (H. III, 77, 7, III, 90); *densere* (H. II, 68); *dependere* (H. IV, 48); cf. Suet. *Galba*, 11; *Cæs.* 82; Quint. II, 3, 130; Liv. 42, 28; *despectare* (H. II, 40); cf. Liv. 36, 25, et translate Tac. Ann. 2, 43; Hist. 2, 30; *dimovere* (J. 42, 1); *exigere vitam* (J. 14, 15; 85, 49) = vitam trahere, ad finem perducere; *expedire*, pro exponere, ut apud scriptores argenteæ ætatis, (J. 5, 3); *exspirare* (H. I, 35) pro mori, (cf. Liv. 2, 20; 28, 19); *fatigare*, pro precibus vel petendo fatigare, (J. 11, 4; 14, 20; 73, 2; 111, 3; cf. Tac. Hist. I, 29); *fœdare* (H. I, 26; inc. 73); *mussare* (H. I, 51, 3; III, 82, 8); *objectare* pro exponere (J. 7, 1); at solito more, ut apud Cæsarem, Tacitum, alios, vi *exprobrandi*, (J. 85, 14; 94, 4; H. I, 45, 18); *obsidere* (C. 43, 2; 45, 2; J. 91, 4); *placitus* (J. 81, 1; cf. Tac. Ann. 2, 66; 4, 37); *præcisus*, (J. 92, 7); *præpedire* pro impedire (J. 28, 5); cf. Liv. et Tac.; *stagnare* (H. III, 26), cf. Plin. Tac. Justin.

PARS TERTIA.

SYNTAXIS GENERALIS.

CAPUT I.

DE SUBJECTI CUM PRÆDICATO JUNCTURA.

I.

Verbum singulari numero positum cum pluribus subjectis singularibus.

Prædicatum, si ad plura substantiva spectet, numero plurali universe poni grammatici omnes consentiunt. Plures vero occurrunt apud Sallustium loci, quibus, tametsi plura prægrediuntur substantiva, numerus singularis usurpatur. Quod tunc præcipue fit apud omnes scriptores cum subjecta tanquam conjuncta et unam quasi nationem efficientia repræsentantur : Cat. 39, 4, *profecto magna clades atque calamitas rempublicam* oppressisset; 58, 4, *scitis equidem, milites, secordia atque ignavia Lentuli quantam ipsi nobisque cladem* attulerit; Jug; 15, 3, *at contra pauci, quibus bonum et æquum divitiis carius* erat; cf. Hist. III, 82, 18; IV, 35; J. 39, 5; 55, 7; 64, 1, etc. Apud Nostrum autem sæpius etiam singularis numerus usurpatur, cum prædicatum ita est intelligendum ut ad singula substantiva pertineat similiter, dummodo cogitationes non ut adversæ aut aliæ ab aliis omnino solutæ fingantur. Tunc vero subjecta aut simpliciter juxtaposita apparent, ut Cat. 12, 1, *Postquam divitiæ honori esse cœpere et eas gloria, imperium, potentia* sequebatur; aut per conjunctiones *et, atque*[1] inter se junguntur, sæpius vero per *atque*: J. 50, 6, *nostros asperitas et insolentia loci* retinebat; C. 51, 42, *profecto virtus atque sapientia major illis* fuit; J. 5, 2, *ut studiis civilibus bellum atque vastitas Italiæ finem* faceret. Cf. J. 75, 1; C. 52, 6, etc.

1. Nunquam in his constructionibus conjunctio *que* occurrit : cujus rei ratio est in eo quod *que* cogitationem novam tanquam priori arte junctam repræsentat, unde fit ut sententiæ ita junctæ semper ut summa aliqua animo obversentur, ideoque prædicatum numero plurali adhibeatur. Cf. *Stürenb.*, pro Archia poeta (edit. altera) p. 49, et *Zumpt*, Lat. Gramm. § 373, 1.

Sin autem substantiva singularia particulis disjunctivis aut negativis, *aut... aut*, *nec* (*neque*)... *nec*, conjuncta sunt, varius apud Ciceronem aliosque usus apparet, sed maxime tamen prædicatum ad novissimum nomen accommodatum singulari usurpatur numero (Anschütz). Apud Sallustium vero semper singularis occurrit: Jug. 31, 24, Potest *ne in tam divorsis mentibus pax aut amicitia esse?* Hist. IV, 19, 12, *Illique, quos ignavia aut prava calliditas.... armis* abstinuit, *acerbissimas pœnas solvunt*; Jug. 79, 3, *neque flumen, neque mons* erat, *qui finis eorum discerneret.* Cf. Cat. 51, 18; 57, 1, cet.

II.

Duo subjecta per *cum* particulam juncta.

Quum duo substantiva, quibus subjectum continetur, præpositione *cum* copulantur, fere semper verbum plurali numero ponit Sallustius: Jug. 38, 6, *cohors una Ligurum cum duabus turmis Thracum et paucis gregariis militibus* transiere *ad regem*; Cat. 43, 1, *at Romæ Lentulus cum ceteris, qui principes conjurationis erant,...* constituerant *uti...*; Hist. III, 1, 6, *dux hostium G. Herennius cum urbe Valentia et exercitu* deleti. At H. I, 48, *Etruria omnis cum Lepido* suspecta *in tumultum* erat. Cetera exempla singularis numeri hæc fere sunt: Jug. 41, 9, *ita cum potentia avaritia sine modo modestia que invadere...*, *quoad semet ipsa* præcipitavit; J. 35, 2, *quoniam ex stirpe Massinissæ sit, Jugurthamque ob scelera invidia cum metu* urgeat. Pluralis vero exempla multo numerosiora occurrunt, idemque fit apud multos alios scriptores, ac præcipue apud Livium [1]; apud Cæsarem autem nullum, apud Ciceronem perpauca ejusmodi exempla sunt, (Phil. 12, 11, 27; ad fam. 14, 7, 2 (?)), quippe qui in hac verborum constructione semper fere singulari numero utantur. Cf. Badstuebner (loc. l. p. 10, et 11 not.), et Grueterum, in Program.: *Uber die Synesis in der latein. und griech. Sprache*, Münster, 1855.

III.

De appositione [2].

Cum alterum substantivum subjecto jungitur in *appositione*, ple-

1. Cf. Drakenborg, ad Liv. 21, 60, qui elegans esse hoc genus loquendi dicit.

2. In appositione tractanda adhibuimus imprimis Anschützium cap. II), et Badstuebnerum, § I, quem sæpius expressit Anschütsius; at rem totam arbitrio nostro disposuimus et in pluribus partibus multum auximus.

rumque fit ut prædicatum non cum subjecto, sed cum hoc apposito substantivo congruat. Cujus constructionis plura sunt genera.

A. — Substantivum appositum cum subjecto per particulam *quam* (*tantum-quantum*) in comparationibus, aut per *nisi*, *præterquam*, in exceptionibus jungitur. Tunc prædicatum apud Ciceronem ipsum sæpius ad appositum substantivum refertur : ad Famil. 6, 4, *Me non tantum litteræ quantum longinquitas temporis* mitigavit. At notandum est in hoc exemplo, sicut in aliis quæ a Krügero (de attractione ling. lat. § 29, p. 67-72), allata sunt, (cf. Cic. Phil. 4, 4, *Quis igitur illum consulem nisi latrones* putant? Quint. decl. 12, 17, *Nihil gravius quam destitutæ spes* torquent), sub negativa aut interrogativa forma cogitationem proferri, ita tamen ut affirmatio ex toto enuntiato oriatur, quæ quidem ad posteriorem substantivum pertineat. Paulo aliter Sallustius, qui in affirmativis enuntiatis illa constructione utitur, cujus hæc exempla imprimis notanda videntur :

1° Cat. 25, 3, *Sed ei cariora semper omnia quam decus ac pudicitia* fuit. Dietschius, quem probat Badstübner (l. l. p. 4), ex duobus contractum esse hoc enuntiatum censet, ita ut plane dicendum fuerit : Sed ei cariora semper omnia *fuerunt* quam decus atque pudicitia ei cara *fuerunt*. Verbum igitur in priore enuntiato omissum est, et prædicatum, quod ad duo subjecta referri debebat, ad ultimum tantum relatum est, quum *decus ac pudicitia* unam notionem efficerent. Kritzius vero ad hunc locum : « Apparet librarios (sc. qui *fuere* scripserunt) singularem mutasse in pluralem, nescios, si prædicatum substantivo continetur, verbum *esse* et ad subjectum et ad prædicatum referri posse, ita ut insigniori vocabulo, rarius propiori sese accommodet. Cf. Jug. 18, 11, *possedere ea loca quæ proxume Carthaginem Numidia appellatur.* » Equidem exemplum illud nullo modo cum præcedente comparari posse censeo, cum verbum hic non ad subjectum, sed ad prædicatum referatur, de qua re infra disputabimus. Rectius conferri potest exemplum hoc :

2° Jug. 50, 6, *Sin opportunior fugæ collis quam campi fuerat, ea vero consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere*; ubi, cum in voce *collis* plus gravitatis inesse ex sententiarum ratione satis appareat, recte ad illam vocem relatum est prædicatum; neque admittenda est nonnullorum codicum scriptura *fuerant*, quam Fabri contra Kritzü opinionem, posteaque omnes fere editores cum eo, præsertim que Iordanus, jure rejiciendam judicarunt.

3° At minus valere videtur ea regula, si aliud verbum atque *esse* in enuntiatione secundaria adhibeatur, ex. gratia Jug. 74, 3, *Nam ferme*

Numidas in omnibus præliis magis pedes quam arma tuta sunt, ubi scripturam *tutati*, quam nonnulli codices habent, plerique editores jure respuunt. Hoc enim loco primariam notionem *pedes* magis efferri quam vocem *arma* negare nemo potest, et tamen ad vocem appositam prædicatum refertur. Contra in J. 54, 7, *quæ negotia multo magis quam prælium male pugnatum ab suis regem terrebant*, verbam *terrebant* cum *negotia* jure congruit.

Ceterum in J. 74, 3, mirum est quantum se discrepant editorum explanationes. Alii, (ut Kritzius, Cortius, lexica Forcellini et Freundii) lectionem super allatam secuti, *tuta* participium obsoleti verbi *tuor*, pro *tueor*, esse affirmant. Iidem vero duobus aliis locis, quibus codices nonnulli *tuta* habent, parum inter se constant : nam et J. 85, 45, (*nam quæ ad hoc tempus Jugurtham tuta sunt*), et J. 52, 4, (*plerosque velocitas et regio hostibus ignara tuta sunt*), Kritzius *tutata sunt* cum plerisque editoribus scribit; Cortius *tuta* in J. 85, 45, *tutata* vero in J. 52, 4 legit; Freundius unum tantum exemplum laudat, J. 74, 3; Forcellinus solus tribus locis *tuta* formam admittit, opinione Gruteri aliorumque nitens, laudatque Livium, 10, 37, *cæteros propinquitas urbis tuta est*, ubi plerique scribunt *tutata est*, ac præterea Plinium, 7, procem. et Frontini strat. 2, 12. Fabrius quidem et Gerlachius tribus illis locis pariter *tutata* scribunt; Linkerus vero et Dietschius, quibus assentiuntur Jacobsius et Jordanus, nec formam obsoletam perfecti in J. 74, 3, accipientes, nec scripturam *tutata*, utpote quæ ex minus bonis codicibus afferatur, satis probatam judicantes, *tuta* pro adjectivo habuerunt, cui subjunxerunt dativo casu *Numidis* pro *Numidas*, quæ quidem scriptura in optimo Parisiensi codice et quibusdam aliis apparet. Ad sensum, vero quod attinet, Dietschius hæc : « Quoniam quæ tuta sunt eis confidi potest, factum est ut *tuta* dicerentur quæ *tutum* præstent. » Et conferri jubet Cæs. bell. Gall. II, 28, 1, *victoribus nihil impeditum, victis nihil tutum*, et Sall. Cat. 58, 9, *omnia nobis tuta erunt*, « id est omnia talia quæ nobis ne eripiantur timendum non sit, ergo quæ nos adjuvent (!!). » Jacobsius *tuta* germanice « *Sicherheit gewährend*, » id est « *tutelam præbens* » interpretatur, et ablegat ad Cat. 41, 2, *at in altera parte majores opes, tuta consilia*, et Hist. I, 45, 8, *At ille eo processit, ut nihil gloriosum nisi tutum... existimet.*

Ego vero nec Dietschii nec Jacobsii explicationi plane assentire possum : nam passiva tantum significatione *tutus* usurpatur, cum pro adjectivo ponatur. Multi, fateor, afferuntur loci quibus significatio illa mutata per *metonymiam* apparet, ut *tuta via fugæ* (Cic. Cæcin. 15, 44), *tutum perfugium* (Cic. de Rep. I, 4), *tutum et patens iter* (Hor.

Od. 3, 16, 7), *tutioris audentiæ* (Quint. Inst. 12 procem.), *tutum mare* (Cic. Flacc. 12, 31), *tutissimam fore Galliam* (Hist. B. G. 8, 54, 4); sed illis omnibus exemplis aut similibus vocabulum cum *tutus* junctum *loci* significationem habet, excepto tamen Quintiliano exemplo quod ut explicemus necesse est. *Et probabilis tamen*, inquit, *cupiditas honestorum, et velut tutioris audentiæ est tentare, quibus paratior venia est.* Primum, ut durioris verborum conjunctionis culpam excusaret, particulam *velut* adhibuit; deinde non dicere voluit audaciam tutelam aut præsidium afferre, sed eum qui tentet ea quibus paratior venia sit, quanquam audacior sit, ea tamen ipso tutum esse quod veniam speret. Fatendum est igitur adjectivum *tutus* non activam vim reipsa habere : nam *locus tutus* locus quidam est in quo tuti simus, non autem locus qui nos tutos efficiat. Quapropter scripturam recentiorum editorum *Numidis... tuta sunt* rejiciendam censemus. Sed ad inceptum revertamur.

B. — Alterum genus est appositionis qua substantivum simpliciter ac sine particularum auxilio (exceptis tamen *quasi*, *tanquam*, similibus, si appositio non deleatur) conjungitur cum subjecto, cujus significationem definit : Hist. 1, 51, 12, *qui videmini tanta mala* quasi fulmen *optare se quisque ne attingat, sed prohibere ne conari quidem*; Hist. 1, 45, 17, *nisi adprobaritis omnes proscriptionem innoxiorum ob divitias... bona civium miserorum* quasi Cimbricam prædam *venum aut dono datam*; cf. Cic. pro lege Manil. 5 : *Corinthum patres vestri, totius Græciæ lumen, exstinctum voluerunt*; Brutus, 75, 262; *Nudi enim sunt* (commentarii), *recti et venusti, omni ornatu orationis tanquam veste detracta*; et Livium : *Flammæ late fusæ, certioris cladis indicium, progredi longius prohibuit.* Difficile est affirmare utrum in hac constructione quoddam sit attractionis genus, an græcæ syntaxis imitatio valuerit; cf. Herod: Βουδῖνοι, ἔθνος ἐὸν μέγα καὶ πολλόν, γλαῦκον πᾶν ἰσχυρῶς ἐστι καὶ πυῤῥόν [1].

Sin autem vera comparatio constituitur, nec jam ut appositum priori substantivo, sed ut subjectum alteri is enuntiati substantivum proponatur, prædicatum cum priore subjecto congruit.

C. — Tertium genus est appositionis qua subjecto plurali numero posito pronomina quædam adjunguntur quibus accuratius definiatur, ut *quisque*, *uterque*, *alius... alius*, *alter... alter*, *pars... pars*, singu-

1. In Cat. 58, 13, *Potuistis nonnulli Romæ amissis bonis alienas opes expectare*, vox apposita « *nonnulli* » personam verbi non mutavit, quia non ipsa subjectum est, sed pronomini subjecto *vos* quod verbo continetur per appositionem adjungitur. Cf. Badsuebner, loc. cit. p. 5, not.

lari numero. Et tunc quidem semper fere verbum pluralem numerum habet.

1° Quisque. — Jug. 1, 4, *Suam quisque culpam auctores ad negotia transferunt;* de ordin. Rep. I, 5, 7, *ut suas quisque res curemus;* Cat. 52, 23, *ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis* [1]; Cat. 38, 3, *pars, quo senati auctoritas maxuma foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabant*; (cf. Hist. I, 51, 6, etc.). In Cat. 7, 1, *cœpere se quisque magis extollere, quisque* non ipsum subjectum est, sed apponitur subjecto quod in verbo *cœpere* latet. Recte Kritzius ad Jug. 18, 3 (*exercitus ejus, compositus ex variis gentibus, amisso duce ac passim multis sibi quisque imperium petentibus, brevi dilabitur*), scripturam *quisque* defendens, hæc edidit : « Quum vulgari consuetudine *quisque* ita usurpetur, ut ei prædicatum pluralis numeri aptetur, (vide ad Cat. 7, 1) [2], progressa paululum licentia factum est ut hoc pronomen subjecto pluralis numeri quasi appositionis vi adderetur, sed ita ut relicuorum verborum structura non comprehensum tanquam absolutæ enunciationis instar esset, qua dicendi ratione Latini utuntur ad indicandum idem a pluribus seorsum fieri. » Cui opinioni, a Lehnero (Observat. in nonnullos Sall. locos, p. 14, sqq.) primum allatæ, libenter assentior. Ad locum Jug. 18, 3, quod attinet, ubi *quisque* cum absoluto quod dicitur participio audacius jungitur [3], Lehnerus conjecturam Cortii et Kühnardti (*quique*) rejiciens, nec non Muellerii et Gerlachii (*quisque* pro *quibusque*) interpretationem, locum Justini XXIX, 1, 8 confert : *His regibus pueris, etsi nullius senioris ætatis rectores erant, tamen in suorum quisque majorum vestigia nitentibus magna indoles enituit*; eumque Livii, XXI, 45, 9; *Tum vero omnes, velut Diis auctoribus, in spem suam quisque acceptis, — prælium uno animo et voce una poscunt*, eaque addit : « Fortasse hujus structuræ ratio ita percip potest, ut verba *sibi quisque*, propter frequentem cum nomine aliquo amplioris notionis, (ut *omnibus, multis*), conjunctione, ita cum illo quasi coaluisse existimentur, ut ejus significationem, qua in universo genere singulas partes omnes complectatur, explens tanquam Adverbium, v. causa *singulatim*, suam regendi sequentia vim amiserit, quemadmodum in illis formulis apud comicos occurrentibus, *præsente nobis, absente nobis*, Donatus arbitratur participia in præpositiones degenerasse, ut idem quod *coram* et *clam* notent. »

1. His duobus locis notanda est a prima persona ad tertiam transitio.
2. In hoc quidem exemplo adnotando erravit, cum non viderit *quisque* appositum subjecto esse, quod verbo *cœpere* continetur. (Vide supra).
3. Hujus constructionis cum participio alia nonnulla exempla sunt : Cæs. *Nostri, repentino metu perculsi sibi quisque pro moribus, consulunt*. Cf. Livium 2, 23, 11, etc.

Pauca vero exstant exempla, quæ regulæ supra positæ repugnare videntur : Cat. 37, 6, *Deinde multi memores Sullanæ victoriæ, quod... videbant,.... sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat*, ubi per *anacoluthon* quoddam, propter nimiam verbi a subjecto *multi* disjunctionem, ad propius pronomen *quisque* relatum est verbum ac singulari numero positum [1]. Eadem explicatio pertinet ad Hist. IV, 22, *Hi locorum pergnari et soliti nectere ex viminibus vasa agrestia, ibi tum, quod inopia scutorum fuerat, ea arte se quisque in formam parmæ equestris armabat*. De loco autem Jug. 53, 8 (*milites alius alium læti appellant, acta edocent atque audiunt, sua quisque fortia facta ad cœlum fert*), Anschuetzio (p. 20) et Badstuebnero (p. 8, not.) non assentior, qui eum locis supra laudatis jungunt. Hic enim non adeo longo intervallo verbum *fert* a subjecto plurali numero posito separatur, et in prima quidem periodi parte regula observata est, ubi, non obstantibus pronominibus *alius alium*, plurali numero ponitur verbum *appellant*. Sed ultimum enuntiatum puto tanquam omnino disjunctum habendum esse, quod non mirum videbitur, si cogitaveris totum periodum ex præcisis ac disjunctis enuntiatis constare. Nihil igitur ad regulam supra positam pertinere potest. At locus Hist. III, 87, *ut sustinere corpora plerique nequeuntes arma sua quisque stans incumberet*, veram exceptionem afferre videtur.

Nonnulla afferuntur Ciceronis aliorumve exempla, quibus contra regulam nostram singulari numero verbum ponatur, ut Cic. de offic. I, 41. *Pictores et poetæ suum quisque opus a vulgo considerari vult*; Brut. 55, *His oratoribus duæ res maximæ altera alteri defuit*; Suetonius, *Damnati omnes alius alio casu periit*, quibus locis aliisque similibus oppositio aut separatio quædam accuratius declaratur. Sed utique rarior est illa constructio, præsertim apud Sallustium et Livium. Vide quæ L. Kühnast (Die Hauptpunkte der Livianischen Syntax) exempla congessit.

2° Uterque. — « Pronomen *uterque*, ait Badstübner (loc. cit. p. 8, not.), cui apud Cæsarem (de bello civ. 3, 30) aliosque, imprimis Livium, nonnunquam numerus pluralis subnectitur, nunquam apud Sallustium cum plurali junctum reperies, excepto fortasse Cat. 49, 2, *uterque cum illo graves inimicitias exercebant*, ubi lectiones variant. » At hic quoque agnosci potest tunc præsertim singularem numerum adhiberi, cum duæ personæ aut duæ res non una, sed separatim agentes aut patientes aliquid inducantur : Cat. 1, 7, *ita utrumque*, (i. e. *consulere — post consultationem mature incipere*), *per se indigens alterum alterius auxi-*

1. Badstuebner, p. 8, not.

lio eget; Hist. III, 1, 7, *namque stipendium neutri datur, victor uterque in Italiam venire potest.* (Ad pluralem quod attinet numerum, cf. Tacit. Hist. 2, 97; 4, 34, etc.).

Pro apposito pronomine *uterque*, sæpius *utrique* plurali numero adhibet Sallustius, quod cum enuntiati *subjectum* sit, jure tunc verbum plurali numero usurpatur : Cat. 38, 4, utrique *victoriam crudeliter exercebant*, ubi *utrique* refertur ad verba prægressa *alii... pars*, ideoque singularis numerus usurpari nequit; (cf. Cat. 49, 2, supra); Jug. 15, 2, *deinde* utrique *curiam egrediuntur*, ubi de Adherbale et legatis Jugurthæ dictum est, quare pluralis numerus necessarius est; cf. Jug. 22, 5, *ita utrique* (Jugurtha et tres legati senatus) *digrediuntur*. Paulo aliter Cat. 30, 4, *ei utrique* (Q. Marcius Rex et Q. Metellus Creticus) *ad urbem imperatores erant*, ubi ad pronomen *ei* subjectum tanquam appositio refertur *utrique*; at hoc loco *uterque* nullo modo usurpari poterat. Notandum hic exemplum Livii (II, 7, 1), quo *quisque* pro *uterque* de duobus dicitur exercitibus : *Ita cum pugnatum esset, tantus terror Tarquinium atque Etruscos incessit, ut omissa irrita re, nocte ambo exercitus, Veiens Tarquiniensisque, suas quisque obirent domos.* Et hic quidem, ut videtur, cum *ambo* jam usurpatum esset, ejusdem fere significationis vocabulum *uterque* adhiberi non poterat.

3° Alius... alius. — Hujus pronominis repetiti et ad subjectum plurale numero singulari oppositi abundant exempla : Cat. 6, 2, *hi postquam in una mœnia convenere, dispari genere, dissimili lingua*, alius alio *more viventes*; *incredibile memoratu est quam facile coaluerint.* Quo loco Dietschii et Jordani scripturam *alii alio*, ex deterioribus codicibus sumptam, non servavimus, auctore Gruendelio (De locis aliquot Sallustianis); Sallustius enim aliique scriptores singularem vocis « *alius* » numerum cum alio casu ejusdem vocis conjunctum adhibuerunt, quo cum diversitatem hominum vel rerum, tum pluralem numerum exprimerent, ut patet ex iis exemplis quæ sequuntur : Cat. 2, 3, *neque* aliud alio *ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneres*; 6, 5, *at Romani domi militiæque intenti festinare, parare*, alius alium *hortari...*; 22, 2, *quo inter se fidi magis forent*, alius alii *tanti facinoris conscii*; 52, 28, *sed inertia et mollitia animi* alius alium *expectantes cunctamini*; Jug. 12, 3, *reguli interea in loca propinqua thesauris* alius alio *concessere*; 53, 8, *igitur pro metu repente gaudium mutatur, milites* alius alium *læti appellant*; 66, 3, *centuriones tribunosque militaris et ipsum præfectum oppidi T. Turpilium Silanum* alius alium *domos suas invitant*; Hist. I, 45, 20, *neque jam quid existumetis de illo, sed quantum audeatis vereor, ne* alius alium *principem expec-*

tantes ante capiamini.... quam captum ire licet... Adde etiam Jug. 101, 2, *sed quia divorsi redeuntes* alius *ab* alia *parte atque omnes idem significabant...*; 50, 5, *equites... non confestim neque in unum sese recipiebant, sed* alius alio *quam maxime divorsi.*

Neque ullum invenitur constructionis illius cum plurali numero exemplum. Magnopere quidem erravit Kritzius quod (ad Cat. 6, 2), vocis « *alius* » illo modo bis positi prædicatum, non forma grammatica sed sensu spectato, recte plurali numero enuntiari posse dixit. In illo enim, sicut et in aliis hujusmodi exemplis, minime ad prædicatum dirigendum vim habet, sed unice ad nomen, de quo aliquid enuntiatur, pertinet.

Quod ad vocem repetitam *alter* pertinet, nullum appositionis exemplum apud Sallustium inveni; at nonnulla numeri pluralis exempla sunt (*alteri... alteros*), quibus pronomen *alteri* pro subjecto ponitur : Jug. 42, 4; 53, 7; 79, 1.

4° ALII... PARS, PARS... ALII, PARS... PARS; MAGNA PARS. — Substantivi « *pars* » constructio variorum generum exempla præbet :

a. Et primum ea consideremus in quibus « *pars* » nomen cum pronomine plurali (*alii, multi, pauci*, etc), cui opponatur, jungitur, cum utrumque ad subjectum plurale per appositionem pertineat : Cat. 2, 1, *igitur initio reges... divorsi* pars *ingenium*, alii *corpus exercebant;* Cat. 48, 5, alii *rem incredibilem* rati, pars, *tametsi verum existumabant, tamen quia in tali tempore tanta vis hominis magis leniunda quam exagitanda videbatur, plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii conclamant indicem falsum esse*; Jug. 60, 7, *ceteri, quoquo modo potuere*, pauci *integri*, magna pars *volneribus confecti, abeunt.* Cf. Jug. 13, 8; 31, 13 (pars... alii... plerique); 74, 1; Cat. 38, 3; Hist. III, 78, quibus omnibus locis, cum unicum verbum sit, alterumque ex subjectis plurali numero adhibeatur, verbum quoque plurali numero usurpari necesse est.

b. Sequentibus locis, tametsi verbum unum aut plura infinitivo historico adhibentur, pluralem numerum usurpatum fuisse perspicuum est, cum aut substantivum (participium ve ad prægressi periodi substantivum pertinens) initio enuntiati positum sit plurali numero et pro subjecto totius enuntiationis habeatur, aut participium plurale voci « *pars* » adjungatur : Jug. 57, 4, *Romani, pro ingenio quisque*, pars *eminus glande aut lapidibus pugnare*, alii *succedere ac murum modo suffodere modo scalis aggredi*; Jug. 32, 3, *fuere qui auro conrupti elephantos Jugurthæ traderent*, alii *perfugas vendere*, pars *ex pacatis rebus prædas agebant*; Jug. 58, 2, *at nostri repentino metu perculsi*

sibi quisque pro moribus consulunt : alii *fugere*, alii *arma capere*, magna pars *vulnerati aut occisi*. Cf. Jug. 38, 5; 50, 4; 51, 1; 69, 2, etc.

In Jug. 66, 4, *idem* plebes *facit*, pars *edocti ab nobilitate*, alii *studio talium rerum incitati*, verbum, cum nomine collectivo congruens subjecto, singulari numero ponitur, vocesque « *pars*, *alii* » latiorem subjecti « *plebes* » comprehensionem definiunt.

c. Pars.... pars. — Locis vero quæ sequuntur *pars* substantivum, non jam pronominibus *alii*, *multi*, etc, sed sibimet ipsi oppositum est; tunc singularis numerus semper adhibetur a Sallustio : Jug. 33, 3, *quanquam regi infesta plebes erat et* pars *in vincula duci jubebat*, pars, *nisi socios sceleris sui aperiret*, *more majorum de hoste supplicium sumi*; 39, 1, pars *dolere pro gloria imperi*, pars *insolita rerum bellicarum timere libertati*.

d. Ad *magna pars* quod attinet,

α. Aut substantivo genitivo casu singularis numeri posito definitur, ut J. 85, 46, *sed magna pars ejus* (exercitus) *avaritia aut temeritate ducum adtrita est;* Jug. 15, 2, *fautores legatorum*, *præterea senatus magna pars gratia depravata*, *Adherbalis dicta contemnere* (cf. J. 51, 3), et tunc singulari numero verbum ponitur.

β. Aut locutio *magna pars* (similiter *pars*) alicui pronomini (*alii*, *pauci*, etc.) opposita est, tuncque, ex regula supra posita, verbum aut participium pluralem habet : Jug. 14, 15, *Capti ab Jugurtha* pars *in crucem acti*, pars *bestiis objecti sunt*, pauci, *quibus relicta est anima*, *clausi in tenebris cum mœrore et luctu morte graviorem vitam exigunt*. Sic 58, 2 (V. supra); 60, 7 (V. supra); Hist. IV, 19, 18. (Cf. supra § *a*).

Nonnullis vero locis *magna pars* per conjunctionem *et* cum substantivo numero plurali posito jungitur, ideoque verbum, quod ad duo illa subjecta æque pertinet, pluralem accipit, ut Cat. 52, 1, *postquam Cato adsedit*, consulares omnes *itemque senatus* magna pars *sententiam ejus laudant*; (cf. Jug. 19, 7.) In Jug. 56, 5 *profecto* cuncti *aut* magna pars *Siccensium fidem mutavissent*, per attractionem quamdam verbum plurali numero ponitur, nisi credere malis id ex constructione *ad sensum* cum genitivo plurali *Siccensium* numero congruere, quod recte fit quoties nomen collectivum alio pluralis numeri genitivo posito nomine definitur. Cf. Jug. 62, 7, *eorum magna pars, uti jussum erat, adducti.*

γ. Aut simpliciter *magna pars* substantivo plurali apponitur subjecto, quod initio enuntiati collocatur, vel, si in prægresso periodo expressum sit, tanquam subjectum subauditum verbo plurali continetur : Hist. II, 59, *ruuntque magna pars suismet aut proxumorum te-*

lis, ceteri vicem pecorum obtruncabantur. Item *pars* in Jug. 31, 10, *sed incedunt per ora vestra magnufici, sacerdotia et consulatus, pars triumphos suos ostentantes.*

D. — Notandum est insigne appositionis partitivæ exemplum, Jug. 104, 4, *ceterum Mauri impetratis omnibus tres Romam profecti...., duo ad regem redeunt*, ubi nonnulli nominativum absolutum vident.

IV.

De genere [1].

A. — Si prædicatum ad plura nomina appellativa *feminini generis* pertinet, numero plurali neutrius uti solet Sallustius [2], cujus constructionis exempla non ante ætatem ejus neque apud ipsum Cæsarem exstare videntur : Cat. 20, 2, *ni virtus fidesque vostra spectata mihi forent*; Jug. 68, 1, *deinde ubi ira et ægritudo permixta sunt*; Jug. 38, 8, *nox atque præda castrorum hostis, quominus victoria uterentur, remorata sunt*; 52, 4, *plerosque velocitas et regio hostibus ignara tutata sunt.* (Cf. infra, ad pronomen relat. et demonstr.) [3].

B. — Sin autem ea nomina *diversi generis* sunt, eamdem fere Sallustius normam, quam ceteri boni scriptores, sequitur.

1° Prædicatum neutro genere pluralis numeri ponitur : Jug. 3, 1, *verum ex eis magistratus et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum minume mihi hac tempestate* capiunda videntur. Quam regulam libentius adhibet noster; cf. Cat. 16, 2; 20, 14; 54, 1; H. II, 50, 3, etc. ; et tunc plerumque, saltem apud Sallustium, unum ex nominibus neutrius generis est.

2° Prædicatum cum novissimo substantivo congruit, cujus constructionis pauca tantum apud Nostrum exempla sunt : Jug. 8, 2, *si permanere vellet in suis artibus, ultro illi gloriam et regnum venturum*;

1. Cf. Anschuetz, l. l. p. 12-16; Badstuebner, l. l. p. 5-7.

2. Sic Badstuebner, qui de pronomine et prædicato pariter paulo confusius regulam eamdem affert.

3. Sin autem unum ex duobus femininis substantivis res veras designat, plurali numero positum, alterum vero abstractum est, tunc apud Nostrum femininum pluralis numeri usurpatum fuisse videtur : Jug. 70, 2, *ex quo illi gloria opesque* inventæ (unus tantum ex codic. *inventa*); Jug. 73, 6, *quorum res fidesque in manibus* sitæ *erant* (cod. senator. *sita erant*), ubi *res* idem valet atque *opes*; Jug. 114, 4, *ex ea tempestate spes atque opes civitatis in illo* sitæ. Exemplum Cat. 51, 12, *fama atque fortuna* [*eorum*] *pares sunt*, specie tantum exceptionem præbet, nam plures boni codices *eorum* non habent. quod edit. Bipontin., Cortius et Muellerus, quibus ego assentior, deleverunt, *fama* atque *fortuna* ablativo esse ducentes, quod verisimile mihi videri fateor; cf. Liv. IV, 19, *animo ac viribus par* ; Cic. de Off. I, 1, *ut par sis in utriusque orationis facultate* ; et vide quæ Fabrius ad Cat. 51, 12, disseruit.

111, 1, *amicitiam, fœdus, Numidiæ partem, quam nunc peteret, tunc ultro adventuram*. At in hoc altero exemplo duo reipsa enuntiata inesse nemo est quin videat : primum, cujus *amicitiam* et *fœdus* subjecta sint cujusque verbum desit, alterum vero ex usitatis legibus constructum. Dici tamen potest apud Nostrum semper prædicatum neutro plurali usurpari, exceptis iis locis quibus unum ex nominibus eminere sensu scriptor voluerit; quod cum incidit, novissimum ponitur illud nomen, prædicatumque cum eo congruit.

At apud alios scriptores, præter Cæsarem, sæpius prædicatum ad nomen quod sensu prævalet accommodatur, quemcumque id locum occupat : Cic., *Lucus ille et hæc Arpinatium* quercus *agnoscitur, sæpe a me lectus*; quæ constructio sæpe ex negligentia orta videtur.

C. — Ubi vero copulantur plura substantiva, quorum unum personæ masculino genere notionem affert, tres constructiones reperiuntur :

1° Si notio rerum in personarum notione implicita est et obscuratur, masculinum genus adhibetur : Jug. 49, 5, *nam inter virgulta* equi Numidæque *consederant, neque plane* occultati *humilitate arborum, et tamen* incerti, *quidnam esset, cum natura loci tum dolo* ipsi *atque* signa militaria obscurati.

2° Sin cogitatione totum ut rerum collectionem scriptor amplectitur, neutrum usurpatur apud plerosque scriptores, ut Liv., 40, 10, *Romani regem regnumque Macedoniæ sua futura sciunt* [1]. At in nostro nullum hujus constructionis exemplum occurrit.

3° Sin vero prædicatum initio periodi collocatur, et proximum subjectum plurali numero ponitur, tunc prædicatum plurali numero positum genus subjecti illius sequatur necesse est : Sall. Jug. 77, 3, *emissæ eo cohortes Ligurum quattuor et C. Annius præfectus*. Quam constructionem aut adhibere aut non adhibere licet, si prædicatum non initio periodi collocatur.

D. — De pronominis demonstrativi et pronominis relativi genere et numero. — In hac quæstione tractanda magnam confusionem, ut mihi videtur, attulerunt viri docti qui, sive in editionibus, sive in peculiaribus de sermone sallustiano libellis, eam explicandam susceperunt. Imo censuere nonnulli non legibus certis obnoxia esse illa pronomina in genere et numero adhibendo, cum nunc ad subjectum nunc ad prædicatum nomen referretur; (cf. Guardia et Wierzeyski, Gramm. lat. Paris, 1876, p. 391). Inter eos qui unumquodque exemplum certis legibus explicare conati sunt eminent Badstuebnerus et Anschützius, quorum prior attractioni, posterior vero constructioni illi quæ *ad sen-*

1. V. Madvig, Gr. lat. § 214, b., not. Reisig, Vorles. § 187.

recta constructio hæc esset : *non..: relicta... sed a me quæsita*, sicque duo participia pariter ad duo feminini generis substantiva pertinerent [1].

Jug. 85, 48 *Et profecto, dis juvantibus*, omnia *matura sunt, victoria, præda, laus* : quæ *si dubia aut procul essent, tamen omnis bonos rei publicæ subvenire decebat.* Qui locus dubium est num recte hic ponatur; nam relativum *quæ* ad antecedens *omnia* æque referri posse videtur atque ad feminina substantiva quæ proxime præcedunt.

Quibus omnibus exemplis loce clarius apparet pronomen quod ad duo vel plura feminini generis substantiva referatur neutro plurali semper a Sallustio poni.

b. Pronomen ad duo aut plura diversi generis substantiva refertur Cat. 36, 4, *cui cum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent, domi otium atque divitiæ*, quæ prima *mortales putant, adfluerent.*

3° Et hic quidem locus nullam per se difficultatem affert, cum regulam illam hic adhiberi perspicuum sit, qua relativum, quod ad plura diversi generis substantiva refertur, plurali neutrius generis numero ponitur. At non omnino similis locus est Jug. 41, 1 *ceterum mos partium et factionum... Romæ ortus est otio atque abundantia* earum rerum, quæ prima *mortales dicunt* (alii : *ducunt*).

Hic Fabrius attractionem videt, et ad *prima* vocem, vice substantivi fungentem, relativum refert. Probat Badstuebner, et similiter legem attractionis adhibitam censet Cat. 36, 4, *otium atque divitiæ*, quæ prima *mortales putant*; Jug. 76, 6, *aurum et argentum et alia*, quæ prima *ducuntur* ; Jug. 84, 2, quæ *bello opus erant*, prima *habere.* At, ut supra docuimus, locus Cat. 36, 4 sine attractionis auxilio explicari potest; quod vero ad Jug. 76, 6, attinet, si comma inter *alia* et *quæ* positum deleas, ad vocem solam *alia* plurali neutrius positam facile refertur pronomen; in ultimo autem exemplo, *prima* ad demonstrativum pronomen *ea* referendum esse patet, quod subaudiri usitatissimum sit. Nullum igitur ex eis quæ Sallustius præbet exemplis demonstrare potest *prima* tanquam substantivum ab eo adhibitum fuisse. Nec alii quidem scriptores exemplum afferunt; nam apud Terentium (Heautont. v, 2, 9), *ubi te vidi animo esse omisso, et suavia in præsentia quæ essent prima habere, neque consulere in longitudinem*, adjectivi profecto vice fungitur vox *prima.*

Superest igitur unus locus Jug. 41, 1, in quo explicando paululum

1. Non repugnat hoc exemplum regulæ quam supra statuimus (IV, *De genere*, A, adnot. 2), nec poterat hic prædicatum feminino genere poni; nam et propter asyndeton, et propter attractionem demonstrativorum pronominum *hæ, hæc*, ab exemplis illic laudatis hoc longe dissimillimum est.

acquiescendum est. Ac primum Kritzius hoc loco : « *Quæ prima*, inquit, ita dictum est ut relativum tantum modo ad *sensum* præcedentium verborum, non ad *genus grammaticum* respiciat, quæ licentia natura generalium notionum nititur. Quæ quum maxime *neutro* pronominum aut adjectivorum *genere* enuncientur, cujus vices sæpissime *res* substantivum cum pronomine aut adjectivo conjunctum sustinet (vid. ad Cat. XVIII, 8, p. 89 et Herzog ad c. IX, 4. p. 44), interdum utraque dicendi ratio, sensu plane par, ita copulatur, ut nulla generis in prægresso membro ratio habeatur. Cf. Rhamsborn. Gramm. Lat. § 206, A. 2, b. p. 694, ed. I, qui hunc usum per omnes partes secutus est; Jug. 102, 9, *humanarum rerum fortuna pleraque regit*; etc. » — Sequuntur multa hujus constructionis exempla ex quibus unum hoc referam : *In me quidvis harum rerum convenit, quæ sunt dicta in stultum* (Terent. Heautont. V, I, 3). Cf. etiam quæ scripsit idem ad Cat. 18, 8, et adde exemplum hoc Jug. 1, 5, *Quod si hominibus* bonarum rerum *tanta cura esset, quanto studio* aliena *ac nihil* profutura *multaque etiam periculosa petunt.* — Kritzii equidem opinioni plane assentior, at nullo modo ea probare possum quæ Anschützius (l. l. p. 15) ex Fabrii, ut videtur, sententia (ad Cat. 5, 7) docet, scilicet uno feminini generis substantivo præcedente, pronomen quod ad id pertineat nihilominus neutro genere usurpatum inveniri, exemplum laudans Jug. 41, 1. Non enim, quolibet substantivo præcedente, sed tantum *res* voce cum adjectivo aut pronomine juncta, hæc constructio relativi neutro plurali invenitur. Rectius vero dicit ille eodem loco, nunquam attractionem admittendam esse, nisi sequens vocabulum, ad quod pronomen spectet, contineatur nomine aliquo substantivo.

Ex iis igitur quæ disseruimus Jug. 41, 1 Sallustium non attractione, sed ea quæ dicitur *ad sensum* constructione, usum esse patet [1].

1. Unicum sane exemplum est Sallustii Jug. 57, 5 : *contra ea oppidani in proxumos saxa volvere, sudes, pila, præterea picem sulphure et tæda mixtam* ardentia *mittere*, ubi recte Jordanus, scripturam Parisini codicis secutus, interpretationem Cortii et Gerlachii confirmavit, qui *ardentia* ad tria substantiva diversi generis referunt. Quæ constructio non multum sane discrepat ab ea qua pluralis numerus adhibeatur, cum ad duo substantiva conjunctione *cum* inter se juncta pertineat, ut Cat. 43, 1, Jug. 101, 5, etc.; neutrum vero jure usurpatur, si plura nomina diversi generis præcedant, quorum duo feminino, unum vero neutro genere sit. Nec video cur Kritzius (ad h. l. p. 313) hoc ita fieri nullo modo posse affirmet, quoniam duo posteriora vocabula non parem rationem cum voce *picem* habeant, sed tantum modo ad eam definiendam valeant. *Tæda* enim vox hic non arborem quamdam aut assulas illius arboris, sed succum qui ex ea defluit designat, (cf. Cæs. de bello civ. II, 11, 2 *cupas tæda ac pice refertas incendunt*), ideoque cum *sulphure* et *pice* naturam similem habet, quippe quæ facile et ipsa inflammetur. Kritzius ex arbitrio textum contorquens scripsit : *præterea pice et sulphure tædam mixtam ardenti mittere*, et *tædam* pro *missili telo facile inflammando* habet.

V.

Constructio ad sensum [1].

1° Constructio *per synesin* vel *ad sensum* dicta haud raro apud Sallustium invenitur, qua prædicatum, aut pronomen demonstrativum vel relativum, ad substantivum singulari numero quod vim collectivam habeat relatum, plurali potest adhiberi. Cicero nunquam fere ea usus est; cf. tamen de finibus 3, 21, *amicitia est ex eo genere. quæ prosunt.* Minus raro Cæsar: de bello gall. 1, 15, *idem facit Cæsar* equitatum*que omnem, quem ex omni provincia coactum habebat, præmittit, qui* videant *quas in partes hostes iter faciant*; 2, 6, *cum tanta multitudo lapides ac tela conjicerent*; etc. Livius autem frequentissime pluralem *per synesim* adhibet, præsertim cum vocabulo « *senatus* ». (Cf. Drakenborg, ad Liv. 4, 58, 4, etc., Kuhnast, l. l. p. 60, sqq., Fabrium, ad 21, 11, 3; 22, 10, 8, etc.). Taciti quoque satis multa exstant exempla. Sallustii vero exempla hæc fere sunt :

Juventus. — Cat. 16, 1, *sed* juventutem... *multis modis mala facinora edocebat. Ex* illis *testis signatoresque falsos commodare.* Jug. 15, 1, *Jugurtham ab senatu petere, ne se alium putarent* (cf. Cat. 7, 4 et 37, 7, infra).

Senatus. — Jug. 28, 2, senatus *a Bestia consultus est placeretne legatos Jugurthæ recipi mœnibus,* ei *que decrevere.*

Pars. — (Vide quæ in cap. de Appositione disseruimus de hoc verbo.)

Plebes. — Jug. 73, 3, *et Romæ* plebes *litteris, quæ de Metello ac Mario missæ erant, cognitis, volenti animo de ambobus* acceperant; Hist. III, 82, 28, Plebes, *quodcumque accidit, pro* victis *est.*

Familia. — Jug. 14, 6, *familia nostra cum populo Romano bello Carthaginiensi amicitiam instituit, quo tempore magis fides ejus quam fortuna petunda erat.* Quorum *progeniem...*

Nobilitas. — Jug. 13, 8, *tanta commutatio incessit, ut ea maxima invidia in gratiam et favorem* nobilitatis *Jugurtha veniret.* Quorum *pars...*; cf. Jug. 41, 5, ubi tamen verbum initio enuntiationis positum ad duo substantiva « *nobilitas, populus* » referri potest.

Conjuratio. — Cat. 17, 7, *simul confisum, si* conjuratio *valuisset, facile apud* illos *principem se fore.*

Vis. — Hist. I, 45, 12, *sociorum et Lati magna vis civitate pro multis et egregiis factis a vobis data per unum* prohibentur, *et plebei innoxiæ patrias sedes occupavere pauci satellites, mercedem scelerum.*

1. Cf. Badstuebner, p. 7-10 et Anschütz, p. 21-4.

Hist. III, 72, *simul immanis hominum* vis *multis e locis* invasere *patentis tum et pacis modo effusas urbis*. At Hist. I, 49, *magna* vis *hominum* convenerat *agris pulsa aut civitate ejecta*, singularis adhibetur, quia hic homines non separati sed congregati finguntur. Cf. Jug. 91, 1, *denique sexto die, cum ad flumen ventum est, maxuma* vis *utrium* effecta; et Hist. III, 53, *qua tempestate ex Ponto vis piscium* erumpit.

Equitatus. — Jug. 91, 4, *repente omnem equitatum et cum* eis *velocissumos pedites cursu tendere ad Capsam et portas obsidere jubet*; Jug. 95, 1, *cum magno equitatu in castra venit, quos uti ex Latio et a sociis cogeret Romæ relictus erat*; ad quem locum cf. Cæs. b. g. 1, 15, 1 (*Idem facit Cæsar*, equitatum*que omnem... præmittit, qui* videant *etc*), Fabrium ad Liv. 21, 11, 3, et Herzog. ad h. l., qui tum imprimis hanc structuram ab historicis usurpari censet, cum nomina collectiva primum universa tantummodo commemorentur, deinde prædicato aliquo vel attributo augeantur, quo opera vel conditio singulorum illustretur.

Populus. — Jug. 102, 6, *ad hoc* populo *Romano — melius visum, amicos quam servos quærere*; *tutiusque* rati *volentibus quam coactis imperitare*, ubi nonnulli *tutius rati* legunt, sed ita quoque constructio *per synesin* inest, cum verba illa appositio ad vocem *populo Romano* sint, quod anacoluthon Græci sæpe adhibent. Cf. Thucyd. 3, 36 [1].

Huic loco similis videtur Cat. 39, 1-3, ab interpretibus variis modis tentatus : Plebis *opes inminutæ, paucorum potentia crevit. Ei magistratus, provincias aliaque omnia tenere, ipsi innoxii, florentes, sine metu ætatem agere, ceterosque judiciis terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent. Sed ubi primum dubiis rebus novandi spes oblata est, vetus certamen animos* eorum *arrexit*, ubi Ritschl (Rheinisch Mus. 21, p. 318), correxit; *ceteros, qui plebem in magistratu placidius tractarent, judiciis terrere*, quam correctionem recepit Jacobsius; idem fere scripsit Kritzius *qui* pro *quo* admittens, nisi quod verba *judiciis terrere* suo loco reliquit. Ceterum iidem, ac præter eos Cortius, Dietschius, Fabrius, Kritzius, Wirzius (loc. laud.), Gerlachius, quibus ego libere assentior, conjunctionem delent oppositionis augendæ causa. *Eorum* autem vocem Herzogius, ac postea Dietschius et Jacobsius ad *ceteros* referunt, ut ii intelligantur animis ad certamen arrectis esse, qui antea a paucis potentibus repressi essent; Cortius vero et Fabrius, ac deinde Kritzius, cui assentiuntur Alschuetzius et Badstuebner,

1. Hic Badstuebnerum, p. 9, not. secuti sumus, cujus plurima syneseos exempla hic retulimus.

ad *plebem*, per synesin constructione adhibita, referendam eam censent, id quod sensum magnopere mutat, si per *ceteros* intelligantur nobiles qui magistratus tenentes plebei faverent aut minus ferociter coercerent. Difficultatem præbent verba *quo... placidius tractarent*, cum alii ad *ipsi*, alii ad *ceteros* ea referre malint, ac verba ipsa *placidius tractare* pluribus modis vexata fuerint. Opiniones diversas excutere longius esset, neque adeo magnæ utilitatis; interpretationes igitur eas tantum quæ ad duas scripturas pertinere melius videntur, breviter hic exponam. Si scripturam Ritschlii accipias, sensus est : « pauci potentes ceteros omnes terrebant judiciorum metu, qui, auctoritatem ipsorum non secuti, libere magistratus (præsertimque tribunatum), exercerent, ac plebem quodam modo lenius haberent. » Sin vero vulgarem lectionem præferas, sic intelligendum mihi videtur : « Pauci potentes judiciorum metu terrebant ceteros (sc. plebis defensores ac fautores), ut ii, dum magistratus exercerent, populum adversus nobiles minus concitarent. Quam quidem interpretationem minus duram magisque codicibus optimis accommodatam censeo, etsi superest adhuc obscurius aliquid. Lectionem Jordani servandam existimo, nisi quod particula *que* elegantius deleatur; vocemque *eorum* ultimi enunciati ad *plebem* refero, novum constructionis per synesin exemplum.

Legimus Cat. 43, 1, *eo signo proxuma nocte cetera multitudo* conjurationis *suum quisque negotium exsequeretur. Sed* ea *divisa hoc modo dicebantur*, ubi *ea* per synesin plurali numero ponitur, quia, propter collectivum nomen *conjurationis*, quod idem est atque *conjuratorum*, ad plures res defertur cogitatio. Ceterum *multitudo* a Sallustio semper numero singulari usurpatum est, ideoque verbum *exsequeretur* item singulari poni debebat; nam *quisque* pronomen, ut supra demonstravimus, nihil valet ad genus verbi indicandum.

2° Loca vero quæ sequuntur paulo audaciora sunt :

Post verba *ex eo numero*, si enuntiatum relativum sequatur, pronomen non cum voce *numero*, sed cum iis personis, quibus constat numerus, congruit, quasi pro *eo* genitivus pluralis masculini usurpatum esset : Jug. 35, 6, *igitur unus* ex eo numero *qui ad eædem parati erant*; Jug. 38, 6, *sed* ex eo numero *quos paulo ante conruptos diximus, cohors una*. Cf. Cic. pro Archia, 12 (*ex eo numero qui sunt habiti*); Agrar. II, 14, 37, et de fin. III, 21, 70 (*ex eo genere quæ prosunt*). Ceterum sine relativo enuntiato sequente pluribus locis *ex eo numero* ponit Sallustius: Cat. 42, 3; Jug. 18, 14. Adde J. 40, 4 (*in eo numero*) ; Cat. 32, 3 (*ex suo numero*). Cf. *ea gratia, ea causa, eo dolore* etc., et vide supra, pars II, cap. III, § 5.

Contraria præcedenti constructione adhibita, singularem relativi numerum ad substantivum plurale retulit C. 56, 5, *interea servitia repudiabat*, cujus *initio ad eum magnæ copiæ concurrebant*, de quibus verbis, quæ in plerisque et optimis codicibus leguntur, sæpius disputatum est. Conferri potest Livius 42. 8, 7, *bonâque ut iis, quicquid ejus recuperari possit, reddantur curare*, et Thucyd. 1, 80, 3, Ἀλλὰ τοῖς χρήμασιν; ἀλλὰ πολλῷ ἔτι πλέον τούτου ἐλλείπομεν, καὶ οὔτε ἐν κοινῷ ἔχομεν οὔτε ἑτοίμως ἐκ τῶν ἰδίων φέρομεν. « Qui loquendi usus, inquit Badstuebner, a quo duo illa exempla mutuati sumus, inde mihi videtur repetendus esse, quod scriptores et Græci et Latini neutra adjectivorum et pronominum ad substantiva alius cujusdam generis referre consuerant. » Alii vero scriptores voces *servitia* et *servitium* promiscue usurparunt, ut omne servorum genus comprehenderent, inter quos Cicero ipse plura singularis et pluralis numeri exempla præbet (*pro Flacco*, 38, fin.; *de republ.* 3, 9, fin.; *in Verr.* 5, 4, 9; *de legibus* 3, 11).

3° Duobus vel tribus locis singularis et pluralis promiscue usurpantur : Cat. 7, 4, *Jam primum* juventus, *simul ac belli patiens* erat, *in castris per laborem usu militiam* discebat, *magisque in decoris armis et militaribus equis quam in scortis atque conviviis lubidinem* habebant, ubi Cortius jure pluralem legi maluit, cum propter notionem collectivam quæ in vocabulo *juventus* insit constructio facillime ex singulari in pluralem numerum transire potuerit, ratione magis sensus quam formæ grammaticæ habita. Herzogius interpretatur « man hatte seine Lust, d. h. es wurde allgemeiner Ton und Sitte. » Dietschius vero recte observat scriptorem, cum jam de universæ juventutis disciplina dixisset, jam quid per illam in singulorum animis effectum esset magis premi voluisse.

Alter locus est Cat. 23, 6, *Namque antea* pleraque nobilitas *invidia* æstuabat *et quasi pollui consulatum* credebant, *si*..., ubi singularis numerus verbo *pleraque*, pluralis vero collectivo substantivo *nobilitas* deberi videtur. Cf. Cat. 17, 6, *ceterum* juventus pleraque, *sed maxime nobilium*, *Catilinæ inceptis favebat*; *quibus in otio vel magnifice vel molliter vivere copia erat, incerta pro certis, bellum quam pacem* malebant, ubi *nobilium* [*juventus*] idem est atque *juvenes nobiles*, et verbum sequens plurali numero subjectum habet pronomen *ii* subauditum, qui ad *juvenes nobiles* refertur. Cf. etiam Catil. 37, 7, ubi fortasse nominativus absolutus intelligendus est. (V. Kritz. ad h. l.).

4° Nunc vero pauca loca enumeremus qui speciem singularem præbent : Jug. 18, 9, *eique* (*Medi et Armenii*) *mature oppida habuere : nam freto divisi ab* Hispania *mutare res inter se* instituerant, ubi

verba *inter se* per synesin, et ad nomen Hispanorum quod *Hispania* continetur, et ad voces *Medii et Armenii* referuntur, quæ tria nomina verbi *instituerant* sujecta sunt. — Cat. 51, 42, *profecto virtus atque sapientia major in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum* imperium *fecere, quam in nobis, qui* ea *bene* parta *vix retinemus*, de quo recte Kritzius : « Hæc sensu tantum, non grammatica ratione ad antegressum vocem *imperium* referuntur; quæ enim antea in unum complexus erat, ea nunc in suas partes disjuncta cogitat, quod recte monuit Ramshornius, Gramm. lat. § 159, 2, e, p. 357. » — Cat. 18, 2, *sed antea item* conjuravere pauci *contra rempublicam, in quibus Catilina fuit*. De qua *quam verissume potere dicam*, ubi *de qua* scriptura plurimorum codicum ac Diomedis grammatici p. 440, ed. Putsch testimonio nititur. Dura quidem ac nullo alio, ut videtur, exemplo probata structura; nam in Jug. 56, 5, *servitia—cujus*, pluralis ad singularem numerum transitus in eodem vocabulo fit; hic vero *de qua* cum vocibus *conjuratione paucorum* congruit, quæ in verbis *pauci conjuravere* latent, ita ut et pluralis in singularem mutetur et pro verbo substantivum ejusdem generis *per synesin* cogitetur. Falso Kritzius masculinum *quo* præfert, Mureti opinionem refellere conatus, et illud *qua* ex scribendi compendio male intellecto ortum esse affirmans. Nostro exemplo simillimum esse videtur illud Ciceronis (ad famil. II, 3, init.) : *Equidem quid* sentiam, *aut scribam ad te pluribus postea, aut, ne ad* eam *meditere imparatum te offendam*, ubi *eam* referendum est ad vocem *sententiam*, quæ in verbo *sentiam* latet; nonnulli vero, inter quos Kritzius, hic *ea* legere maluerunt[1]. — Jug. 13, 6, *quis præcipit, primum uti veteres amicos muneribus expleant, deinde novos acquirant, postremo quæcumque possint largiundo parare ne cunctentur*, ubi utrum *quæcumque* pro *quæcumque commoda*, an pro *quemcumque* vel *quoscumque* (*homines*) positum sit ambigitur. — Jug. 100, 4, *vigilias ipse circumire, non tam diffidentia* futuri quæ imperavisset, *quam uti militibus exæquatus cum imperatore labor volentibus esset*, ubi *futura* sine necessitate corrigit Dietschius, obprobio, ut ait, usus ex antiquitate repetiti Sallustium liberare cupiens. Nec video cur Jordanus, quem sequitur Bruennert, *futurum* pro scriptura longe plurimorum optimorumque codicum *futuri* scripserit, cum infinitivum futuri activi omnibus numeris et generibus sine discrimine ab antiquis atque etiam a Cicerone adhibitum contendat, multisque exemplis comprobet Gellius (I, VII), nec mirandum sit, si hic genitivo posita fuerit vox *futuri* propter cum substantivo *diffidentia*

1. Hæc, quæ ad exemplum Cat. 18, 2 referuntur, fere ad verbum ex Badstuebnero, p. 10, hausimus.

conjunctione, quod vim verbi tam amisisse quam servasse sane potuit.

5° Sæpius denique Sallustius pronomen relativum ad prægressum pronomen possessivum refert, ita ut cum pronomine personæ, quod in possessivo latet, genere et numero congruat : Cat. 33, 1, *sed uti corpora* nostra *ab injuria tuta forent*, qui *miseri, egentes, violentia atque crudelitate feneratorum, plerique patriæ, sed omnes fama atque fortunis expertes* sumus ; Jug. 85, 28, vostra *consilia accusantur*, qui *mihi summum honorem et maxumum negotium* inposuistis. Badstuebnerus confert Cic. ad famil. 2, 11, *totum negotium non est dignum viribus* nostris, qui possim ; pro Sulla, 29 ; in Vat. 12 ; Tac. hist. I, 38 ; Terent. Adelph. V, 4, 27, ex Ruddim. Instit. II, p. 388 petita exempla, qui hanc structuram synesin implicitam vocat.

VI.

Pronomen ad totum prægressum enuntiatum spectans.

Hæc de constructione *ad sensum* aut *per synesim* dicenda visa sunt ; jam vero pauca exempla afferamus quibus pronomen (uterque — alter) neutrius generis singulari numero positum sit, non quod, ut vult Badstuebner, ad duo substantiva diversi generis pronomen referatur, sed quia ad universum sensum prægressi enuntiati spectat : Cat. 1, 2, *sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est : animi imperio, corporis servitio magis utimur ; alterum* (sc. animi imperio uti) *nobis cum dis, alterum* (sc. corporis servitio uti) *cum belluis commune est* ; Cat. 1, 6, *nam et priusquam incipias consulto, et ubi consulueris mature facto opus est. Ita utrumque* (id est consulere — post consultationem mature incipere) *per se indigens alterius auxilio eget* ; Jug. 7, 5, *ac sane, quod difficillumum in primis est, et prælio strenuus erat et bonus consilio*, quorum alterum *ex providentia timorem*, alterum *ex audacia temeritatem adferre plerumque solet.*

VII.

De adverbiis pro prædicativis adjectivis positis.

Adverbium cum verbo *esse* junctum, ac vicem prædicati adjectivi supplens, sæpius apud omnes scriptores latinos, sæpissime vero apud Sallustium invenitur, in qua structura, ut verbis W. Muelleri [1] utar, verbum *esse* non solum vim copulativam habet, sed prope ad significationem verborum « adesse, se habere » accedit.

1° Nonnulla vero adverbia paulo insolentius adhibet hac constructione, scriptor noster, præsertim *frustra*, quod nunquam cum verbo *esse*

1. W. Mueller. Philolog. vol. 9, pag. 617 sqq.

junctum apud Ciceronem occurrit, si Handio (Tursell. II, 747) credamus. Sed apud comicos imprimis poetas sæpe reperitur pro « *in errore esse, falli, destitui effectu* ». Uno tantum loco *frustra esse* de personis dictum invenimus quod Nostrum, Jug. 85, 6, *adnitendum est uti neque vos capiamini et illi frustra sint*; sæpius vero apud Plautum idem quod *falli* significans occurrit (Amphit. III, 3, 20; Merc. III, 1, 30; Captiv. III, 1, 31; Mil. gl. V, 29); frequenter de rebus (Jug. 7, 6; 61, 1; 71, 5; 73, 7; 85, 6; 93, 1; 112, 2; Hist. III, 82, 9) usurpatur. Quam constructionem Herzogius (ad Jug. 76), cui assentitur Badstübner, Græcorum imitationem (cf. μάτην εἶναι) esse putat; Deltourius contra, quem libentius sequimur, Popponis (Thucyd. vol. I, 374) opinionem refellens, hac locutione Catonem imitatum esse Sallustium dicit. Similiter Bruennert et Schutz (loc. laud.) adverbia cum verbo *esse* juncta a Catone mutuatum esse Sallustium censent. (Cf. apud Cat. *sero esse, impune esse*, etc.) [1]

2° Et alia quidem adverbia a Sallustio cum *esse* insolenter juncta hac fere sunt :

Abunde. — Cat. 21, 1, *quibus mala abunde omnia erant*; Cat. 58, 9 *omnia nobis tuta erunt, commeatus abunde, municipia atque coloniæ patebunt*, ubi insulse Handius *commeatus* genitivo positum censet et cum *abunde* jungit (Anschutz); Jug. 63, 2, *alia omnia abunde erunt*; Hist. III, 12, 24, *abunde libertatem rati, quia*, etc., ubi *esse* supplendum (Kritzius).

Obviam. — Hist. II, 95, *obviam fuere* Asper, Sallustii interpres, vetuste dictum declaravit. « Quod non plane verum videtur, Kritzius recte inquit, cum apud optimum quemque scriptorem *esse* cum adverbio junctum reperiatur; cf Gramm. lat. nostra § 111, 1, not. 1 p. 227 et vid. adnotation. ad Catil. c. 58, 9 p. 306 et ad Jug. c. 14, 11, p. 82. Si quid tamen insolentiæ in dictione inest, eo continetur, quod, cum pleraque adverbia, cum *esse* verbo conjuncta, statum vel condicionem designent, *obviam* vox *metus* notionem habet, quæ paullo durius cum verbo consociatur. »

3° Minus cum solita dicendi ratione pugnant hæ locutiones : *tutius esse*, Jug. 14, 11, *ut ubivis tutius quam in meo regno essem* ; cf. Cic. ad Attic. 14, 22 : *qui mihi videntur ubivis tutius quam in senatu fore* ; — *laxius licentiusque futuros* (J. 87, 4) ; — *facilius esse* (Jug. 94, 1). [2] — Adde adverbia loci vel temporis : *post* (Cat. 23, 6); *contra*

1. Cf. Badstübner p. 11, et post eum Schultzium p. 79, 80 et Bruennertium p. 11, qui utrum necne insit in hac constructione archaïsmus perquirunt.

2. Ea exempla apud Badstuebnerum et Anschuetzium invenimus, quæ tamen ipsi in evolvendis libris sallustianis jam notaveramus.

(Jug. 85, 22; 88, 2 *cognoscere quid boni utrisque aut contra esset*); *circum* (H. II, 83); *propius* (Cat. 11, 1, ubi adjectivum esse potest); *procul* (Cat. 19, 2, Jug. 53, 7; 85, 48); *longe* (Jug. 47, 1; 89, 6; 92, 5); *proxume Hispaniam* (Jug. 19, 4), ubi Kritzius *proximi* (*Hispaniam*) et post eum Jordanus et Jacobsius *proxumi* (*Hispania*) legerunt, testimonio Arusciani Messi (Corp. gramm. ed. Lindemann I, p. 252) freti et bonorum codicum auctoritate. (Cf. Jug. 18, 11, uti *proxuma* iidem editores legerunt.)

Adde etiam *parum* (Jug. 31, 22); *satis* (Hist. I, 45, 19; II, 50, 3; Jug. 75, 7); *ut* est (Cat. 59, 2; Jug. 2, 3; 4, 8; 6, 1; 69, 2; 105, 5). « Alias similes locutiones, quales sunt *bene*, *recte*, *male*, *ita est*, etc., cum in quotidianum sermonem abierint, prætermittendas mihi esse arbitratus sum. Notandus tamen locus hic Jug. 85, 7, *ita ad hoc ætatis a pueritia fui, uti*. (Cf. Nœgelsbach, Lat. stylistik, p. 411 sqq.; Frotscher ad Muret. I, p. 516; Halm. ad Cic. Sull. 7. 22.) [1].

CAPUT II.

DE CASIBUS.

I.

De nominativo.

Absoluti qui dicitur nominativi nulla alia apud Sallustium exstant exempla nisi hæc, quorum duo dubia sunt: Jug. 1, 4, *sin captus* (*animus*) *pravis cupidinibus ad inertiam et voluptates corporis pessum datus est*, perniciosa lubidine paulisper usus, *ubi per socordiam vires, tempus, ingenium defluxere, naturæ infirmitas accusatur*, ubi Cortius majore interpunctionis signo verba *perniciosa — usus* a *datus est* disjungit, nominativumque absolutum esse putat, cum Jug. 32, 2 falso conferens nimio singularitatis amore; (de quo vide Kritzium ad hunc locum); Gerlachius vero ea verba pro gerundio posita censet sicque interpretatur: « pessum datur animus et quod cupidinibus captus est, et quod perniciosa lubidine utitur, id est cupiditatibus se regi patitur », duriorem tamen hanc rationem confessus, et eos qui in illa offendant ad contrariam Perizonii opinionem ablegans, qui nostrum locum ad anacolutha refert (ad Sanctii Minervam IV, 11, t. II, p. 384 ed. Bauer). Perizonium probat Kritzius et ad sequentia verba refert *perniciosa — usus* voces, quas contra Jacobsius cum prioribus jungit sic interpretans:

1. Sic fere Badstuebner, p. 12.

refertur, quasi auctor dixisset, *de ea re nunc dicere supervacaneum videtur.* » Ego vero cur non *de virtute* cum *prætereundum* jungi possit non video.

« Quid autem intersit inter accusativum objecti, et inter *de* præposit. ab Herzogio scite explanatum est. Etenim *de* posito, quæ dicendi ratio τῷ τὰ περὶ, τὰ τοῦ (τῆς, τῶν) Græcorum respondet, objectum non pro *una* re est, quam prædicatum *totam* complectatur, sed notione quasi diducta et in partes soluta indefinitum proponitur, ita ut ex omnibus, quæcumque ad id pertinent, singula cuique cogitatione amplectenda permittantur. » [1]

C. — Verba absoluta posita. — Maxime solet Sallustius objecta verborum activorum omittere, si ea facile intelligi possint, interdumque verbis activis modo insolito neutraliter utitur, sensu nonnunquam paululum immutato. Et primum de verbis *agere, agitare* disserendum videtur.

1° Agere absolute positum invenitur sensu solito : Jug. 60, 5, *quod ubi Mario cognitum est, — consulto lenius agere*; Hist. II, 50, 8, *agite ut monet ira.* Cf. Hist. III, 82, 3; I, 51; 20, etc.

Multis autem locis peculiari ac detorta significatione usurpatus apparet, ut Jug. 101, 6, *tum Marius apud primos* agebat, (id est *pugnabat, versabatur*); Hist. I, 8, *semper in certamine libertatis aut gloriæ aut dominationis* agit, (id est *versatur, vivit*). Cf. H. I, 9; I, 27; qua significatione (*esse, se gerere, vivere*) sæpius cum adjectivo jungi solet : Jug. 55, 2 *civitas trepida antea et sollicita de belli eventu* læta agere, ubi Herzogius et Dietschius *læta* accusat. plural. esse male judicaverunt; Kritzius contra absolute positum putat et confert Jug. 89, 7, *in omni Africa, quæ procul a mari incultius* agebat, quo quidem loco paulo insolentius de terra dictum videtur. Adde Hist. I, 63, *Maurique, vanum genus, ut alia Africæ, contendebant Antipodas ultra Æthiopiam cultu Persarum* justos *et* egregios agere; II, 50, 4, *a prima adolescentia in ore vostro* privatus *et* in magistratibus egi, ubi et adjectivum et substantivum cum præpositione occurrit; II, 50, 5, *ut sine dedecore cum civibus fama et fortunis integer agas*; (cf. Tacit. Agric. 5, *simulque anxius et intentus agere*); Jug. 55, 7, *divorsi agebant.* — Pro *se gerere* positum est verbum *agere* Jug. 98, 6, *et ipsi duces feroces, quia non fugerant, pro victoribus* agere, ubi pronomen *sese* supplere non necesse est, nec conferendum J. 56, 6, *tanta mobilitate sese Numidæ* agunt, ubi recte Jordanus ex auctoritate Parisiensis aliorumque codicum *sese gerunt* scripsit [2].

2° Quod vero ad verbum agitare attinet, frequentativam illam verbi

1. Hæc apud Badstuebnerum invenimus.
2. Cf. Badstuebnerum, quem hoc loco secuti sumus, additis tantum paucis.

agere formam pluribus locis iisdem sensibus quibus simplex *agere* adhiberi certum est; etenim omnem vitæ rationem et conditionem comprehendit, verborumque *esse*, *se gerere*, *vivere*, *commorari* potestatem pro cujusque loci ratione sustinet:

Agitare pro *se sustentare*, Hist. III, 1, 9, *Gallia.... nunc malis fructibus ipsa vix* agitat, (cf. I, 45, 11); — pro *habitare*, Jug. 18, 9, *hi propius mare Africum* agitabant, (cf. 19, 5); — pro *se gerere*, Jug. 63, 5, *in potestatibus eo modo* agitabat; Cat. 23, 3, *postremo* agitare *ferocius quam solitus erat*; J. 74, 1, *varius incertusque* agitabat; impersonaliter vi passiva Jug. 41, 7, *paucorum arbitrio belli domique* agitabatur, (id est *vivebatur*, *omnia gerebantur*); cf. Hist. I, 10; — pro *stare*, Jug. 59, 1, *equitatum omnem pro castris* agitare *jubet*; 94, 4, *at Numidæ....non castelli mœnibus sese tutabantur*, *sed pro muro dies noctisque* agitare; — pro *cum animo reputare*, *cogitare in animo*, *deliberare*, (sensu solito): Jug. 11, 1 *ipse longe aliter*[1] *animo* agitabat; Jug. 113, 3, *Maurus.... dicitur secum ipse multum agitavisse*, ubi tamen scripturam bonorum codicum *multa* nonnulli tuentur. Nota duplicem sensum Jug. 54, 2, *Jugurtha ubi gentium aut quid agitaret*, quo loco verba *ubi gentium* significationem τοῦ *versari* vel *esse* exigunt, vox vero *quid* sensum τοῦ *facere*, *agere*.

3° Sed hactenus; alias enim de hujus verbi cum objecto juncti usu ac significatione disseruimus (vid. pars. II, cap. V, p. 53). Nunc vero ad alia verba quæ absolute posita occurrunt transeamus, quorum partim apud Oestling, partim apud Badstuebnerum jam notata invenimus, nonnulla vero ipsi addimus:

Adniti, Cat. 19, 1, *postea Piso — missus est*, *adnitente Crasso*; Jug. 85, 47, *adnitimini mecum et capessite rempublicam*; Hist. IV, 19, 14, *nullo circum adnitente*.

Augere, Hist. I, 51, 6, *et ignoscundo populi Romani magnitudinem auxisse*, ubi *auxisse* pro *auctam esse* positum est, ut Fabrius indicat, vel intransitiva vi, ut volunt Kritzius et Dietschius, et significat *incrementum cepisse*; (cf. Reisig Vorles, § 174). Catonem imitatus est Sallustius, p. 8 ed. Jordan. l. 6 *eo res eorum auxit*; ceterum apud Livium, Plinium, Tacitum, et inter poetas Lucretium et Catullum similis hujus verbi usus occurrit.

Pariter reflexivo sensu usurpata sunt vortere et convortere: Cat. 52, 27, *ne ista mansuetudo et misericordia*, *si illi arma ceperint*, *in miseriam convortat*; Jug. 85, 9, *bene facere jam ex consuetudine in naturam vortit*; cf. Hist. fr. inc. 57, et Cat. 6, 7, ubi optimi codices *se con-*

1. Freundius et Anschützius hoc loco *aliter* pro *alia* neutro plurali positum censent.

vortit habent. His omnibus locis metaphorica significatio adhibetur; sensu vero proprio verbum *convertere* occurrit Jug. 20, 4, *dein cum omni multitudine in regnum suum convortit*, et Jug. 101, 6, *dein Numida, cognito Bocchi adventu, clam cum paucis ad pedites convortit.* Ceterum apud Livium quoque et Tacitum hunc reflexivum verbi usum haud infrequentem esse inter omnes constat; cf. Drakenb. ad Liv. 2, 62, 2; Walth ad Tacit. ann. 6. 6.

Num vero verbum MUTARE Jug. 38 10 pari modo usurpatum sit, maximo in dubio est. Quem locum Jordanus (cum Muellero et edit. Bipont.) ex codice Basiliensi sic scripsit : *quæ quamquam gravia et flagiti plena erant, tamen quia mortis metu* nutabant, *sicuti regi lubuerat pax convenit* [1]. (Vide quæ Kritzius, ad. h. loc., et Lehner (loc. laud. p. 18 sqq.) fusius disputaverunt). Scripturam *nutabant* defendit Jordanus, conferens Tacit. Hist. II, 7, 6, *his pavoribus nutantem*, cui loco addi possunt Hist. I, 2, *Galliæ nutantes*; 11, 98, *mox nutabat* (*Valerius Festus*). At non video cur lectionem *mutabantur*, eodem sensu quo *permutabantur*, vel etiam eodem sensu quo *mutabant*, ad subjectum *Romani* relatum, (quamquam durius dictum), plurimorum codicum testimonio nixi, non accipiamus. *Mutare* enim hoc modo usurpatum invenimus apud Sallustium Jug. 53, 8, *igitur pro metu gaudium mutatur*, et Jug. 83, 1, *tamen non debere incerta pro certis mutare.* Notanda hic est subtilis quidem, sed parum verisimilis Wirzii conjectura : *tamen quia vita mortis metu mutabatur*, vel *quia vita mortis metum mutabant.* Cortii vero opinionem, qua *mutabant* pronomen neutro plurali *ea* subjectum habeat et neutrius significatione usurpetur, nullo modo probare nequeo, cum verbum *mutare*, sæpius quidem apud Livium pari modo adhibitum occurrat, nunquam vero cum ablativo objecti.

CURARE. — Hoc verbum, in re militari imprimis frequens, absolute ponitur priscorum more (cf. Enn. Plaut. Varr.), pro *præesse, negotia ducis obire* : Jug. 46, 7, *in postremo C. Marius legatus cum equitibus curabat*; J. 60, 1, *ubi quisque legatus aut tribunus curabat;* J. 60, 5, *nam is in ea parte curabat*; (cf. J. 57, 2; Cat. 59, 3); Jug. 100, 2, *in sinistra parte A. Manlius cum funditoribus et sagittariis, præterea cohortis Ligurum curabat*, ubi primum absolute, ut plerumque, positum est, deinde cum accusativo junctum, ut apud Tacit. ann. 1, 31; 4, 36; 6, 30. At in Hist. I, 57, *multaque tum ductu ejus curata primo*

1. Nuperrime Thomas in editione *Jugurthæ* hanc conjecturam proposuit : *quia mortis metus intentabatur*, conferens Tac. ann. I, 39, *intento mortis metu*, ingeniose quidem, sed contra codicum fidem.

per ignobilitatem, deinde per invidiam scriptorum incelebrata sunt, verbum *curare* idem fere valet quod *gerere* in locutionibus *res multas, res magnas gerere* [1].

CONFIDERE absolute positum occurrit Jug. 13, 9, *igitur ubi legati satis confidunt, die constituto senatus utrisque datur*, id quod rarissimum est.

Adde etiam FAVERE, Jug. 85, 5, *et illud intelligo — æquos bonosque* favere, ubi pronomen *mihi* suppleri facile potest ex verbis *in me* præcedentibus; — STUDERE vero absolute omnino positum est Cat. 51, 13, *neque* studere *neque odisse, sed minume irasci decet*, insolentius pro eo quod apud Ciceronem dicitur *studere alicui, favere alicui;* — NOVARE pro *res novare*, Cat. 39, 3, *ubi primum dubiis rebus novandi spes oblata est*; (cf. Tac. ann. IV, 18); — FACERE pro usitatiore *agere*, Cat. 50, 3, *sed eos paulo ante frequens senatus judicaverat contra rempublicam fecisse*; — PACIFICARE, Jug. 66, 2, *Jugurtha pacificante*, ut apud Livium, pro *pacem facere*; — OPTINERE, Jug. 80, 7, *nulla pro socia optinet*; cf. Cic. de Rep. VI, 17, *subter mediam fere regionem sol obtinet*, et Liv. 21, 46; rara quidem locutio, sed non, ut contendit Krebsius (Antibarbarus, p. 546), apud omnes solutæ orationis scriptores qui in aliquo numero sint habendi omnino inusitata; — SIMULARE, J. 37, 4, *simulandi gratia*, priscorum more; — TEMPERARE pro *modum servare*, Jug. 85, 9, *illis difficile est in potestatibus temperare*; (cf. Liv. 2, 52; 6, 17); sequente dativo, Cat. 11, 8, *ne illi conruptis moribus victoriæ temperarent*, i. e. victoria moderate uterentur; (cf. Liv. *passim*, et Tac. Hist. III, 31); apud Ciceronem vero *temperare* cum dativo junctum idem est quod *parcere* (Oestling); — TENDERE pro *contendere*, ut sæpe apud Livium, Cat. 60, 5, *videt Catilinam contra ac ratus erat magna vi tendere*; — SUSTINERE cum negatione junctum pariter ac *sustentare* significat « resistere ac vim aliquam ingruentem sive impetus sive tempestatis perferre non posse » (Kritzius), Hist. III, 35, *neque jam sustineri poterat immensum aucto mari et vento gliscente*; — VINDICARE eodem sensu quo *punire, castigare*, Jug. 30, 3, *populum ad vindicandum hortari*; Jug. 106, 6, *ac fuere qui dicerent manu vindicandum*; cf. J. 45, 3, et Cic. in Verr. I. 32, 82; præterea Cat. 9, 5, *et accepta injuria ignoscere quam persequi malebant*; — EXORNARE, Jug. 90, 1, *tamen pro rei copia satis providenter exornat* = parat et instruit quæ ad rem opus sunt.

4° Absolute etiam ponuntur multa verba infinitivo historico posita, quod brevitatis causa factum videtur :

Cat. 6, 5, *at Romani domi militiæque intenti* festinare, parare;

1. Hæc de verbi *curare* usu ex Badstuebnero fere ad verbum hausimus.

Cat. 11, 4, rapere *omnes*, trahere; Jug. 41, 5, *sibi quisque* ducere, trahere, rapere; Cat. 31, 3, *ad hoc mulieres* — rogitare, *omnia pavere*; Jug. 23, 1, *præterea dies noctisque aut per vim aut dolis* temptare; (cf. Cat. 6, 4); Jug. 94, 5, *eo acrius Romani* instare, fundere, *ac plerosque tantummodo* sauciare.

5° Verba INVADERE, INCEDERE (INCESSERE) nunc absolute, nunc cum objecto usurpata reperiuntur :

a. INVADERE. — Cat. 2, 5, *ubi pro labore desidia, pro continentia et æquitate lubido atque superbia invasere;* 10, 6, *post ubi contagio quasi pestilentia invasit;* Jug. 41, 9, *ita cum potentia avaritia sine modo modestiaque invadere*; (cf. Ter. Hecyr. II, 2, 21, *an dolor repente invasit?* Liv. 5, 13, *dulcedo invasit — plebeios creandi*). Sæpius vero cum accusativo objecti invenitur (Badstuebner) : Cat. 5, 6, *hunc post dominationem L. Sullæ lubido maxuma invaserat rei publicæ capiundæ;* cf. 12, 1; 31, 1; 36, 5; Jug. 13, 1; 24, 2; 35, 9; 84, 3; 89, 6; 106, 6 [1]. Adde Jug. 32, 4, *tanta vis avaritiæ* animos *eorum veluti tabes invaserat,* ubi Jordanus cum Kritzio et Dietschio *in animos* scripsit plurimorum codicorum fide, Badstuebner vero et Jacobsius *animos* præferunt; cf. Cat. 36, 5, *tanta vis morbi ac veluti tabes plerosque civium animos invaserat.* Cicero semper præpositionem huic verbo subjungit, Livius nusquam nisi 28, 29.

b. INCEDERE (INCESSERE) [2]. — Cat. 7, 3, *tanta cupido gloriæ incesserat*; cum accusativo, Hist. IV, 19. 15, *inopia rursus ambos incessit*; cum dativo Cat. 31, 3, *mulieres quibus reipublicæ magnitudine belli timor insolitus incesserat*; Hist. II, 69, *Terror hostibus ex fiducia sui incessit*; cf. Cæs. bell. civ. III, 74; Liv. IV, 57; Tac. ann. III, 36, Curtius, VII, 11, 4; et Cic. ep. ad fam. 16, 12, init., *mirus* invaserat *furor improbis.* Præpositio *in* insolenter adhibetur Jug. 101, 7, *simulque barbari animos tollere et in perculsos Romanos acrius incedere*, ubi Badstuebner conjicit verbum *incedere* pro *incidere* irrepsisse, et confert Liv. 28, 13, *postquam acrius ultimis incidebat Romanus, neque sustineri impetus*

1. Similiter cum proprio sensu hoc verbum usurpatur, ut Jug. 21, 2; 50, 3 ; 58, 1 ; Hist. IV, 2, etc.

2. « Dietschius ad Cat. 7, 3, dubitat utrum Sallustius *incesserat* ab *incedere* an ab frequentativo *incessere* deduci voluerit, idemque in omnes locos valere ait, in quibus ejus verbi formæ legantur; sed quum scriptori frequentativa maxime placuerint, tale verbum vero ad significandam vim qua hominum animi cupiditate aliqua capiantur aptissimum sit, ad posterius facile sententiam inclinaturam esse censet. Idem fere Herzogius ad Jug. 13, 7. Contra Madvigius, § 138, perfectum tempus in talibus enuntiatis : *timor, cura* etc., *incessit homines, animos*, a verbo *incedo* deducit, quamquam hujus verbi præsens tempus ea significatione usurpari ipse negat. » (Badstuebner) Fatendum quidem apud Nostrum hoc verbum semper in præteritis usurpari, unde fit ut quæstio dubia sit aliquatenus; ego tamen cum Forcellino aliisque ab *incedere* libentius deductum existimem

poterat; sed cf. Dietsch. ad h. l., qui illam scripturam defendit, laudans Liv. 9, 21 extr., *infestior tamen in erumpentes incessit.*

D. — Accusativus cum verbis ex præpositionibus compositis. — Verba ex præpositionibus *ad*, *in*, etc. composita sæpius apud Sallustium cum accusativo junguntur : adcedere, si pro *se conferre ad aliquem* positum sit (Badstuebner), Jug. 18, 9, *Medi autem et Armenii adcessere Libyes*, ubi Jordanus, cum Gerlachio et Herzogio plurimos et optimos libros sequentibus, sed contra totius loci sensum atque ingenium scripsit : Medis *autem et* Armeniis *adcessere Libyes*; (cf. Jug. 20, 3; 62, 1; 71, 5; 97, 3); at loci Jug. 44, 2, *ita* imperatori novo *plus ex malis moribus sollicitudinis quam ex copia militum auxilii aut spei bonæ* adcedebat, longe alia ratio est, quippe quo dativus commodi satis appareat. Cum præposit. *ad* junctum illud videmus Cat. 48, 4, *eoque magis properaret ad urbem adcedere*, et Jug. 25, 5 (*ad provinciam*) [1]. — Adsidere cum accusativo apud solum Sallustium reperiri videtur, Jug. 11, 3, *Hiempsal — dextra Adherbalem adsedit;* Adsidere more poetarum cum accusativo junctum est Hist. iv, 1, *Amisumque assideri sine prœliis audiebat*, unde conjici potest hoc verbum non idem valere quod *obsidere*, sed segnem aliquam oppugnandi rationem indicare, vel simpliciter stationem militum circum oppidum, ne quis egredi aut ingredi queat. Cf. Liv. 21, 25, 6, *Mutinæ cum obsiderentur, et gens, ad oppugnandarum urbium artes rudis, — segnis intactis assideret muris*, et Tacit. ann. vi, 43, 1, *assidendo castellum, — dedit spatium exuendi pacta.* (Sic fere Badstuebner). — Advolvere, Hist. fr. inc. 60, *genua patrum advolvuntur*; (cf. Tac. ann. i, 13, *quum... ambulantisque Tiberii genua advolveretur;* 6, 49; 15, 71; Hist. iv, 81). Apud Livium vero (8, 37; 28, 34, etc.) et poetas (cf. Stat. Theb. v, 143, *Hinc stimuli ingentes magnusque advolvitur astris clamor*), cum dativo junctum est. — Circumgredi, Hist. iv, 19, 21, *si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur exercitum.* — Egredi apud Sallustium, ut apud plerosque historicos, nusquam nisi ubi significat *supergredi, superare fines*, accusativo jungitur. Jug. 110, 8, *ego flumen Muluccham, quod inter me et Micipsam fuit, non egrediar;* Hist. i, 87, *postquam egressus angustias*, ut apud Cæsarem, Livium, Tacitum; absolute Jug. 91, 2; 106, 4, ubi *castris* vox supplenda, quæ addita est J. 91, 3; 93, 2. Paulo aliter Jug. 60, 6; 93, 2 (Badstuebner). — Escendere, Jug. 97, 5, *pars equos escendere*, ut apud Tacitum, pro eo quod est Ciceronis « *escendere in* » sequente accusativo substantivi; absolute, Jug. 94, 2. — Excedere, Hist. fr. inc. 6, *radicem*

1. Cf. Badstuebnerum (l. l. p. 17), qui Herzogium vituperat affirmantem *adcedere* cum accusativo idem valere quod *ad re aliquem*, Jug. 20, 3 exemplum opponens.

montis excessit, id est *prætergressus est;* (cf. Schol. Stat. ad Theb. III, 116). — EXORDIRI, Hist. IV, 73, *magnam exorsus orationem*, ut apud Plautum et Livium; cf. Cic. Orat. 2, 23, extr., *pertexe, Antoni, quod exorsus es.* — INCUMBERE, Hist. III, 87, *ut sustinere corpora plerique nequeuntes arma sua quisque stans incumberet.* — INCURRERE, Hist. fr. inc. 30, *atque eos a tergo incurrerunt*; cum *in* præposit., more solito, Jug. 97, 6; Cat. 60, 7; cum dativo Jug. 101, 8, *rediens ab latere Mauris incurrit;* (cf. Liv. 22, 17; Tac. ann. 2, 16). — INGREDI semper cum accusativo junctum: Hist. III, 94, *fine inguinum ingrediuntur mare;* Hist. II, 54, *sed Mithridates extrema pueritia regnum ingressus matre sua veneno interfecta;* Jug. 28, 7; 42, 1 [1]; 43, 2; Hist. II, 42. — INRUMPERE, Jug. 25, 9, *summa vi Cirtam inrumpere nititur*; 58, 1, *portam inrumpit*; sed cum *in* præposit. Jug. 12, 5, *qui postquam in ædis inrupere.* Apud Tacitum quoque accusativus frequentior est. — INSIDERE, Hist. I, 10, *montem sacrum et Aventinum insedit*; I, 116, *paucos saltum insidentes*; cf. Liv. 21, 54, 3; 26, 44, 2; (vi passiva 25, 13, 2); adde Plinium, et Tac. ann. II, 16. — INSILIRE, Hist. V, 4, *armatus equum insilire*, poetarum more. — INSULTARE, Hist. fr. inc. 50, *multos bonos insultavit*; cf. Tac. ann. IV, 59; apud Ciceronem, *insultare alicui* vel *in aliquem.* — PRÆTERFLUERE, Hist. II, 24 (cf. Liv. 41, 11). — SUCCEDERE ter apud Sall. cum acc. legitur: Hist. I, 105, *cum murum hostium successisset, pœnas dederat*; II, 61, *turmam equitum castra regis succedere et properationem explorare jubet*; III, 93, *muros successerant*; ceteroquin absolute positum (cf. Cæs. bell. gall. 2, 6; Liv. 31, 45). — SUGGREDI, quam vocem Boett. (lex. Tac.) propriam Taciti dicit, Sallustius primus adhibuisse videtur Hist. IV, 68, *stolide castra suggressus.* — SUPERVADERE, (Jug. 75, 2, *omnes asperitatis supervadere*), apud Cic. et Cæsar. deest, sicut et cetera ex præpos. *super* composita quæ cum accusativo junguntur.

E. — DE VERBIS ALIIS INSOLENTER CUM ACCUSATIVO JUNCTIS. — ABDICARE, Cat. 47, 3, *abdicato magistratu*, cujus constructionis nullum antea occurrit exemplum, sæpius vero a Livio usurpatur; (Cicero: *abdicare se magistratu*). — AUDERE Jug. 107, 4, *nihil illum palam ausurum*; cf. Hist. I, 45, 15 et 20; fr. inc. 28, *ubi multa nefanda casu super ausi atque passi.* — DECEDERE, Jug. 36, 4, *Romam decessit*, paulo insolentius prægnanti constructione pro: *provincia decedere et*

1. EADEM *ingredientem Gaium*. Vide quæ Dietschius ad ablativum fem. sing. defendendum affert. Jacobsius probat confertque Jug. 93, 5 (*eadem regreditur*) et 94, 2 (*ac sæpius eadem ascendens descendensque*). Sed parum verisimile est Sallustium hoc uno loco *ingredi* verbum dissimili modo construxisse; itaque *eadem* hic accusativum neutrius plur. esse existimo.

Romam se conferre. — DESINERE, Hist. I, 25, *bellum, quibus posset conditionibus, desineret*, id est bello finem imponeret. Cf. Cic. ad fam. 7, 1, *artem desinerem*, ubi significat *omittere, cessare ab aliqua re.* — FESTINARE, ut apud poetas, Jug. 64, 6, *animo cupienti nihil satis festinatur;* Hist. I, 117, *profectionem festinantes*; inc. 74, *soleas festinare*; (cf. Jug. 73, 1; 77, 1; 81, 4). — FRUI, vi passiva, Hist. III, 82, 6, *vos singulis habendos fruendosque præbetis.* — INCIPERE, Cat. 20, 3 *facinus*; C. 51, 5 *bellum*, ut Jug. 66, 1; 80, 3 et 5; 83, 1; *deditionem* (J. 70, 1); *prælium non inceptum* (J. 21, 2); *incipitur* J. (57, 3; 74, 2) [1]; *ne tam prava inciperet* (J. 64, 2). — LÆTARI, Cat. 51, 29, *ea populus lætari*; vi passiva, Jug. 14, 10, *lætandum magis quam dolendum puto casum tuum*; cum accus. et infinit., J. 110, 3. — MALLE, Cat. 17, 6, *incerta pro certis malebant*: rarior hæc structura, cf. tamen Tac. Hist. II, 86, et Cœl. ap. Cic. famil. 8, 4, *sed, ut spero, bonos et senatum malet*; peculiari sensu Cic. pro Planc. 24, *illi omnia malo quam mihi.* — MENTIRI, Cat. 48, 6, *cujus consilio tantam rem mentitus esset*; cf. poetas et Liv. 10, 40. — MODERARI, Jug. 82, 2, *neque linguam moderari*; hoc sensu accusat. post ætatem Augusti tantum occurrit. — NAVIGARE, Cat. 2, 7, *quæ homines arant, navigant, ædificant, virtuti omnia parent*; cf. Cic. de fin. 2, 3, *quum Xerces — maria ambulavisset terramque navigasset*, quam constructionem Quintil. I, 5, 38, solæcismum vocat: « ut fiat (solæcismus) adjectione, ut *veni de Susis in Alexandriam;* detractione, *ambulo viam.* » — PAVERE, Cat. 31, 3, *mulieres — omnia pavere*; cf. Liv. 5, 42 *pavere ad omnia;* Tac. hist. 3, 56; 4, 7). — PERGERE, Jug. 79, 5, *maturavere iter pergere*; cf. Tac. ann. III, 66; 4, 20. — POTIRI, Hist. inc. 91, *incerta potiundi* (V. ad ablat.). — PRÆSIDERE. Primus Sallustius hoc verbum cum accusat. junxisse videtur Hist. II, 34, *præsidentem socios*; Hist. III, 76, *incidere in colonos Avellanos præsidentis agros suos*, eodem sensu quo *præsidio esse, tutari.* — PROPERARE poetarum more cum accusat. junctum occurrit Jug. 37, 4. *aggerem jacere, aliaque, quæ incepto usui forent, properare*; cf. 105, 2; 102, 2, et Tac. *passim.* — PROPINQUARE, Hist. IV, 20, *tum vero Bithyni propinquantes jam amnem Tartanium*; (cf. Tac. ann. XII, 13). — SPECTARE, Hist. III, 61, *Creta altior est, qua parte spectat orientem*; cf. Liv. 33, 17. — SPERARE, Cat. 40, 2, *requirere cœpit, quem exitum tantis malis sperarent*; Jug. 24, 5, *amicitiam vostram et regnum meum spe-*

1. Quod Krebsius (Antib. p. 411) negat, passivam hujus vocabuli formam ullius esse auctoritatis ideoque improbandam censet, vehementer errat; cf. enim Cæs. b. g. 7, 17, *si inceptam oppugnationem reliquissent*; Ter. Andr. V, 1, 17; Plaut. Capt. II, 1, 36; Virg. Æn. VIII, 90.

rare; (cf. Cat. 58, 16; Hist. II, 50, 2); rarior illa quidem apud veteres structura, vide tamen Cæs. bell. civ. III, 96, *a quo genere hominum victoriam sperasset.* — VESCI, Hist. III, 28, *morbi graves ob inediam insolita vescentibus*; (cf. Tibullum II, 5, 64; Tac. Agric. 28); absolute positum Cat. 13, 3, *vescendi causa.*

VITABUNDUS. — Inusitatum hoc adjectivum apud Ciceronem et Cæsarem, cum accusativo, sicut et verbum ex quo factum est, conjungitur Hist. III, 20, vitabundus classem *hostium ad oppidum pervenit*; Jug. 60, 4, *et ea huc et illuc quasi* vitabundi *aut jacientes tela agitare.* Cf. Liv. 25, 13, 14, *vitabundus castra hostium consulesque*; similiter *mirabundi vanam speciem*, et Sisenna Hist. IV, (ap. Gell. XI, 15), *populabundus agros.* Ut adjectivus occurrit Jug. 38, 1, *ipse quasi* vitabundus *per saltuosa loca et tramites exercitum ductare*; similiter J. 101, 9; cf. Tac. Hist. III, 37.

Huic conferendum videtur ÆMULATOR, Hist. III, 6, *sed Pompeius — facta consultaque ejus* (*Alexandri*) æmulator *erat*, correctio Dietschii pro *æmulatus erat* quod ferunt Nonii codices; (Kritzius: *æmulatus erat*). Vid. quæ Dietschius ipse ad h. l. (Hist. III, 7), commentatus est.

Duo accusativa, rei ac personæ, cum verbis *adfligere* et *testari* occurrunt his locis: Hist. II, 70, *circumventi a dextera, unde ferrum erat, saxa aut quid tale capita adfligebant;* Hist. IV, 19, 10, *et ea, quæ accidere, testatum antea Cretensis, solos omnium liberos ea tempestate, et regem Ptolemæum*, quæ locutio, quam vix apud alium scriptorem reperiatur, eo excusari videtur quod voci *testari* simplex vel rei vel personæ accusativus legitime adjungitur; cf. tamen Cic. pro Sulla 12, 35, *hoc vos, judices, testor*, et Ter. Hec. III, 5, 26, *id testor deos*, quibus locis, ut et illo Sallustiano, res pronomine expressa est. Adde HORTARI, J. 49, 6, *ac pauca pro tempore milites hortatus*, et particip. passivi *doctus*, ut apud poetas, Hist. I, 111, *doctus militiam.*

Notandum quoque verbum ANIMUM ADVORTERE, quod cum accusativo rei aut cum accusativo sequente infinitivo jungitur: Jug. 35, 8, *at Jugurtha — non prius omisit contra verum niti, quam animum advortit supra gratiam atque pecuniam suam invidiam facti esse*; (cf. 69, 1); Jug. 93, 2, *animum advortit inter saxa repentes cochleas*, qui locus sane audacior est. Nam *animum advortere* cum duplici accusativo apud veteres quidem comicos usitatum est, sed semper fere cum pronominibus *id, hoc, illud*, etc.; apud Cæsarem vero et Sallustium pro archaïsmo tantum usurpatur, et apud Ciceronem nusquam invenitur (Freund). Cf. LUCR. II, 124, *hoc etiam magis hæc* animum *te* advortere *par est Corpora,* ubi accusativus rei nomen appellativum est. « Struc-

turæ autem ratio, Kritzius inquit (Jug. 69, 1), quam Herzogius durissimam dicit, talis est ut alter accusativus neque ab omissa præpositione *ad* vel *in* repetatur, neque vulgaris objecti ex verbo transitivo pendentis vim habeat, sed id significet, *cujus respectu* animum advertamus, id est animo vel attento simus vel intelligente. Neque ea ratio mutatur, si accusativus cum infinitivo sequatur. » — *Animadvortere* legitur Jug. 48, 1; 50, 1; 53, 1; 58, 4; 60, 4; 69, 1 (Jordan.); Hist. I, 51, 9; III, 1, 8; III, 82, 13 (ubi Dietschius *animum advortatis* scribit, Vaticanus codex *anim advertatis*). *Castigandi* vel *sæviendi in* significatione occurrit hoc verbum Cat. 51, 21 et 39 (*verberibus animadvortebant in civis*); absolute *animum advortere*, Hist. III, 83, 13.

F. — Accusat. pro ablat. post *in* particulam. — Accusativus cum *in* præposit. junctus legitur quibusdam locis, ubi ablativus expectetur, ut Jug. 112, 3, *cum talem virum in potestatem habuisset.* « Hæc dicendi ratio, Badstuebner inquit (Kritzium fere ad verbum referens), quæ eadem apud alios scriptores invenitur, ex celeritate quadam cogitandi vel sermonis negligentia profecta putanda est; quippe qua rei non solum certus status et conditio, qualis per se sit, declaretur, sed simul quomodo ista conditio sit effecta ostendatur, duæ igitur res, duabus enuntiationibus designandæ, in unam contractæ sint, ita ut verba *in potestatem habere* explicatius valeant : *in potestatem accipere et in ea habere.* Similiter Bœttig. lex. Tac. p. 25, qui zeugma in his Taciti locis inesse ait ubi *in* præp. cum acc. conjuncta ablativum simul complectitur. Cf. Tac. Hist. I, 87, *in custodiam habere;* Cæs. bell. civ. I, 25, 2, *quo facilius omne Hadriaticum mare in potestatem haberet*, et Auct. belli Hisp. 36, 1. Haud raro etiam *in potestatem esse* invenitur : Liv. II, 14, 4, *quæ* (auctio fortunæ) *ne in potestatem quidem populi Romani esset;* XXIV, 1, 13; XXII, 23; Valer. Max. I, 6; et Cicero ipse (pro lege Manil. 12, 33), *quum vestros portus in prædonum fuisse potestatem sciatis*, de quo loco Gellius subtilius quam rectius judicavit (I, 7), accusativum, apud veteres scriptores pariter atque ablativum his locutionibus usitatum (cf. Plaut. Amphit. : *numero mihi* in mentem *fuit*), a Cicerone propter suaviorem plenioremque sonum prælatum fuisse contendens. Vide præterea quæ laudaverunt exempla Kritzius ad Jug. 112, 3, et Cortius ad Cat. 19, 3, ubi hic, probante Gerlachio, *sed is Piso* in provinciam — *iter faciens occisus est*, pro *in provincia* scribit, plurimorum codicum fide, per *antiptosin* explicans accusativum, Jordanus vero cum Kritzio, Dietschio aliisque *in provincia*, nec immerito, malunt.

Alter locus est Jug. 111, 1, *quod polliceatur, senatum et populum romanum, quoniam armis amplius valuissent, non in gratiam habi-*

turos, quem Kritzius interpretatur, *quod polliceatur, id Romanos ita accepturos, ut ad gratiam comparandam non valere putent*, Diétschius *habituros id non ita, ut ad gratiam spectet.* Similes fere hæ locutiones videntur : *aliquid in meliorem partem ducere, in bonam partem aliquid accipere*; cf. Sallust. Jug. 85, 26, *ne quis modestiam in conscientiam duceret.* Paulo dissimilis a loco supra explanato locus est Jug. 103, 6, *dona omnia in benignitate habebantur*, quem confert Kritzius cum illo altero Jug. 111, 1, Badstuebner contra rectius sic interpretatur : *dōna omnia in benignitatis donis habebantur*, vel *dona inter ea esse credebantur, quæ ad benignitatem pertinent*, et confert cum Jug. 7, 6 *in amicis habere.* (Cf. ad ablativ., p. 119, k) [1].

G. — Verba *collocandi* notionem afferentia sæpius apud Sallustium cum præposit. *in* et accusat. junguntur; idque verum est, non solum de verbo *inponere*, quod apud optimos scriptores hac constructione usurpari solet, (sæpe etiam cum dativo), sed etiam de aliis, ut *conlocare :* Jug. 61, 2, *exercitum in provinciam, quæ proxuma est Numidiæ, himandi gratia conlocat*, ubi accusativus ex eo sane oritur quod hic notio motus prævalet, nam Metellus in provincia ipse non erat. Cf. Cæs. bell. gall. 8, 46, 2; Cic. Phil. II, 37, 94. At Jug 17, 3, *in divisione orbis terræ plerique in* parte tertia *Africam* posuere, Kritzius scripturam paucorum, eorumque deteriorum codicum, nec non Augustini (de civit. Dei 16, 17), *in partem tertiam* præfert, Gerlachiumque vituperans, qui (Comment. p. 240, et passim) eamdem significationem apud veteres scriptores ablativum habere quam accusativum affirmat, paulo subtilius diversam casuum illorum vim explicat, et allegat ad Cat. 51, 21, *addere in sententiam* [2], ubi differentiam inter quartum et sextum casum satis luculenter, (quod ad ipsum locum attinet), exposuit; at nostro loco illa explanatio non plane convenit. Sed hactenus.

Locare verbo præposit. *sub* cum accusativo jungit Sall. Hist. fr. IV, 29, *dolia cum sub trabes locata vitibus aut virgis vinciebant.*

Inponere cum *in* et accusativo, Hist. II, 74, *omnia sauciata corpora in ratis inposuisse*; sæpius vero cum dativo junctum, præsertim pronominum personæ, (Cat. 33, 5; Jug. 48, 9; 85, 28); aut cum adverbiis in quibus *in* præposit. cum accus. latet, qualia sunt *eo, quo, huc* :

1. Accusativum pro ablativo Corssenius (p. 265, sqq.), ex minuta aut fere nulla litteræ finalis *m* pronuntiatione ortum censet, cui opinioni assentitur Schultzius, loc. laud. p. 38, sqq.

2. De hoc loco notandum est Wirzium (loc. laud. p. 8), Anhaltium (l. l. p. 24) scripturam *sententia* probare. Cf. Bœse, (dissert. inaug. de fide et auct. codicis Sall. Vatic. 3864), qui post Gerlachium et Kritzium differentiam quæ inter duas scripturas intersit enucleare tentavit.

Jug. 47, 2, huc *consul — præsidium inposuit;* Jug. 66, 2, *igitur Vagenses*, quo *Metellus initio Jugurtha pacificante præsidium inposuerat;* J. 103, 1, *turrim regiam* quo *Jugurtha perfugas omnis præsidium inposuerat;* J. 75, 4, *conquirit quam plurimum potest domiti pecoris* eo *que inponit vasa.*

Distribuere paulo insolentius cum nomine urbis accusativo solo posito jungitur Cat. 30, 7, *uti gladiatoriæ familiæ Capuam et in cetera municipia distribuerentur.*

H. — Pro dativo accusativus cum *in* præpos. in verbis *vortere*, *trahere* (declinare pro *vortere* insolenter posito), his exemplis : Jug. 82, 3, *quam rem alii in superbiam vortebant*; Hist. II, 36, *ad hæc rumoribus adversa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando conrumpebant;* Jug. 92, 2, *omnia non bene consulta in virtutem trahebantur.*

I. — Accusativus prædicativus. — Frequens est apud Sall., ut apud optimos scriptores, accusativus prædicativus, præsertim cum verbis *habere*, *facere :* Cat. 41, 5, *dentque operam uti eos quam maxume* manufestos habeant, ubi proprio sensu *habere* usurpatum est; cf. Cat. 10, 5; 52, 7; Jug. 10, 3, etc.

Sæpius tamen diversis aliis constructionibus utitur :

1° Præpos. *pro* cum abl. verbis *habere, credere*, *ducere*, quorum sensus idem fere est, adjungitur : Cat, 58, 17, *audacia pro muro habetur* (cf. Jug. 18, 5; 31, 13 et 25; 103, 5; Cat. 52, 17); Cat. 15, 2, *pro certo creditur* (cf. 51, 36); Cat. 3, 2, *veluti ficta pro falsis ducit* (cf. 12, 2). Ea constructione bis tantum utitur Cæsar, sæpius vero Cicero aliique.

2° *In* cum ablat. singul. (apud Ciceronem *in numero, in loco habere*, interdum *loco;* vid. ad ablat) : *In incerto*, Cat. 41, 1, *Allobroges diu in incerto habuere* (cf. Jug. 46, 8); sed Jug. 95, 4, *incertum habeo*; — *in promptu habere* (Cat. 7, 1); — *in propatulo habere* (Cat. 13, 3); — *dona omnia in benignitate habebantur* (Jug. 103, 6).

J. — Accusativus substantivi ex verbo desumpti — Accusativus substantivi sæpe notionem verbi complet, hicque, præsertim apud veteres poetas, formam verbi accipit, ut *vitam vivere, somnium somniare*, (Plaut). Similiter apud aureæ ætatis scriptores, præter Cæsarem. Sallustius *facinus facere* sæpe adhibuit, sed semper juxtapositis per alliterationem duobus verbis : Cat. 7, 6, *dum tale facinus faceret*; Cat. 11, 4; 19, 5; 51, 6; 53, 2; Jug. 5, 4; 32, 2.

K. — Accusativi adjectivorum neutro plurali. — Pluralis accusa-

tivi *cetera*, *alia* adverbialiter usurpata sunt apud Nostrum : Jug. 19, 7, *præter nomen* cetera *ignarus populi romani*; Hist. IV, 8, cetera *egregius*; Hist. III, 57, *Germani* cetera *intectum renonibus corpus tegunt*, ubi *cetera* ex conjectura Dietschii scriptum; Hist. fr. inc. 80, *sanctus* alia; (cf. I, 94, *sanctus alias*). *Multa*, *omnia*, quæ hac constructione apud poetas et posteriores prosæ orationis scriptores occurrunt, apud Sallustium desunt.

L. — Accusativus cum urbium aut regionum nominibus. — Grammatici statuunt accusativum solum adhiberi substantivorum quæ urbes aut parvas insulas designent, magnarum vero insularum nomina et regionum accusativo cum *ad* vel *in* præposit. poni. Occurrunt tamen nonnulla, etiam apud Ciceronem, contraria exempla : Cic. pro lege Manil. 12, 34, *qui nondum tempestivo ad navigandum mari Siciliam adiit, Africam exploravit, inde* Sardiniam (nomen magnæ insulæ) *cum classe venit*; et apud Nostrum, Jug. 28, 6, *sed legiones per Italiam Regium atque inde* Siciliam, *porro ex Sicilia in Africam transvectæ*; paulo audacius, ut apud poetas, Hist. IV, 20, *tum vero Bithyni propinquantes jam amnem Tartanium*.

Ad nomina urbium quod attinet, Sallustius *ad* præposit. adhibet :

1° Si in viciniam tantum urbis quis venerit, neque in urbem intraverit, ut J. 75, 6, *eo modo instructus ad Thalam proficiscitur*; cf. Jug. 57, 1; 75, 9; 91, 4. 2° Si nomen appellativum *urbs*, *oppidum* jungatur cum nomine urbis, ut Jug. 90, 2, *legatum cum cohortibus expeditis ad oppidum Laris — ire jubet*, ubi *Laris*, accus. plur. est; cf. Jug. 37, 3; 81, 2.

Præpositionem vero *apud* usurpat, ubi quid in vicinia urbis aut esse aut factum esse voluerit significari (Badstuebner, cf. Fabri ad Jug. 20, 1) : Jug. 101, 6, *nam apud Numantiam loqui didicerat*; Hist. III, 1, 6, *castra apud Sucronem capta et prælium apud flumen Turium*. Cf. Jug. 20, 1; 58, 1; 60, 1; 89, 6; Hist. I, 30; I, 52; I, 72; I, 81; IV, 19, 13, 14 et 15. (De ablativo cum urbium nominibus juncto, vide infra cap. IV, A).

III.

De dativo.

A. — Notum est veteres scriptores post verba composita præpositionem repetere solere, poetas vero et posterioris ætatis scriptores dativum libentius adhibere. Mirum igitur non est si Sallustius aut solum aut cum variis præpositionibus junctum accusativum in adhibendis ver-

bis compositis dativo prætulit. Hæc tamen verba cum dativo juncta annotatione digna visa sunt :.

Adnuere cum dativo rei, pro *probare*, Hist. I, 45, 25, *adnuite legibus inpositis*; (cf. Virg. Georg. I, 40, *audacibus annue cœptis*, et passim). — Commori cum dativo primus Sallustius junxit H. I, 91, *obviam ire et commori hostibus*; cf. Sen. Ep. 77, *multa millia tibi commorerentur*. — Conjungere semper apud Nostrum cum dativo, nunquam vero, ut solet, cum ablativo et *cum* præpositione : Jug. 7, 7, *quis rebus sibi multos ex Romanis familiari amicitia conjunxerat*; Jug. 14, 14, *tertium Jugurtham beneficiis suis ratus est conjunctum nobis fore*; Hist. IV, 35, *Italiæ Siciliam conjunctam fuisse constat*. — Contra componere apud Sallustium et posteriores non cum dativo, sed cum ablativo et præposit. *cum* ponitur : Jug. 48, 1, *ubi Metelli dicta cum factis conposuit*. — Consultare pro *consulere*, insolentius cum dativo junctum Cat. 6, 6, *delecti reipublicæ consultabant;* qua constructione solus Aurelius Victor post Sallustium usus est. — Decet Hist. I, 100, *locum editiorem quam victoribus decebat*, ut apud Plautum et Terent. ; plurali numero, Jug. 49, 2, *quæ ab imperatore* (*provideri*) *decuerint, omnia suis provisa*; rarior illa quidem structura, sed exstat tamen apud Quintil. Inst. orat. VI, 1, 25; VIII, 6, 42; XI, 1, 42 et 48. — Incedere (Cat. 31, 1; H. II, 69). (V. ad accus. supra, p. 94). — Incurrere J. 101, 8. (V. ad. accus, supra, p. 96). — Inesse Cat. 17, 2, *quibus maxuma necessitudo et plurumum audaciæ inerat*; cf. 20, 11 ; 23, 2; 40, 6; 58, 2; Jug. 64, 1; Hist. II, 50, 4, *multa cura summo imperio inest*. Cicero semper huic verbo *in* præpos. cum ablat. adjungit, excepto tamen de Off. I, 42, *quibus artibus aut prudentia major inest aut utilitas quæritur*, ubi dativus propter concinnitatem membrorum videtur esse positus. Locus vero Cat. 15, 5, *igitur colos* ei *exsanguis, fœdi oculi, citus modo, modo tardus incessus, prorsus in facie voltuque vecordia inerat*, a superioribus non differt exemplis; nam pronomen *ei* cum verbo *inerat* jungendum est, verbaque *in facie voltuque* hic notionem possessionis non habent, quæ ad pronomen initio periodi positum pertinet. Absolute positum est Cat. 25, 5. — Instruere : Hist. I, 97, *neque se recipere aut instruere prælio quivere*; II, 33, *antequam egressus Sertorius instruere* [1] *pugnæ suos*. — Patens, quæ vox apud Ciceronem semper absolute ponitur, cum dativo junctum occurrit, ut apud Livium et Senecam, Jug. 92, 5, *mons mediocri castello satis patens*.

Intendere (intentus). — De participii « *intentus* » structura multa Sallustii interpretes variaque disseruerunt. Sæpius quidem absolute

1. Sic in utroque Arusiani codice.

positum occurrit (Jug. 40, 3; 46, 5; 49, 3, etc), semper fere cum alio participio vel adjectivo junctum; nonnullis vero locis cum objecto jungitur, quod utrum tertio an sexto casu positum sit incertum est: Jug. 76, 2; 89, 3; 94, 3; Cat. 4, 1; 54, 4. At Jug. 44, 3, *expectatione eventus civium animos intentos putabat*, vis tota participii passivi inest, ideoque ab aliis exemplis sejungendum hoc videtur. Cetera exempla sic explicari posse mihi videntur, ut ablativus non ut objectum verbi participio positi, sed ut causam quæ animos *intendit*, vel *intentos facit*, designans cogitetur. Sic clarior fit vel difficilior ille locus Cat. 2, 9, *qui aliquo negotio intentus præclari facinoris aut artis bonæ famam quærit*, ubi nimio æqualitatis amore Frœhner (Philol. xv, 4, p. 591), ut in locis supra laudatis, dativum videt, corrigens *aliquoi negotio* [1]. Cf. Kritz. ad Cat. 2, 9 et Jug. 76, 2, qui et dativum et ablativum admitti posse affirmat, remque declarat, qua quis intentus sit, non diversam esse ab ea, *cui* sive *in quam* sit *intentus*, confertque verbum *implicare*, quod sæpissime cum ablativo rei conjunctum est. Similis ablativi usus occurrit fragm. Hist. iv, 14, *scalas pares mœnium altitudine*, ubi *par aliqua re* ita dictum est, ut pro objecto, cui aliquid par esse enunciatur, id nominatur quo paritas efficitur; cf. Ovid. Fast. 6, 804. *In qua par facies nobilitate sua.*

Verbum *intendere* cum accusat. et *ad* præpos. jungitur Jug. 43, 2, *ad bellum, quod gesturus erat, animum intendit*; cum *in* præp. J. 20, 1, *in regnum Adherbalis animum intendit.* Similiter cum adverbiis motum indicantibus: Jug. 102, 1, *pervenit in oppidum Cirtam, quo initio profectus intenderat*; (cf. Jug, 107, 7); Jug. 64, 1, *ubi Marius haruspicis dicta eodem intendere videt, quo cupido animi hortabatur*, ubi *intendere*, ut simplex *tendere*, potestatem conatus et consilii habet; (cf. Jug. 104, 1; 74, 1). Cum accusativo solo activa vi invenitur Jug. 75, 8, *quia Numidæ officia intenderant*; Cat. 51, 3, *ubi intenderis ingenium, valet*; cf. Babstuebner, p. 22 adnot. ***.

B. — Dativus cum verbis passivis. — Pro ablativo et *a* præpositione verbis passivis dativus, Græcorum more, apud omnes scriptores cum gerundivo adjungi solet. Apud Ciceronem et ejusdem ætatis prosæ orationis scriptores, paucissimis exemplis exceptis, participio tantum et temporibus ab illo derivatis usurpatur hæc structura; apud poetas vero et Tacitum (trigesies fere) omnibus pariter temporibus omnium verborum occurrit. In qua constructione inest notio aliqua *commodi* ad personam quam dativus designat pertinentis; sin vero perfecto aut plusquam perfecto positum sit verbum, actionem omnino perfectam esse

1. Hoc testimonium a Badstuebnero mutuamur.

in mente personæ perdativum designatæ declaratur. Quod ad Sallustium attinet, perfecto indicativi *cognitum est* apud eum semper dativus adjungitur, ut Jug. 46, 3; 60, 5; 82, 3; 107, 3; 112, 1, quibus locis *cognitum est* idem valere quod *notum est* luce clarius apparet; (cf. *cognitus* Jug. 48, 1; 19, 7). Similiter *compertum est* usurpatur Cat. 14, 7; 22, 4; Jug. 75, 2, ubi idem quod *certo mihi persuasum est* valere constat. Paulo audacius Jug. 107, 1, *sæpe antea* paucis strenuis *advorsum multitudinem bene* pugnatum; Jug. 70, 2, *ex quo* illi *gloria opesque* inventæ; Hist. I, 45, 25, *quæ si vobis pax et concordia* intelliguntur, id est, *esse videntur*. Adde Hist. I, 45, 22, *victor exercitus*, cui *per tot volnera et labores nihil præter tyrannum* quæsitum est, ubi dativum, etiam activo verborum *quærere* et *parare* addi solitum, nihil insolentius habere Kritzius recte monet; (cf. Cic. de nat. deor. 2, 48, *sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quæritur*; in Verr. 3, 16; de off. 3, 9, quibus omnibus locis verbum *quærere* vi passiva sive præsenti sive imperfecto Indicativi ponitur). De hujus dativi potestate, vide Kritzium ad Jug. 46, 3, quem probat Badstuebner loc. cit. p. 23.

C. — Dativus ethicus, in humili sermone et apud comicos præcipue usitatus, raro apud Sallustium eadem de causa invenitur; vide tamen Cat. 52, 11, *hic* mihi *quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat*.

D. — Dativus possessionis. — Apud aureæ ætatis scriptores ad res, non ad qualitatem vel ad abstractum aliquid, pertinet illa constructio; apud Sallustium vero *dativi possessionis* usus latius patere cœpit: Cat. 52, 2, *longe mihi alia mens est*; Cat. 37, 1, *neque solum illis aliena mens erat*; ibid. 3, *quibus opes nullæ sunt*; Cat. 8, 5, *at populo Romano nunquam ea copia fuit* (*scriptorum*), etc., etc.; ac dici potest nullum fere alium prosæ orationis scriptorem tam multas habere cum dativo constructiones. Cf. etiam J. 49, 2, *ducem illis non animum mutatum* J. 4, 6, *eam flamman egregiis viris in pectore crescere, etc.*, quibus locis genitivus expectaretur.

E. — Dativus attributivus cum locutionibus *est nomen, cognomen*, semel tantum usurpatur a Cicerone (*cui Pyragro cognomen est*), qui nominativum adhibere solet, nulloque loco apud Cæsarem exstat. Sallustius contra dativum semper fere adhibet: Jug. 79, 5, *igitur Carthagine duo fratres missi, quibus nomen Philœnis erat*; 5, 4, *a P. Scipione, cui postea Africano cognomen ex virtute fuit*; Hist, II, 49, *Q. Metellum, cui postea Cretico cognomen inditum*; at cum genitivo H. I, 75, *cui nomen oblivionis condiderant*.

Ad verbum *licet* quod attinet, apud Sallustium usitatissimum, nul-

lum inveni exemplum verbi *esse* aliusve cum adjectivo juncti; non igitur affirmari potest dativo hic eum usum fuisse.

Notanda est locutio a Sallustio primo usurpata, *est mihi volenti* : Jug. 84, 3, *quia neque plebi militia volenti putabatur*; 100, 4, *uti militibus exæquatus cum imperatore labor volentibus esset*, quam ad Græcorum exemplum [1] eum instituisse primus monuit Priscianus; postea Livius, Tacitus aliique ea constructione usi sunt. — Præterea *esse* pro *licere* sive *concessum esse* cum dativo invenitur: Jug. 110, 3, *fuerit mihi equisse aliquando tuæ amicitiæ*; J. 3, 1, *neque illi, quibus per fraudem* [iis] *fuit*, quo loco sane corrupto Jacobsius pro *iis fuit* conjicit *licuit*, Dietschius vero *iis* simpliciter delet, ut et Jordanus. Cf. Virg. Ecl. x, 46, *nec sit mihi credere tantum!* Prop. i, 20, 13; Tibull. i, 6, 24. Dativus cum verbo *venire* pro *obvenire*, *contingere* usurpato bis invenitur: Jug. 8, 2, *si permanere vellet in suis artibus, ultro illi et gloriam et regnum venturum*; cf. Jug. 4, 4, ac præterea Cic. in Verr. ii, 14, 35; Plaut. Capt. iii, 4, 18; Liv. ix, 12, 1; xliv, 17, 7.

F. — Dativus finalis. — Hujus dativi usus, aliqua ex parte dativo commodi vicini, cum Sallustio latius patere cœpit, apud Livium vero præsertimque Tacitum audacius usurpatus est : Cat. 32, 1, *multa ante capere quæ bello* usui *forent*; Jug. 24, 10, *ut Jugurthæ scelerum* ostentui *essem*; Jug. 46, 6, *illa deditionis signa* ostentui *credere*; Hist. i, 45, 24, *quia secundæ res mire sunt vitiis* obtentui; Jug. 50, 2, *ne forte cedentibus adversariis* receptui *ac post* munimento *esset*; 98, 3, *uti suis* receptui *locus esset*; Jug. 69, 2, *civitas magna et opulens cuncta pœnæ aut prædæ fuit*, etc.

G. — Dativus ex substantivo pendens. — Interdum dativus ex substantivis verbo derivatis pendet; cujus raræ structuræ pauca tamen Ciceronis laudantur exempla, ut *traditio alteri, sibi ipsi responsio*; *obtemperatio legibus* etc., multa vero apud Livium et Tacitum occurrunt, et hic quidem dativo vim propriam tribuit, a genitivi universa potestate diversam (*paci firmator*, Ann. ii, 46). Sallustii vero satis multa hujus dativi exempla sunt, quorum nonnulla plurimum laboris interpretibus attulerunt :

Cat. 32, 1, *ibi multa secum ipse* (*Catilina*) *volvens, quod neque insidiæ consuli procedebant*, ubi Kritzius dativum a nomine cum verbo conjuncto (*insidiæ procedebant*) aptum esse dicit, Dietschius participium *intentæ* excidisse putat, Gruendel vero (Quæstiones sallustianæ), cui equidem libenter assentior, dativum ex substantivo pendere ait, conferens ibid. § 2, *insidias* consuli *maturent*. At hic utrum dativus a voce

1. Cf. βουλομένῳ μοί ἐστι.

insidiis, an a verbo *maturent* aptum sit, ut Dietschio placet, in dubio est; nam *rem aliquam alicui maturare* licet dicere; cf. Cic. pro Cluent. 61, 171, *huic mortem maturabat inimicus*, et Suet. Domit. 15, *maturare sibi exitium*.

Similiter Cat. 40, 3, *requirere cœpit quem exitum* tantis malis *sperarent*, Kritzius dativum videt ex verbis *exitum sperarent* pendentem, Dietschius ablativum absolutum, Jacobsius vero inter duas opiniones hæret. Equidem Gruendelio assentior qui ad *exitum* verba *tantis malis* refert, sed non ablativum hic videre possum, quippe cujus constructionis (sc. *exitus* cum ablativo) nullum exemplum afferatur, nisi forte cum voce *domo*; dativum potius hic pro genitivo positum esse existimo. Si enim Cæsar (B. Civ. 3, 9, 8), *oppugnationis exitus*, Cornelius Nepos *vitæ exitus* dixit, non video cur hoc loco *exitum tantis malis* Sallustius non dixerit, cum pluribus locis eum pro genitivo dativum adhibuisse constet. Ceterum confer Jug. 14, 24, *utinam emori* fortunis meis *honestus exitus esset*, ubi ablativus sane durior esset.

Denique Cat. 40, 3, miseriis suis *remedium mortem expectare*, vox *miseriis* etiam dativus esse videtur.

Nunc vero si rationem hujus constructionis perquiras, a discrimine repetenda est quod inter nomina et verba intercedit. « Nimirum nomina, Gruendel inquit, per se significant aliquid quod stabile est nec motum habet, verba contra quod, ut ita dicam, fluit atque fluens aliud quid aut efficit vel afficit (accus.), aut eo procedit (dat.), aut denique inde recedit (ablat.). Consectarium igitur est nomina proprie cum genitivo solo conjungi posse, quippe quo casu ratio duarum rerum quieto statu arctissime adhærentium significetur. Quod si tamen non ita pauca inveniuntur, quæ alios casus quam genitivum sibi assumant, aut substantiva verbalia sunt, quibus suamet ex origine notio rei fluentis, *id est* actionis inest, aut ejusmodi sunt ut iis hanc notionem cogitatione certe inserere liceat. » Quod quidem de substantivis *insidiæ*, *exitus*, *remedium* verum est.

Dativus finalis cum gerundivo aut cum substantivo et gerundivo jungi solet, præsertim post adjectiva quæ *utilitatem* aut *habilitatem* designant; apud Sallustium : Hist. III, 65, *M. Antonius perdundæ pecuniæ genitus*.

H. — Dativus cum adjectivis. — Adjectiva quæ similitudinem, vicinitatem, amicitiam aut odium designant cum dativo jungi solere notum est; rarius vero substantivi personam agunt et cum genitivo junguntur, ut apud Nostrum *advorsus*, (J. 43, 1, *advorso populi partium*), analogiam vocis *advorsarius* sequens. — *Similis* apud Sallustium semper

cum dativo junctum occurrit : Jug. 97, 5 ; Cat. 14, 4 ; Hist. IV, 36 ; III, 6 ; — *pronus* cum dativo, Jug. 114, 2, *Romani sic habuere alia omnia virtuti suæ prona esse*, id est *facilia* ; cf. Tacitum, Livium aliosque posterioris ætatis scriptores ; etiam sensu solito a Tacito usurpatur : *pronum deterioribus Principem exstimulabant.* — Pro *dativo*, ablativus et præpos. *pro* occurrit Jug. 88, 4, *urbis quæ viris aut loco pro hostibus et advorsum se opportunissumæ erant*, ubi tamen propter verba, quæ addita sunt, *advorsum se*, dubitari potest num primum objectum *pro hostibus* ab abjectivo pendeat.

Adverbii *prope* gradus, sive præpositionum, sive adjectivorum vice fungentes, varias constructiones habent apud Sallustium : 1° *Propior* cum dativo, Hist. II, 50, 9, *cujus* ætati *mors* propior *est* ; quæ constructio apud ceteros scriptores usitatior apud Nostrum semel tantum invenitur ; — cum ablativo et præp. *ab*, Hist. I, 51, 10, *quod multo* propius *est* ab eo *quo agitat statu* ; — cum accusativo, Jug. 49, 1, *ipse* propior montem... *suos conlocat.* 2° *Propius* adverbium cum accusativo, Jug. 18, 9, *hi* propius mare *Africam agitabant* ; Cat. 11, 1, *quod tamen vitium* propius virtutem *erat*, quo exemplo, cum Hist. 51, 10, collato, patet vanam esse opinionem Herzogii, qui dativo declarari otium vel locum simpliciter, accusativo autem appropinquationem designari affirmat [1]. 3° *Proxumus* cum dativo, Jug. 18, 4, proxumos nostro mari *locos occupavere* ; 78, 2, *quorum* proxuma terræ *præalta sunt* ; 61, 2, *in provinciam quæ* proxuma *est* Numidiæ... *conlocat* ; — cum ablativo, Jug. 18, 11, *possedere ea loca quæ* proxuma Carthagine *Numidia appellatur* ; 19, 4, proxumi Hispania *Mauri sunt* [2] ; 75, 6, *quam* proxumam oppido *aquam esse supra diximus* ; 94, 5, *uti quisque* muro proxumus *erat*, quibus posterioribus locis dativus quoque intelligi potest ; — cum accusativo, Jug. 49, 6, *in dextro latere*, *quod* proxumum hostis *erat* ; Hist. IV, 67, *qui* proxumi loca *hostium erant.* Pro *propinquus* vel *familiaris* positus, cum dativo invenitur : Cat. 14, 3, *ei Catilinæ proxumi familiaresque erant* ; Jug. 35, 4, *Bomilcari proxumo ac maxume fido sibi imperat* ; at cum genitivo, vice substantivi fungens, Jug. 80, 3, *regis Bocchi proxumos* ; (cf. 97, 2).

Quibus expositis, Sallustium varias constructiones verborum illorum promiscue adhibuisse, accusativum vero, quem ceteri boni scriptores præferunt, minus sæpe quam alios casus usurpasse, fateamur necesse est.

1. Hanc opinionem Herzogii Badstuebnerus non multum lucis afferre fatetur (loc. cit. p. 21).

2. Codices et editores variant et *proxume* pro *proxuma*, *proxumi* habent nonnulli ; nos vero Jordanum hic quoque sequimur.

Quod ad ablativum pertinet, *propinquitatis* notionem non solum loco ad quem acceditur, sed etiam unde advenitur constitui posse recte docuit Kritzius (Fragm. IV, 31); quo fit ut *propior*, *proximus* etc. haud raro cum ablativo et *ab* præpos. construantur, vel etiam solo ablativo, ut supra vidimus. Similiter *propinquus*, quæ vox cum dativo jungi solet, cum ablativo legitur Hist. IV, 31 : *C. Verres littora Italia propinqua firmavit.*

IV.

De ablativo.

A. — Ablativus loci. — 1° Ablativum loci, si designanda fuerit urbs (aut parva insula) unde quis veniat, cum præpositione (*ab*, *ex*, *de*) junctum adhibuerunt libentius auctores antiqui, ablativum vero solum sæpius aureæ ætatis scriptores. Apud omnes tamen utraque legitur constructio, cujus differentiæ rationem qui explicandam susceperunt, diu multumque fatigati, parum feliciter rem gesserunt [1]. Ex gr. quod Hand Tursell. I, p. 10, sq., qui totum hunc usum diligentissime observavit, statuit « legitime præpositionem poni, si quis cum exercitu ex aliqua regione vel ab alicujus urbis oppugnatione recedat », id sane verum est in summa etiam apud Sallustium. Cf. Jug. 61, 1, *Metellus, postquam videt frustra inceptum, — ab Zama discedit*; multis vero aliis locis apud eum præpositio usurpatur : — *a.* cum verbo *abesse*, vel adverbiis *procul*, *longe*, vel aliis vocibus quæ distantiam designant : Jug. 91, 2, *pervenit in locum tumulosum ab Capsa non amplius duum milium intervallo* ; Jug. 82, 1, *ceterum haud procul ab Cirta castris munitis reges opperitur*; (cf. Hist. IV, 16, *procul ab domo*) ; Cat. 40, 5, *tum Brutus ab Roma aberat*, ubi præpositio, quæ nonnullis codicibus deest, testimonio Prisciani confirmatur. Similiter cum aliis nominibus loci præpositio semper apud Nostrum usurpatur : Cat. 6, 4; 20, 16; Jug. 44, 5; 48, 3; 101, 8; — *b.* si nominibus urbium nomen appellativum *urbs, oppidum*, etc., adjungatur : Jug. 101, 4, *haud longe ab oppido Cirta undique simul speculatores citi se ostendunt*; 77, 1, *legati ex oppido Lepti ad Metellum venerant.* Exemplum Jug. 104, 1, *illosque* (*legatos*) *et Sullam ab Utica venire jubet*, legem ab Handio positam extendere videtur; nam Sulla legatique in hibernis erant, ac si utrum in ipso oppido Utica, an juxta oppidum (quod sane Romanorum erat) collocati essent, non satis constat, verisimilius tamen est in ipso oppido habitavisse saltem quæstorem Marii et legatos, quos magnifice habuerat.

1. Plures ex iis opinionibus allatas vide apud Badstuebnerum, p. 30.

2° In regionum (aut magnarum insularum) nominibus ablativus solus, (quam constructionem Quintiliani ætate solœcismum esse dicebant), rarissimus est ante Ciceronem, qui eum semel tantum usurpavit (*exercitum Britannia reportabant*, ad Attic. IV, 16, ex Orelli editione); item Cæsar unum exemplum (sed propter concinnitatem, ut videtur), præbet: *Corcyra atque Acarnania* (Bell. civ. III, 55); cf. Sallustium Jug. 33, 4, *Romæ Numidiæque facinora ejus memorat*. At Jug. 39, 4, *nam omnis exercitus, uti convenerat, Numidia deductus in provincia hiemabat*, et Hist. IV, 19, 21, *si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur exercitum*, clarissime apparet illius constructionis usus, qui apud Tacitum Sallustii imitatorem latissime patet. Cf. Jug. 75, 7, *tanta cœlo missa vis aquæ*.

3° Quum universe locus, ubi quid factum sit, declarandus est, vulgarem dicendi rationem secutus, Sallustius præpos. *in* omittere solet, si plurali *locis* attributum junctum sit: *omnibus locis* (Jug. 38, 5; cf. 50, 4; 60, 1; 85, 26); *opportunis locis* (Cat. 24, 2); *superioribus locis* (Jug. 51, 3); *æquioribus locis* (Cat. 57, 4, ubi forsan ablativus viam qua quis transeat rectius designet); *locis duobus* (Jug. 55, 6); *alia prælia aliis locis facere* (J. 87, 1). Singulari numero: Jug. 72, 1, *alio atque alio loco — noctu requiescere*.

« Adjecit autem præpositionem, ubi « *locus* » substantivo propria vi usurpato pronomen vel relativum vel demonstrativum subjunxit; quæ Fabrii sententia etiam Dietschio probatur, qui re subtilius explorata Sallustium docet præpositionem addidisse, ubi certis finibus circumscriptum locum aliis opponat intraque ejus fines aliquid factum esse commemoret » (Badstuebner); cf. Cat. 7, 7, *quibus in locis maxumas hostium copias populus romanus parva manu fuderit*; 58, 6, *diutius in his locis esse — egestas prohibet*; Jug, 54, 9, *in eisdem locis*; J. 76, 1, *neque postea in ullo loco — moratus*; 79, 4, 6 et 10; 93, 4; 101, 4, *ceteri in loco manentes*.

4° Sin translate positum est verbum *loco*, Sallustius præposit. amittit: Cat. 58, 5, *nunc vero quo loco res nostræ sint, juxta mecum omnes intellegitis*, ubi nonnulli codices præpos. exhibent. Kritzius quidem, qui hoc loco præpos. tuetur, eam pedestris orationis scriptores haud raro addere affirmat, ubi *locus* conditionem et statum significet, quod idem in vocibus *tempus*, *ætas*, *tempestas*, *dies* fieri observavit ad Cat. 48, 5, quem vide. Alio sensu Cat. 23, 1, *natus haud obscuro loco*; Hist. IV, 57, *humili loco Picens*; Jug. 61, 1, *suo loco pugnam facere*. J. 95, 2, *neque enim alio loco de Sullæ rebus dicturi sumus*; Jug. 14, 1, *vos mihi cognatorum loco ducerem*; Hist. I, 51, 5, *prædæ loco æstumantur*.

Apud auctores vero aureæ ætatis, exempla solius ablativi et ablativi cum præpositione *in* pariter inveniuntur.

5° Ablativus etiam invenitur his verbis *cœlo*, *terra*, *mari* (semper fere conjunctione junctis), quæ apud Ciceronem ipsum semel separata, poetarum imitandorum gratia, ut ipse ait, sæpius vero conjuncta occurrunt: Cat. 13, 3, *terra marique omnia exquirere*; 53, 2, *mari atque terra*; Jug. 17, 5, *cœlo terraque penuria aquarum*; et sine junctura, Hist. IV, 19, 13, *apud Calchedona terra fudi, mari exui classe pulcherrima*. Contra Jug. 79, 6, *ceterum solet in illis locis tempestas haud secus atque in mari retinere*, ubi *in mari* per concinnitatem positum videtur.

6° Ablativus loci sine præpositione *in* adhiberi potest apud optimos scriptores, si cum adjectivis *totus*, *universus*, *omnis*, *medius* jungatur; sæpius tamen præpositio usurpatur.

Cum aliis adjectivis satis rara est præpositionis omissio, frequentior tamen apud Livium et posterioris ætatis scriptores. Hæc Sallustii notanda in primis videntur : Jug. 79, 2, *pleraque Africa imperitabant*, et sine attributo (quod rarissimum est Sallustii ætate, apud Livium vero præsertimque Tacitum frequentissimum): Hist. III, 94 *fine inguinum ingrediuntur mare*, id est *inguinibus tenus immersi*; (cf. Cæs. bell. gall. VII, 47, 5, *pectoris fine promiuentes*, ubi Nipperdey sine necessitate *pectore nudo* correxit, et Liv. XXX, 1, 10, *P. Scipioni non temporis, sed rei ferendæ fine, donec debellatum in Africa foret, prorogatum imperium est*); Hist. II, 102, *diei medio*; (cf. Jug. 37, 4, *in prærupti montis extremo*); Jug. 47, 3, *aliisque generibus arborum quæ humi arido atque harenoso gignuntur*.

Castris sine præpositione duobus locis occurrit, Hist. III, 1, 5, *hiememque castris — egi*; cum attributo, Jug. 44, 4, *plerumque milites stativis castris habebat*; quorum verborum aliud exemplum non novi apud ceteros scriptores, qui *tenere*, *continere*, *se tenere*, *se continere*, (non autem *agere*, *habere*), cum ablativo vocis *castra* aut *in* præposit. pariter jungunt.

7° Ablativum loci qui interdum cum verbis *accipere*, *recipere*, *excipere* apud Cæsarem et Ciceronem occurrit, maxime si modum vel instrumentum designet, apud Sallustium semel tantum inveni, Jug. 28, 2, *placeretne legatos Jugurthæ recipi mœnibus*.

B. — Ablativus temporis. — 1° Præpositio *in* ablativo temporis adjungitur, ubi non tempus ipsum, sed rerum quæ eo tempore fiunt status vel conditio exprimitur (Kritzius), ut Cat. 48, 5, *tamen quia in tali tempore tanta vis hominis magis leniunda quam exagitanda vide-*

batur, ubi verba *in tali tempore* idem valent quod *rebus eo tempore ita conparatis*, vel *pro rerum eo tempore condicione* (Kritz.); J. 78, 2, *alia in tempestate*. Cf. *ea tempestate*, quæ locutio vicies fere occurrit; *hac tempestate* (Jug. 3, 1); *qua tempestate* (J. 79, 2). Similiter Livius locutionem *in tali tempore* adamat: *in illa tempestate* (22, 56, 4, etc.). Notandum est etiam J. 66, 3, *quippe in tali die*.

2° Pro præpositione *intra* et accusativo ablativus cum *in* usurpatur, Jug. 28, 2, *uti in diebus proximis decem Italia decederent* (cf. gallice *dans les dix jours*); J. 96, 1, *sollertissimus omnium in paucis tempestatibus factus est*; paulo aliter Jug. 38, 10, *præterea uti diebus decem Numidia decederet* (V. infra); cf. Ter. Andr. I, 1, 77, *in diebus paucis moritur*; Haut. v, 22, *in brevi spatio*, et Cic., *si filius natus esset in decem mensibus*.

Sæpius vero præpositio his constructionibus omittitur : Jug. 13, 6, *paucis diebus — Romam legatos mittit, quis præcipit*, ubi nonnulli codices *paucis diebus post*, alii *post p. d.* exhibent. Similiter Jug. 11, 2, *Micipsa paucis post diebus moritur*, eædem variationes occurrunt, ad quem locum Kritzius, assentiente Badstuebnero, hæc disserit : « Quin utrumque dici possit non est dubium ; tamen cavendum est, ne quis solius ablativi eandem vim esse credat atque alterius scripturæ præpositione auctæ. Nam quum *post* præpositione certus terminus designetur, quo expleto aliquid factum esse dicitur, id secus est ablativo nude posito. Quo quum proprie temporis punctum sive momentum significetur, in quod facta aliqua res incidit, tum longior quoque temporis ambitus, *intra quem* aliquid fit, isto casu comprehendi potest, ita ut quantum pateat iste ambitus dictum quidem sit, sed non necesse sit rem eo plane expleto factam cogitari. » Cf. Jug. 35, 9, *ipse paucis diebus profectus est*; 38, 10; 39, 4, *paucis diebus in Africam proficiscitur*; 46, 5; 64, 5, *dimidia pars exercitus si sibi permitteretur, paucis diebus Jugurtham in catenis habiturum*; 86, 4; 104, 7; 24, 1; 25, 5, *triduo navim ascendere*.

3° Si *tempus* pro *opportunum* vel *commodum tempus* positum sit, præpositionem semper adhibet Sallustius : Jug. 56, 2, *in tempore semet cum exercitu adfore*. (Cf Hist. I, 20; IV, 19, 18). Livius semel tantum *tempore* dixit, Cicero bis aut paulo sæpius.

4° Ablativus temporis in locutionibus *pace belloque, pace ac bello, bello et pace*, (etiam *bello*), apud Livium occurrit; cum adjectivo vel genitivo substantivi præposit. *in* vel omittitur vel adhibetur; Cicero *pace* et *in pace*, rarius *in bello* habet; Sallustium vero affirmari potest in veris ablativis temporis præpositionem cum vocibus *pace, bello* (*bellis*)

semper fere omisisse. — *a*. Si *bello* (*bellis*) cum attributo jungatur, semper illud sine præpos. ponit: Jug. 5, 4, *bello Punico secundo*; cf. Cat. 51, 6, *bellis Punicis*; 51, 5; 52, 30; 59, 3; Jug. 7, 2; 9, 2; 14, 5; 42, 1, *Punico atque aliis bellis*. — *b*. Ubi vero non simpliciter tempus belli significatur, sed potius res quæ in bello fiunt, aut ad bellum pertinent, præpositio adhibetur : Jug. 14, 13, *quod in familia nostra fuit, præstitit uti* in omnibus bellis *adesset vobis*; Cat. 2, 2, *tum demum periculo atque negotiis compertum*, in bello *plurumum ingenium posse* (id est *in rebus belli*); cf. Cat. 2, 3, *quod si regum atque imperatorum animi virtus* in pace *ita ut* in bello *valeret*; item 58, 2. Ceteroquin nusquam voces *bello*, *pace* sine præpositione separatim ponit, sed semper una ac disjunctivis particulis distinctas, ut Cat. 3, 1, *vel pace vel bello clarum fieri licet*; Jug. 19, 7, *itemque nobis neque bello neque pace antea cognitus*, ubi ablat. modi intelligi potest. Sin vero hæc verba separatim usurpantur, *in pace* semper, nunquam *pace*, quod apud alios scriptores est, invenitur apud Nostrum; similiter *in bello* paucis locis occurrit, ubi regula supra posita (sub *a*) non videtur valere : Jug 79, 3, *quæ res eos in magno diuturnoque bello inter se habuit*, ubi potius ablativus loci putandus sit; Cat. 9, 3, *audacia* in bello, *ubi pax evenerat æquitate, seque remque publicam curabant*, ubi, etsi verba *ubi pax evenerat* verbis *in bello* opposita esse videntur, tamen præpositio *in* substantivo *audacia* arcessi potuit; ibid. 4, *quod* in bello *sæpius vindicatum est in eos qui* —, in pace *vero, quod* —, ubi tamen per concinnitatem in verbis *in bello*, propter opposita verba *in pace*, adductam præpositionem conjicere licet. (Cf. Liv. 26, 26, 11, *qui vel in pace tranquilla bellum excitare possent, nedum in bello respirare civitatem forent passuri*; et passim).

5° Rarus est apud bonos auctores ablativus pro accusativo ad temporis diuturnitatem significandam (Cf. Cæs. b. c. I, 47, 3); et apud Sallustium invenitur : Jug. 54, 1, *quatriduo moratus*; 94, 3, *quamquam toto die intentos prælio Numidas habuerat*; sed accusativus est Jug. 69, 3 (*biduom*); 91, 3, *noctemque totam itinere facto*; 106, 1, *deinde eum et proxumum diem sine metu conjuncti eunt*. — Notandus hic videtur locus Hist. III, 38, *at Lucullum regis cura machinata fames brevi fatigabat*, ubi *brevi* græco ἐν ἀρχῇ respondere, neque idem valere quod *post breve tempus*, quæ vulgaris est vocabuli vis, sed rariore usu *per breve tempus* significare censet Kritzius. — *In tempus* sensu prægnanti pro *in aliquod tempus* positum est Hist. III, 82, 12, *itaque cetera ex licentia aut odio in tempus arsere; permansit una res modo*, ubi hæc ultima verba vim locutionis *in tempus* satis ostendunt[1].

1. Sic fere Badstuebnerus, p. 30.

C. — Ablativus modi. — 1° Ablativus modi qui ablativo absoluto sæpius similis videtur, plerumque apud optimos scriptores cum attributo jungitur, apud posteriores vero frequenter solus adhibetur, quod idem fit apud Sallustium : Jug. 91, 4, *repente omnem equitatum et cum eis velocissumos pedites* cursu *tendere ad Capsam et portas obsidere jubet*; 64, 4, *is eo tempore* contubernio *patris ibidem militabat*; 54, 5, *statuit non* præliis *neque* acie, *sed* alio more *bellum gerundum*; 97, 4. *equites Mauri atque Gætuli, non* acie *neque* ullo more *præli, sed catervatim — in nostros incurrunt.*

2° Ad significandas res levioris momenti quæ factum circumstant, plerumque *cum* præpositio adhibetur apud omnes, si attributum substantivo non adjunctum sit : Jug. 54, 1, *Metellus — saucios cum cura reficit*; 14, 15, *clausi in tenebris, cum mœrore et luctu morte graviorem vitam exigunt.* Sallustius vero frequenter etiam præpos. usurpat, ubi attributum ponitur : Jug. 66, 1, *cum magna cura parare omnia* (cf. 68, 1); sed Jug. 85, 2, *eo* majore cura *illam administrari — debere* (cf. Hist. III, 82, 28), et Jug. 7, 4, multo labore multa*que* cura; — Cat. 51, 38, *cum summo studio* (alias *majore studio, studio*); 58, 13, *cum summa turpitudine in exilio ætatem agere*; 59, 6, *cum magna gloria in exercitu fuerat*; 60, 2, *cum infestis signis concurrunt*; at Jug. 46, 5, *intento atque infesto exercitu in Numidiam procedit*, ubi *cum* præpos. pro ablativo absoluto expectaretur, præsertim cum apud Nostrum plerumque præpositio adhibeatur, si designandi sint equites, pedites, exercitus, quorum ope dux ad expeditionem aliquam perficiendam procedat; cf. tamen Cat. 57, 4, *utpote qui* magno exercitu — *sequeretur*. Adde Jug. 69, 1, *cum magno gaudio obvii procedunt* (at contra Hist. I, 18, maxumo gaudio *bellum irritare*); 92, 8, *vineæ cum ingenti periculo frustra agebantur*; Hist. II, 49, *cum magno tumultu invadit*; Jug. 65, 3, *atque hortatur ut contumeliarum in imperatorem cum suo auxilio pœnas petat.* — Notandum est præterea nunquam nisi in affirmativis enuntiatis præpositionem usurpari.

D. — Ablativus instrumentalis. — Ablativi *instrumentalis*, qui dicitur, vel *rei agentis*, hæc apud Sallustium notanda exempla existimavi, utpote quibus nomina rerum personarum agentium vicem suppleant et cum præposit. *ab* non solum post verba passiva, ut apud Ciceronem, sed etiam post adjectiva jungantur : Jug. 31, 2, *ut vobis animus ab ignavia atque socordia conruptus sit*; Jug. 48, 3, *vastus ab natura et humano cultu* (*mons*); Hist. I, 9, *nisi qua a paludibus invia fuit* (ubi Dietschius *a* litteram delendam frustra demonstrare conatur)[1]; Jug.

1. Similiter Fr. Vogel (Ὁμοιότητες *Sallustianæ*, Erlangæ, 1877, p. 53) præpositionem

92, 5, *nam omnis a natura velut opere atque consulto præceps* (ex conjectura Dietschii, plerisque codicibus *omnia natura* vel *omni natura* exhibentibus). At Hist. I, 55, *uti adulescentior et a populi suffragiis* integer *ætati concederet Mamerci*, ablativus privationis intelligendus est (cf. *liber a* Cat. 4, 2; Hist. III, 82, 15; *vacuus a* Cat. 14, 4; 51, 1; ac præsertim *quietam a bellis civitatem* (Hist. I, 106).

2° Accusativus cum *per* præpos., qui raro apud Ciceronem (Verr. I, 21) aliosque pro ablativo instrumenti positum invenitur, apud Livium sæpius (2, 32, *per causam renovati ab Equis belli*, sensu causali), apud Sallustium vero creberrime occurrit, cujus constructionis hæc exempla laudare satis erit : per dolum (Jug. 11, 8; 64, 3); per laborem *militiam discebant* (Cat. 7, 4); per licentiam (Cat. 6, 7); *nonne emori* per virtutem *præstat quam vitam miseram atque inhonestam* — per dedecus *amittere?* (Cat. 20, 9); *sed medium spatium aut* per humilitatem *obrutum est, aut* per angustiam *scissum* (Hist. IV, 35); per sceleris immanitatem *adhuc tutus fuit* (Hist. I, 45, 6).

« Pluribus locis aut adverbium conjunctum invenimus, ut Cat. 13, 2, *quippe quas* honeste *habere licebat, abuti* per turpitudinem *properabant*; 42, 2, inconsulte *ac veluti* per dementiam *cuncta simul agebant*; aut ablativum solum, ut Jug. 23, 1, *aut* per vim *aut* dolis *temptare*; (cf. Jug. 7, 1; 86, 3; Hist. I, 51, 15, et Liv. 39, 8, *multa* dolo, *pleraque* per vim *audebantur*); aut utrumque ut Jug. 4, 7, furtim *et* per latrocinia *magis quam* bonis artibus *ad imperia et honores nituntur.* » (Badstuebner).

Ad quam constructionem explicandam, Dietschius ad Cat. 20, 2 (*neque ego per ignaviam aut vana ingenia incerta pro certis captarem*) docet *per* præpositionem cum substantivo abstracto conjunctam semper significare qua ratione is, de quo dicatur, rem suam agat, ita ut fere instar adverbii sit. Badstuebner probat, sed tamen totam dicendi rationem ad Sallustii variandi orationem studium pertinere putat, pluribus exemplis (Jug. 5, 4; 20, 4, etc.), in quibus ablativus *manu* exstat, opponens locum Jug. 31, 22, *aut serviundum esse aut* per manus *libertatem retinendam*, ubi *per* præpositio expressa est : quæ quidem explanatio, si iis locis, quibus duplex aut triplex structura adhibita apparet, satis probabilis est, nullo modo aliorum exemplorum, multo sane plurium, rationem reddit. Ego vero existimo ad eam structuram adductos fuisse Sallustium aliosque, aucto paulatim usu constructionis illius, qua *per* præpos. cum nomine personæ juncta, eum designat cujus ope et

delendam censet, cujus argumenta alicujus momenti esse possent, nisi cetera Sallustii genuina exempla rem totam traherent.

auxilio res perficitur (ablativus instrumenti), ut Cat. 49, 1, *uti per Allobroges aut alium indicem C. Cæsar falso nominaretur*; (cf. Jug. 42, 1; 61, 3, etc.); quam opinionem confirmant hæc exempla, quæ medium inter hanc structuram illamque supra laudatam tenere videntur : Jug. 63, 1, *C. Mario* per hostias *dis subplicanti*; Hist. IV, 19, 16, per nostra corpora *bellum conficere*; (cf. Hist. I, 73); Hist. I, 45, 26, per hoc summum imperium *satis quæsitum erat nomini majorum*; Jug. 65, 5, *nobilitate fusa* per legem *Maniliam*; Hist. III, 77, 2, *et qui relicui erant*, per summa flagitia *detrectantibus militiam*; Cat. 51, 36, *ubi hoc exemplo* per senatus decretum *gladium eduxerit*; Jug. 14, 7, per scelus *crescere* (cf. Cat. 12, 5); quibus omnibus locis non abstracta sed res aut facta designantia nomina usurpata sunt.

3° Contra ablativo solo utitur nonnullis locis Sallustius, ut per homines aliquid fieri vel factum esse commemoret, (*ablativ. instrumenti*) : Jug. 59, 3, *ita expeditis peditibus suis hostis pœne victos dare*; 94, 3, *hostem tormentis sagittariisque et funditoribus eminus terrere*; Cat. 27, 2, *opportuna loca armatis hominibus obsidere*; (cf. Cic. Cœl. 2; ibid. 3 et 31, etc.). Cujus constructionis ratio in eo quærenda est « quod apud Romanos imperator militibus, non ut hominibus, quibus cum ipsi quædam esset conjunctio, sed ut rebus tantum vel instrumentis utebatur; cf. Boett. lex. Tac. p. 6. » (Badstuebner) — Ceterum Tacitus audacius nec solum in rebus militaribus hunc ablativum usurpat. Cf. Jug. 48, 4, *ea* (*loca*) *consita arbustis pecore atque cultoribus frequentabantur*, ubi ablativus solus *cultoribus* per concinnitatem positum videtur.

4° Ablativus cum verbis « facere, fieri, esse. » — Ablativus *instrumentalis* cum verbis *facere*, *fieri*, *esse*, qui apud Cæsarem et Tacitum deficit, apud Sallustium his locis occurrit : Cat. 52, 25, *dubitatis quid intra mœnia deprensis hostibus faciatis?* ubi etiam ablativus absolutus intelligi potest; Jug. 85, 17, *quod si jure me despiciunt*, *faciunt idem majoribus suis*, ubi plerique *majoribus suis* dativum esse putaverunt, duriorem structuram, si ablativus admittatur, existimantes, et ad Cat. 55, 3 (*idem fit ceteris per prætores*) remiserunt, ubi quoque nos ablativum videmus ; (cf. Cicer. et Liv. : *quidnam* se *futurum esset*, alias vero : *quid futurum* nobis *est*). Paulo aliter Sall. Cat. 50, 3, *refert quid de eis fieri placeat*. Dativus personæ rarissimus est : *quid mihi fiet*, *ait*. (Ovid.)

E. — Ablativus causæ. — Ablativus causæ cum verbis intransitiva aut passiva vi adhibitis jungi solet, quæ statum mentis indicant; sæpe etiam participium (*motus*, *inductus*, etc.) omittitur. Hæc constructio rara est apud Ciceronem, nisi cum substantivis *causa*, *gratia*; apud

Livium vero et Tacitum frequentissima. Sallustius eam satis adamat : Cat. 6, 6, *ei vel ætate vel curæ similitudine patres appellabantur*; 51, 16, *certo scio quæ dixerit studio reipublicæ dixisse*; Jug. 54, 6, *ea formidine multi mortales dediti obsides*; (cf. Jug. 74, 1; Hist. I, 45, 18; H. I, 32); 64, 5, *ita cupidine atque ira pessumis consultoribus grassari*; 53, 7, *imprudentia pœne admissum facinus*; et cum participio passivo vel adjectivo : Cat. 51, 4, *ira aut misericordia inpulsi*; Jug. 11, 8, *ira et metu anxius*; Cat. 49, 4, *seu periculi magnitudine, seu animi mobilitate inpulsi*; Jug. 100, 4, *non tam diffidentia futurum quæ imperavisset, quam uti...*; J. 49, 5, etc.

Ablativi *causa*, *gratia*, apud Sallustium creberrimi sunt : Jug. 65, 2, *custodiæ causa*; 85, 29, *fidei causa*; Cat. 33, 4, *quarum rerum causa*; Cat. 31, 5, *dissimulandi causa aut sui expurgandi*; Jug. 105, 2, *itineris properandi causa*; Cat. 23, 1, *probri gratia*; Cat. 45, 1, *rem omnem aperit, cujus gratia mittebantur*; Hist. I, 51, 14, *concordiæ gratia*; Cat. 61, 8, *visundi aut spoliandi gratia*; Jug. 61, 2, *hiemandi gratia conlocat*; Jug. 31, 17, *majores vestri parandi juris et majestatis constituendæ gratia*; 71, 5, *Jugurtham placandi gratia*, etc., etc.

(De locutionibus *ea causa*, *ea gratia*, pro *ejus rei causa*, *gratia*, vide ad Pronomen, p. 38; de *eo* = *ideo*, vide ad Adverbium, p. 46.)

F. — Ablativus originis. — Ablativus originis sine præpositione a poetis semper, a pedestris sermonis scriptoribus præsertim si origo non sit longinqua, adhiberi solet; Sallustius tamen præpositionem adhibet Jug. 108, 2, *nam pater ejus ex concubina ortus erat*; (cf. Jug. 5, 7); sed Cat. 31, 7, *ea familia ortum*; 5, 1, *nobili genere natus*; 23, 1, *natus haud obscuro loco*; Hist. IV, 57, *humili loco Picens*, ut apud plerosque.

Ceterum verbum *oriri*, quod apud Ciceronem cum præpositione *a* plerumque jungitur, apud Sallustium (excepto Cat. 31, 7) cum præpos. *ex* semper invenitur : Jug. 72, 1, *ne qua ex eo negotio seditio oreretur* (cf. 6, 7 et Cat. 34, 2); Cat. 6, 3, *invidia ex opulentia orta est*; 51, 27; Jug. 48, 3.

G. — Ablativus cum verbis amotionis aut separationis. — Ablativus solus apud veteres poetas frequenter, rarius apud pedestris sermonis scriptores, cum verbis separationem aut amotionem significantibus jungitur. Posterioris ætatis scriptores, præsertim Livius ac Tacitus, poetarum more ablativum solum præpositionibus prætulerunt. Sallustius multum in iis constructionibus variavit, sed dici potest eum rarius quam Livium aut Tacitum ablativum solum usurpasse, si nonnulla verba excipias, sæpius vero quam aureæ ætatis scriptores.

1° *Verba simplicia* : Movere apud Ciceronem cum ablativo jungitur, præsertim in usitatissimis locutionibus *movere loco*, *senatu*, *tribu*. Sic Sallustius Cat. 23, 1, *senatu probri gratia moverant*; at Hist. I, 7, *neque me divorsa pars in civilibus armis movit a vero*. — Pellere apud Ciceronem tantum cum substant. *domo*, *sedibus*, *civitate*, *patria*, *possessionibus*; apud Sall. semper : *pellere agro* (Hist. I, 10), *agris* (H. I, 49), *Italia* (H. I, 56), *sedibus* (Jug. 41, 8), *dominatione* (Hist. III, 82, 3).

2° *Verba composita* : Deducere (*de*, *ab*, *ex* apud Cæsarem et Ciceronem), cum ablativo solo Jug. 39, 4, *omnis exercitus Numidia deductus*. — Decedere, semper cum ablativo apud Sallustium : Jug. 20, 1; 23, 1 *Africa*; J. 28, 2; 35, 10 *Italia*; J. 38, 9 *Numidia*; J. 41, 3, *sed ubi ea formido mentibus decessit* (apud Cicer. *e* præpos. cum nominibus regionum, ceteroquin *de*, *a*, vel rarius abl. solus). — Degredi, qui apud Ciceronem [1] et Cæsarem non invenitur, duobus locis a Sall. adhibetur semperque cum solo ablativo : Jug. 49, 4, *monte degrediens eum exercitu*; Jug. 50, 1, *neque colle degredi animadvortit*. (Cf. Liv. 21, 32, 12, etc., qui quatuor exempla solius ablativi, nonnulla vero præpositionum *ex*, *a*, *de* habet). — Defluere, Hist. II, 38, *flumen Durda Tauro monte defluens*. — Degustare, Cat. 22, 2, inde *cum post execrationem omnes degustavissent*, pro usitato *degustare aliquid*. — Descendere cum ablativo, ut apud poetas et Livium : Jug. 50, 2 *monte*; Hist. V, 16 *equo*. — Deterrere *prælio* (Jug. 98, 5), pro eo quod est apud Ciceronem *deterrere a*, vel *de*; cf. Jug. 50, 6, *si ab persequendo hostis deterrere nequiverant*. — Deturbare, Hist. II, 100, *mœnibus deturbat*; (Cic. *deturbare ex* vel *de*, Cæsar *de* vel simplicem ablativum. Livius *ex* usurpat). — Dimovere apud solum Livium cum ablativo invenitur; Sall. (Jug. 42, 1) cum *a* præpos., *quos spes societatis a plebe dimoverat*; Cicero, Cæsar et Quintilianus hoc verbum non videntur usurpasse. — Egredi apud Ciceronem, Cæsarem, Livium, cum *ex* aut simplici ablativo, aut etiam cum *a* jungitur; apud Sallustium uno tantum loco cum *ex* (Cat. 49, 4, *egredienti ex senatu Cæsari*), omnibus aliis cum ablativo solo : Jug. 91, 3 et 93, 2 *castris*; Jug. 15, 2 *curia*; J. 44, 4 *provincia*; J. 91, 4 *oppido*; Cat. 46, 4 *domo*; Jug. 35, 10 *Roma*; cum accusativo, ut apud Cæsarem, Livium, Tacitum, Jug. 110, 8, *ego flumen Mulucham non egrediar*; Hist. I, 87, *gens raro egressa finis suos*; Hist. III, 36, *postquam egressus angustias*. — Ejicere cum ablativo solo : Jug. 14, 8, *verum ego eis finibus ejectus sum*; Hist. I, 49,

1. Sic lexicon Nizolii et Scoti, et lex. Freundii; Hildebrandius vero, quem sequitur Kühnast (Liv. Synt. p. 167, adn. 111), Ciceronem hoc verbum cum *a* et *de*, Cæsarem cum *ex* usurpasse dicit, nescio quo errore.

magna vis hominum convenerat agris pulsa aut civitate ejecta; quod rarissimum est; (cf. Liv. *porta* et Cic. *domo, sedibus*, etiam *navi* et *rostris*); at Jug. 14, 10, *ex Africa*, ut plerumque apud Cæsarem, Ciceronem et Livium. — EMERGERE *fundo* (Hist. IV, 37); cf. Tacit. Ann. I, 65, *paludibus emersum*. — ERIPERE cum *ex* præpos., ut apud omnes: Jug. 82, 3, *ex manibus*; Cat. 48, 1, *ex servitute*; 48, 4, *ex periculo*; cum ablativo, ut apud Cic. (qui *de* et *a* quoque adhibet), Cat. 46, 2, *civitatem periculis ereptam esse* [1]. — EXUERE aliquem aliqua re (Jug. 88, 3; Hist. I, 45, 11; III, 68; III, 82, 6; IV, 19, 13); quæ structura Cæsari Livio, Tacito satis frequentata apud Ciceronem non invenitur. — PROHIBERE cum ablativo tantum apud Tacitum legitur, apud Livium ter cum ablativo, apud Ciceronem et Cæsarem promiscue cum ablativo et præpos. *ab*; Sallustius vero tria tantum exempla præposit. *ab* præbet (Jug. 22, 4; 45, 3; 107, 1); cetera, numero fere septem, ablativum habent. Ac notandum est, ubi præpositio adhibeatur, substantivum nunquam vi corporea usurpatum fuisse (*ab injuria, ab jure, a delictis*), quod contra est in iis locis quibus omittitur (*mœnibus, mari, janua, fuga, commercio, pugna, civitate*), quibus omnibus aut aliquid concretum et corporeum, aut actio quædam designatur. Quanquam igitur hæc distinctio forte fieri potuit, et apud Ciceronem aliosque eamdem differentiam dispicere non licet, tamen hic eam oppositionem, quanticumque sit, quin ostenderem non potui. — SURGERE cum ablativo, ut apud poetas, Hist. V, 16, *sella surgere* (Kritz: *adsurgere*, ex Arusiano). — TERRERE (pro *deterrere*), sequente *a* præposit. et ablativo, Hist. I, 45, 6, *metu gravioris servitii a repetunda libertate terremini*; apud Cæsarem et Tacitum *terrere quominus*, apud Livium *terrere ne*, eodem sensu.

Addamus verbum ROGARE, quod uno tantum loco (Jug. 64, 1, *ab Metello missionem rogat*) cum ablat. et præpos. *ab* jungitur, ceteris vero locis analogiam sequitur.

De verbo MUTARE etiam pauca dicenda videntur. Ablativo ponit Sallustius rem quam mutatione acceptam commemorat; eadem structura utuntur ceteri historici, Cicero autem *commutare* tantum eo sensu adhibet: Cat. 58, 15, *nemo nisi victor* pace *bellum mutavit;* Hist. I, 51, 7, quorum *nemo non* diurna mercede *vitam mutaverit*; Jug. 44, 5, *eaque mutare cum mercatoribus* vino; Hist. III, 82, 26, *cunctaque* præsenti ignavia *mutavistis;* Hist. inc. 31, *togam* paludamento *mutavit*; at Jug. 83, 1, *tamen non debere incerta pro certis mutare*. (De loco

1. Hic commemoranda videntur adjectiva *exul, extorris*, qui, apud Ciceronem semper absolute posita, apud Sallustium cum ablativo juncta occurrunt: Jug. 14, 17, *nunc vero exul patria, domo;* ibid. 11, *extorrem patria, domo, inopem et cooperlum miseriis effecit;* Hist. II, 97, *orbe terrarum extorres*.

Jug. 38, 10, vide quæ in paragrapho *de Verbis absolute positis* inscripto disputavimus).

H. — Ablativus abundantiæ vel egestatis. — Verba quæ abundantiam vel egestatem designant cum ablativo jungi solere, adjectiva vero ejusdem significationis cum genitivo sæpius inveniri constat. Sallustius, quanquam adjectivum *plenus* semper cum genitivo ponit, tamen verba *conplere*, *replere*, *explere* (*implere* cum objecto usurpatum deest), cum ablativo semper jungit; item *carere* cum ablativo tantum occurrit; *egere* vero ter cum ablativo, sæpius cum genitivo invenitur; *indigere* unum exemplum, idque cum genitivo, præbet. (Vide ad genitivum.)

Ad adjectiva quod attinet, *inanis*, quod sæpius cum genitivo jungi solet, apud Sallustium cum ablativo tantum est: Hist. III, 34, *tota autem insula modica et cultoribus inanis est;* (cf. Cic. ad Attic. II, 8; at cum genitivo: de Orat. I, 9, 37; pro Mur. 12, 26).

I. — Ablativus relationis. — Ablativus relationis, quo plerumque supinum in *u* desinens explicatur, præsertim in nominibus *verbo* (*nomine*, *specie*) — *re* (*usu*) duas cogitationes opponendi causa occurrit; sæpissime etiam cum adjectivis usurpatur quæ statum animi, aut infirmitatem corporis designant: Jug. 16, 5, *partem Numidiæ* specie *quam* usu *potiorem*; Jug. 85, 12, *nam gerere quam fieri* tempore *posterius*, re *atque* usu *prius est*; Jug. 52, 6, *postquam Rutilium consedisse jam et* animo *vacuom accepit*; J. 113, 3, voltu *et* oculis *pariter atque* animo *varius*; J. 11, 5, *Micipsam parum* animo *valuisse* [1]; Hist. II, 45, *quem* corpore *et* lingua *percitum et inquietem nomine histrionis vix sani Burbuleium appellabat;* Hist. III, 20, omni corpore *quietus*; Jug. 29, 1, *animus æger* avaritia; Cat. 59, 4, *C. Antonius* pedibus *æger;* Cat. 25, 2, *hæc mulier* genere *atque* forma, *præterea* viro, *liberis satis fortunata fuit*, etc., etc.

J. — Ablativus cum verbo putare. — Paulo insolentius verbum *putare* cum *in* præpositione jungit Sallustius : Cat. 2, 2, *maxumam gloriam in maximo imperio putare*; 43, 4, *maxumum bonum in celeritate putabat*; 19, 2, *boni complures præsidium in eo putabant;* Jug. 53, 3, *dum in elephantis auxilium putabant*; quibus omnibus locis eodem sensu usurpatur quo *ponere in* apud Ciceronem, Cæsarem, Livium, etc.; (cf. Cæs. bell. gall. V, 34, 2, *omnem spem salutis in virtute ponebant*). Eam structuram ad Sallustianam in dicendo brevitatem referendum putat, omissoque verbo *esse* vel *situm esse* explicat Badstuebnerus; quæ quidem explicatio eo verisimilis est quod Sallustius cum verbo

1. Hic notandum est minus frequentem apud Sallustium hujus ablativi usum fuisse, quippe qui sæpius cum adjectivis genitivum *animi* adhibuerit.

putare nunquam *esse* jungit, quanquam infinitiva aliorum verborum, ut *posse*, adhibet, unde fit ut duos accusativos simul huic verbo appositos esse frequenter appareat, ut Cat. 3, 2, *quæ sibi quisque facilia factu putet;* 7, 6, *eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant;* 36, 4, *quæ prima mortales putant;* 48, 2, *incendium vero crudele, immoderatum ac sibi maxume calamitosum putabat;* 51, 41, *hanc ego causam — in primis magnam puto.* (Cf. Jug. 15, 1; 19, 2; 44, 3, etc.: Hist. I, 45, 1).

K. — Ablativus mensuræ vel differentiæ. — Ablativum *paulo* Sallustius, non solum cum comparativis et adverbiis *ante*, *post*, usurpat, ut omnes alii scriptores, sed cum verbo *procedere*, in quo comparationis notio inest: Jug. 92, 8, *nam cum eæ paulo processerant*; item Cæsar, b. gall. 2, 20, *paulo longius processerant*; ibid. 6, 26, *sed magnitudine paulo antecedunt*; cum adverbio *ultra* (b. civ. 3, 66); cum adv. *extra*, *nimium* (Cicero, *passim*).

Dissimilis videtur locus, Hist. IV, 14, *scalas pares mœnium altitudine*, ubi *par* cum ablativo ita dictum esse Kritzius docet, ut pro objecto, cui aliquid par esse enunciatur, id quo efficitur paritas nominetur. De genitivo autem tacet, ideoque eum ad *altitudine* referre videtur; ego vero potius ad adjectivum referam. Ceterum alio loco Sall. *cum* præpos. adjectivo *par* adjungit, Jug. 14, 9, *quem tu parem cum liberis tuis regnique participem fecisti*; duobus ceteris, Cat. 14, 4, Hist. II, 14, utrum dativus an ablativus sit propter similem utriusque formam incertum est.

L. — Ablativi qualitatis paulo audacius exemplum præbet Sallustius, Jug. 57, 6, *parique periculo sed fama inpari boni atque ignavi erant*, ubi verba *pari periculo* per concinnitatem videntur posita esse.

M. — Ablativus comparationis cum verbo *anteferre*, in quo inest comparationis notio, conjunctum occurrit, Jug. 16, 3, *uti fama, fide, postremo omnibus suis rebus commodum regis anteferret*, ubi Jacobsius *famæ*, *fide* (quam formam contractam ex *fidei* intelligit), dativo ponit, Dietschius vero *famæ fide* audaciore conjectura scribit; at optimi codices scripturam a Kritzio et Jordano acceptam confirmant, quæ quidem facile explicari potest. (Vide Kritzium ad h. loc).

V.

De locativo.

Locativus *humi* græco χαμαί respondet, et apud posteriores scriptores usurpatur etiam cum verbis quæ casum alicujus corporis designant. Si-

militer Sall. Cat. 55, 3, *locus — circiter duodecim pedes humi depressus*; at more solito Jug. 85, 33, *humi requiescere*.

Belli locativus, qui rarissime solus invenitur, (cf. tamen Plautum et Cic. de Rep. II, 32, 56, ubi nonnulli genitivum vident), apud Sall. semper *domi* voci oppositum invenitur: Jug. 63, 2, *animus belli ingens, domi modicus*; cum conjunctione, Jug. 41, 7 (*paucorum arbitrio belli domique agitabatur*), et Hist. II, 50, 6. At Hist. II, 18, *sed ipsæ* belli *promptissimos delegebant*, alii locativum, alii genitivum vident, ut Kritzius qui confert Jug. 84, 2, *plerosque* militiæ, *paucos fama cognitos accire*, (falso equidem, nam hoc loco *militiæ* locativus est, non genitivus); ceterum admittere difficile est *promptus* adjectivum cum genitivo jungi, cum ceteris omnibus locis Sallustius ablativum usurparit, duoque tantum genitivi exempla afferantur a lexicorum auctoribus, quorum unus Taciti (Hist. II, 23 — *promptus animi*), alter Gellii cum superlativo (X, 22, *Plato veritatis amicissimus ejusque omnibus exhibendæ promptissimus*) rationem aliam patiuntur. Nam *animi*, (quem nonnulli inter recentiores, hujus casus nimis studiosi, si cum adjectivis vel verbis jungatur, locativum esse existimarunt), pro genitivo relationis habendus est; et in Gellii exemplo per concinnitatem genitivus adduci potuit.

Quod ad vocem *militiæ* pertinet, notandum est eam, ubi pro locativo sit, semper apud Nostrum, ut solet, (excepto tamen Jug. 84, 2), cum voce *domi* jungi: *domi militiæque* (Cat. 5, 9; 6, 5; 9, 1; 29, 3; 53, 2; Jug. 14, 1; 31, 25; Hist. II, 50, 1); *militiæ et domi* Hist. I, 1.

In Jug. 33, 4, *Romæ Numidiæque facinora ejus memorat*, multum inter se discrepant interpretum explicationes. Guardia et Wierzeyski (Gr. lat.), Draegerum profecto sequentes, *Numidiæ* ad *facinora* referunt; multo rectius Kritzius et Jacobsius per concinnitatem *genitivo loci* nomen regionis post nomen urbis (*Romæ*) positum fuisse putant; cf. J. 28, 6, *sed legiones per Italiam Regium atque inde Siciliam, porro ex Sicilia in Africam transvectæ*.

Adverbia in *im* desinentia Draegerus (Hist. Synt. p. 531), Corssenium sequens, locativorum reliquias esse putat, quibus *m* littera in fine adjuncta fuerit.

VI.

De genitivo.

A. — Genitivus partitivus vel quantitatis. — Hic genitivus cum substantivis aut adjectivis nominibus, aut etiam cum pronominibus adverbiisque jungi potest.

1° *Mille* omnibus temporibus cum genitivo pluralis usurpatur, sed tantum nominativo et accusativo, ut observavit Q. Schmidt, (Berl. Zeitschrift für das Gymnasialw., 1868, p. 537); cujus unum tantum exemplum affert Sallustius Jug. 68, 3, *docet oppidum Vagam non amplius mille* passuum *esse*. At in Jug. 105, 3, *cum mille non amplius equitibus sese ostendit*, substantivum ablativo casu ponitur propter *cum* conjunctionem, nulla *mille* vocis ratione habita.

2° Genitivus adjectivis neutrius generis sæpius apud Nostrum subjungitur: quæ constructio apud veteres scriptores admodum infrequens, nunquam fere apud Ciceronem nisi plurali numero (præsertim cum comparativis et superlativis) invenitur; sed postea a Livio sæpissime maximeque a Tacito utroque numero usurpata est Sallustium imitantibus. Cf. Drakenb., ad Liv. 37, 58, 8; Draeger, Syntax und Stil des Tacitus, § 66; Kuhnast, Die Hauptp. d. Liv. Synt. p. 78.

Pluralis numeri cum genitivo juncti hæc exempla notavimus : Jug. 102, 9, *pleraque humanarum rerum*, ubi etiam constructio per synesim conspicitur; Hist. III, 82, 4, *certaminis advorsa* ; Hist. II, 52, *cava terræ* ; H. I, 21, *incerta generis humani*; H. II, 50, 7, *Italiæ marituma et provinciarum;* H. IV, 32, *Italiæ plana ac mollia*; H. III, 7, *reliqua cadaverum*; H. I, 6, *in Oceani longinqua*; Jug. 78, 4, *legum cultusque pleraque Sidonica*. Adde Hist. II, 24, *inter læva mœnium et dextrum flumen Turiam*, ubi Dietschius nimia prudentia *læva mœnia* correxit, quanquam scriptura *mœnium* Prisciani (V, 2, 6, p. 160, VI, 2, 9, p. 224) testimonio satis munita videtur. Falso quidem ille ad hunc locum genitivum cum adjectivi neutro plurali ita tantum conjunctum esse affirmavit, ut partes totius alicujus rei dicerentur, ut patet ex iis quæ supra laudata sunt exemplis « *advorsa certaminis, longinquæ Oceani* », in quibus adjectiva qualitates adjunctorum substantivorum, non partes significant. Recte vero Kritzius : « Nota insignem dicendi brevitatem, qua *inter læva mœnium* etc. dictum est pro *inter mœnia, quæ erant a parte læva et flumen Turiam, quod erat a dextra.* » At huic sagacissimo Sallustii interpreti assentiri nequeo, cum hoc loco conferenti Catil. 59, 2, *nam uti planities erat inter sinistros montis et ab dextra rupe aspera*, ubi *rupis aspera* corrigere non dubitavit, contendens propter propositionem *inter* accusativum hic necessarium esse. Nam accusativus pluralis neutrius *aspera* cum ablativo causali construi profecto potest, etsi duriusculum quid propter brevitatem efficitur ; jure igitur interpretatus est Jacobsius : *ab dextera* (*erant*) *loca propter rupem aspera*, et scriptura plurimorum atque optimorum codicum servanda est.

Singularis quoque numeri non desunt exempla : Jug. 93, 2, *ad summum montis*; Jug. 37, 4, *in prærupti montis extremo*; Jug. 21, 2, *diei extremum erat*; Jug. 90,1, *nam æstatis extremum erat*; Jug. 21, 2, *plerumque noctis*, (cf. 98, 6, 109, 4 et Liv. 45, 9, *plerumque Europæ*); Jug. 51, 12.*multum diei*; Jug. 31, 1, *plus periculi quam honoris est*; Jug. 42, 4, *plusque in relicum sibi timoris quam potentiæ addidit* (cf. Jug. 44, 2; Cat. 42, 4); Jug. 15, 40, *omnibusque bonis oportere plus gloriæ quam divitiarum esse*; Cat. 17, 2, *quibus plurumum audaciæ inerat*; Hist. I, 45, 1, *plurumum timoris mihi faciunt*; Jug. 75, 4, *quam plurimum potest domiti pecoris*; Jug. 75, 5, *quam plurumum quisque aquæ portaret*; Jug. 102, 7, *offensæ minumum;* Jug. 14, 12, *multum laboris*. Sic Anhaltius ex Vaticano ceterisque codicibus; Jordanus vero rectius ex Parisiensi codice *multum laborem*, minus usitatam, ut videtur, constructionem in textum recepit.

3° Fatendum tamen est adjectiva quantitatem significantia neutro genere posita apud omnes scriptores, etiam apud Ciceronem inveniri, ex. gr. *plus*, *minus*, *plurimum*, *minimum*, *multum*, cetera. Contra Sallustius quædam adverbia quantitatis, ut *abunde*, *affatim*, nunquam cum genitivo usurpat, sed aut substantivo vel adjectivo simpliciter adjungit; Jug. 43, 3, *arma*, *tala*, *equos et cetera instrumenta militiæ parare*, *ad hoc commeatum affatim;* Jug. 54, 6, *frumentum et alia quæ usui forent affatim præbita*. Jug. 102, 7, *quod parentes abunde habemus*; Jug. 85, 10, *nam strenuis abunde dictum puto*; J. 14, 8, *abunde magna præsidia nobis in vostra amicitia fore*; J. 85, 26, *abunde illis facundam et conpositam orationem fore;* J. 1, 3, *abunde pollens potensque*; aut ea cum verbo *esse* jungit, (Cat. 21, 1; 58, 9; Jug. 63, 2; Hist. III, 82, 26) de qua structura supra disputatum est. « Similis usus adverbii *satis* apud Ciceronem exstare videtur Auct. ad Herenn. 1, 1, 1, *etsi vix satis otium studio suppeditare possumus*; Cic. ad Att. 12, 15, *si satis consilium quadam de re haberem*. (De quo vide Klotzium in Jahnii nov. ann. 1833, VIII, 1, p. 16) [1]. » In quibus exemplis similibusque adverbium absque casu poni, accusativum vero regi a verbo recte affirmavit Ruddimannus.

4° Insigne exemplum est Jug. 48, 3, *vestitus* (*collis*) *oleastro ac murtetis aliisque generibus arborum*, *quæ* humi arido atque harenoso *gignuntur*, ubi *humi* veram scripturam esse patet, quippe quæ Prisciani (XVIII, 31, 306, p. 271, ed. Kr.), et Arus. Messi (in Gram. lat. vol. I, p. 234, ed. Lindemann) testimonio, ac nonnullorum optimorumque auctoritate codicum munita sit. « Cæsar quoque *aridum* neutro genere

1. Hæc a Badstuebnero mutuati sumus, (p. 25, not.).

substantivi loco usurpavit, bell. gall. IV, 24, 2, *cum illi aut* ex arido (*sc.* littore) *aut paulum in aquam progressi, omnibus membris expeditis, notissimis locis audacter tela conjicerent*; 26, 4, *simul in arido constiterunt*; 29, 1, *quasque* (*naves*) *in aridum subduxerat* [1]. » Scriptura nonnullorum codicum *humo arida atque arenosa*, quam per ignorantiam librarii dederunt, omnino rejicienda est. Nam vidimus vestigia in Sallustio quoque reperiri ejus loquendi usus, qui apud poetas et Tacitum frequentissimus est, ut adjectivum non genere, numero et casu cum suo substantivo congruat, sed neutro genere positum alterius nominis genitivum adjunctum habeat. (Cf. Tac. *lubrico, humido paludum*). Neque admittendum est, id quod nonnulli voluerunt, hic vocem *humi* locativum esse casum; nam in ablativum mutatur ea vox, si cum adjectivo jungatur : *sedit humo nuda* (Ovid.).

B. — Genitivus cum adjectivis. — 1° Genitivus permultis adjectivis, quæ dicuntur, relativis additum est apud Nostrum, ut apud poetas et posteriores solutæ orationis scriptores : Cat. 3, 4, insolens *malarum artium*; Hist. IV, 6, insolens *vera accipiundi*; Jug. 39, 1, *pars* insolita *rerum bellicarum*; Hist. II, 79, *genus* insolitum *serviti*; Hist. I, 114, *libertatis* insueti [2]; Hist. I, 93, prudens *omnium quæ senatus censuerat*; H. IV, 19, 16, *militibus belli* prudentibus; H. I, 112, egregius *militiæ*; H. V, 15, cupientissumus *legis*; Cat. 52, 36, manufestis *rerum capitalium*; (cf. Jug. 35, 8); Hist. II, 18, promptissimus *belli*; H. II, 91, *belli sane* sciens; (cf. J. 97, 5); 85, 45, *exercitus locorum* sciens ; 100, 3, *locorum* scientissumi; cf. 97, 3); H. I, 70, *et numeri eorum Metellus per litteras* gnarus; (cf. III, 79); IV, 22, *locorum* pergnari; Cat. 5, 4, *alieni* adpetens; — præsertim adjectivis *egestatis* et *abundantiæ* : Jug. 90, 1, *ager aridus et frugum* vacuus (quod adjectivum aliis locis semper cum ablativo solo, ut Hist. I, 104 vacuam *istam urbem viris militari ætate*, aut cum *a* præpositione junctum est, ut Cat. 14, 4 *a culpa* vacuus; cf. C. 51, 1, et Hist. III, 65); Cat. 5, 4, *alieni adpetens, sui* profusus; H. II, 92, *frugum pabulique* lætus *ager*; cf. *lætissimus umbræ lucus* (Virg.); Jug. 79, 6, *loca æqualia et* nuda *gignentium*; Cat. 7, 6, *pecuniæ* liberales *erant*.

2° Adjectivis quæ statum aliquem aut affectum animi indicant libenter genitivum adjungit Sallustius, præsertim *animi* [3] substantivi, aut *consili:*

1. Cf. Badstuebner, p. 24.
2. Sed Hist. II, 77 suetum *latrociniis;* II, 78 *rapinis* suetum *magis quam agrorum cultibus*.
3. Vir doctus, qui apud Gallos de Virgilio ac Plauto bene meritus est, Eug. Benoist, in sua editione Virgilii præstantissima, vocem *animi* hic idem valere atque *in animo*, et locativi genus quoddam esse videri affirmavit; quæ quidem explanatio ad plura ejus exempla illustranda valet, ut *modicus voluptatis, atrox odii, integer vitæ*, etc.

Hist. IV, 75, ANXIUS *animi*; Hist. II, 93, *ipse animi* ATROX; Hist. III, 15, *ad Cyzicum perrexit* FIRMATUS *animi;* Hist. IV, 7, *tetrarchas regesque* TERRITOS *animi firmavit;* Hist. I, 113, *animi* IMMODICUS; H. III, 92, *perculsis et animi* INCERTIS *succurritur*; H. IV, 60, *L. Hostilius Dasianus* INQUIES *animi;* H. IV, 74, IMPOTENS *et* NIMIUS *animi est*; H. III, 10. INGENS *virium atque animi*; H. IV, 76, *consili æger*; H. III, 99, DUBIUS *consili.*

3° Paulo aliter ALIENUS Cat. 40, 5, ubi *consilium* sensum *conjurationis* habet : *quod foro propinqua erat (domus) neque* ALIENA *consili.* « Ceterum hujus insolentioris structuræ duo exempla inveniuntur apud Ciceronem : de fin. I, 4. 11, *quis alienum putet ejus esse dignitatis quam mihi quisque tribuit*; acad. I, 11, 42, *quæ essent aliena firmæ et constantis assensionis.* » (Badstuebner). Ablativus cum *a* præpos. positus est Cat. 51, 17, *sententia... sed aliena a re publica nostra videtur*; ablativus solus Cat. 56, 5, *simul alienum suis rationibus existumans*; sæpius vero *alienus* absolute ponitur, singulari sensu : Cat. 37, 1, *illis aliena mens est,* (scil. *perversa, a recto aliena*); Jug. 54, 8, *qui* sua *loca defendere nequiverat in* alienis *bellum gerere cogebatur,* ubi *aliena loca,* (sc. *parum opportuna*) *suis* (sc. *opportunis*) *locis* opponuntur; Jug. 1, 5, ALIENA *ac nihil profutura* (sc. *res ab ipsis, a natura ipsorum aliena*) *petunt.*

4° Cum adjectivo ADVORSUS genitivus occurrit Jug. 43, 1, *Metelloque Numidia evenerat, acri viro et quamquam advorso populi partium, fama tamen æquabili et inviolata,* ubi Kritzius *advorsus* vi substantivi usurpatum esse recte monet, neque aliam hujus constructionis rationem esse quam in vocibus *advorsarius, contrarius, inimicus* similibusque, quanquam concedi debeat Sallustium magis rectam analogiam quam tritum usum secutum esse. (Cf. A. Draeger, Hist. Synt. p. II, § 197. pp. 409-410).

5° CONSCIUS apud Sallustium semper cum dativo personæ et genitivo rei usurpatur : Cat. 22, 2, *alius alii tanti facinoris conscii*; Cat. 34, 2, *non quo sibi tanti sceleris conscius esset*; Cat. 37, 1, *qui conscii conjurationis fuerant*; Cat. 25, 4, *cædis conscia fuerat*; Jug. 40, 2, *huic rogationi partim conscii sibi, alii ex partium invidia pericula metuentes, — inpedimenta parabant,* ubi vox *conscii,* quanquam vicem substantivi sustinet, cum casu eodem quo adjectivum conjuncta est. Similiter apud alios scriptores : Terent. Phorm. I, 3, 4, *rogitas? qui tam audacis facinoris mi conscius sis ?* (cf. Heaut. I, 1, 69); Tac. Ann. I, 43, *cecidissem nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius*; Cic. de off. III, 73, *ego mihi nullius culpæ conscius sum.* Cicero tamen

sæpius rei nomen ablativo casu cum *in* præpositione, vel etiam dativo ponit, sed tantum si nomen personæ absit : pro Cluent. 59, *is conscius illi facinori fuisse putabatur.* — Absolute positum *conscius* invenitur Cat. 14, 3, *omnes quos flagitium, egestas*, conscius animus *exagitabat*, « ubi *conscius animus* sensu prægnanti idem valet atque *conscientia mala* (Jug. 62, 8), pro quibus verbis substantivum *conscientia* solum sæpius usurpatur (Jug. 35, 4; 32, 5; 85, 26; Cat. 15, 4); sed medio ac dubio sensu ponitur, de rep. ordin. II, 12, 8, *sed ex natura divorsa præmia bonos malosque sequi. Interea si forte ea tardius procedunt, suus quoique animus ex* conscientia *spem præbet.* Quæ quidem exempla ex brevitatis amore orta videntur [1]. » — Objectum tamen verbo illi appositum legimus Cat. 35, 2, *satisfactionem ex nulla* conscientia de culpa *proponere decrevi*, in quo erravit prorsus Muellerus, conjungere jubens *satisfactionem de culpa*, quod neque verborum ordo neque sententia permittit (Kritzius); cf. Cic. Epist. ad Attic. II, 24, *his de rebus conscium esse Pisonem*, et exempla alia quæ protulit Ruddim. Inst. P. II, p. 72, VII, adnot. 8); item Jug. 27, 3, *sed ubi senatus delicti conscientia populum timet*; Cat. 5, 7, *conscientia scelerum* (cf. Hist. I, 51, 7). Sed ad inceptum revertamur.

6° Expers cum genitivo apud optimos scriptores etiamque apud Nostrum jungitur : Hist. I, 51, 11, consili *expers*; Cat. 33, 1, *plerique* patriæ, *sed omnes* fama *atque* fortunis *expertes sumus*, ubi Dietschius nescio quo æqualitatis amore impulsus cum deterioribus codicibus *patria* scripsit. Hic vero propter varietatem ablativum post genitivum adhibuit Sallustius ; cf. Jug. 74, 3, *Romani signorum et armorum* aliquanto numero, hostium paucorum *potiti* ; quæ constructio tantummodo apud veteres poetas Plautum, Terentium, Lucretium invenitur, (cf. Ruddim. II, p. 114.), et ideo in archaïsmis numeranda est. Plenus vero apud Sallustium cum genitivo tantum invenitur (Jug. 38, 10; 46, 5; 113, 3; H. II, 50, 7).

C. — Genitivus cum pronomine *is* juncto. — Sæpius genitivus *loci* vel *locorum* pronominibus *id*, *ea* subjicitur in locutionibus quibusdam notionem temporis præbentibus, quales sunt : Jug. 63, 6, *tamen is* ad id locorum *talis vir — consulatum adpetere non audebat;* 72, 2, *neque* post id locorum *Jugurthæ dies aut nox ulla quieta fuit*; Jug. 102, 1, post ea loci *consul pervenit in oppidum Cirtam*, ubi *post ea* verba (ut *inter ea loci*) separatim rectius scribi quam, ut vulgo fit, conjunctim, recte viderunt Badstuebner et Kritzius. Hic vero (ad Jug. 63, 6) *loci* vocabulum neutiquam simplicem temporis significationem habere, sed

1. Hæc fere ad verbum ex Babdstuebnero expressa.

magis *rerum statum et condicionem*, quæ aliquo tempore est, designare contendit, suspicaturque hoc dicendi genus ex usu vulgaris sermonis fluxisse. Quam opinionem Dietschius nimis quæsitam ducit; cum neque in tanta similitudine notiones loci ac temporis confundi mirum sit, neque omnibus locis hæc significatio apta sit, ex. gr. Cat. 45, 3, *postquam* ad id loci *legati — venere;* Jug. 75, 7, *deinde ubi* ad id loci *ventum, quo Numidis præceperat*, ubi *loci* vox genuinam significationem servavit. Ceterum cf. *eo miseriarum* (J. 14, 3); *eo magnitudinis* (J. 1, 5); *eo vecordiæ* (J. 5, 2).

D. — Genitivus cum verbis. — Ad verba quod attinet, *admonere*, quod plerumque cum genitivo rei jungitur (Cat. 21, 4; Jug. 95, 1), cum præpositione *de* et ablativo invenitur semel, Cat. 5, 9, *quoniam de moribus civitatis tempus admonuit*, (cf. ea quæ supra diximus initio capituli de accusativo); semel etiam cum accusativo, Jug. 79, 1, *eam rem nos locus admonuit*, ubi *eam rem* neutro genere pronominis demonstrativi vim habet, quod accusativo cum verbo *admonere* jungi solet. (Badstuebner). *Monere* vero, quod a Tacito cum genitivo pro *admonere* usurpatum est, apud Sallustium cum objecto rei non invenitur.

Verba *abundantiæ* et *egestatis* cum ablativo rei jungi solere constat: attamen *implere*, *complere*, *egere*, præsertimque *indigere* cum genitivo apud poetas et posteriores solutæ orationis scriptores aliquoties occurrunt, ut apud Livium, 10, 14, *errorque utilis Romanis oblatus fugæ formidinisque Samnites implevit.* Sallustius unum tantum verbi *indigere* cum genitivo juncti exemplum habet (Jug. 110, 2, *nullius indigni*); plurima vero verbi *egere* exempla: Cat. 51, 37; Jug. 14, 17; 14, 23; 31, 29; 43, 3; 57, 1; 89, 5; 110, 3; Hist. II, 50, 4. Cum ablativo tamen *egere* invenitur tribus locis: Cat. 1, 7, *alterum alterius auxilio eget;* Jug. 1, 3, *neque fortuna eget* (*animus*), ubi pauci deteriores libri genitivum exhibent; Jug. 14, 3, *ac maxume deberi mihi beneficia a populo Romano quibus non egerem*; denique cum accusativo fortasse Jug. 98, 3, *alter usui opportunus* (*collis*), *quia magna parte editus et præceps pauca munimenta* quærebat (Jordanus et Dietschius unum ex interpolatis codicibus sequentes); *egebat* cum accusativo plurali duo codices ferunt, quatuor cum ablativo singulari; alii *regebat*, *gerebat*, *gerebant*; unus tantum *rogabat*. Cf. Plaut. Menechm. I, 2, 12, *nec quicquam egeo*. Similiter substantivum *egestas*, quod apud Ciceronem absolute ponitur, cum genitivo objecti jungitur: Jug. 44, 4, *pabuli egestas*; Cat. 58, 6; cf. Tac. Ann. 6, 23; Hist. 4, 35.

E. — Genitivus cum pronominibus personæ. — Genitivus *subjectivus* pronominum personalium pro possessivis positorum, qui sæpius

a Tacito usurpatus est, (cf. Gantrelle, Gramm. et style de Tacite, p. 10), rarior et quasi hæsitans apud Ciceronem aliosque aureæ ætatis scriptores occurrit, ac non tam Græcorum imitationi quam objectivi genitivi in subjectivum mutationi deberi videtur. Cujus apud Sallustium unum hoc exemplum notavi, Cat. 32, 2, *majores vostrum*, ubi *vostrum* auctoritate Gellii (xx. 5), confirmatur. Anhaltius tamen scripturam optimorum codicum *vestri* servandam censet (l. l. p. 22).

Genitivum vero *objectivum* sæpissime usurpat Sallustius cum pronominibus personæ :

Nostri. — *Memoriam nostri quam maxime longam efficere* (Cat. I, 3) ; *nostri proditor* (Hist. I, 51, 15).

Vostri. — *Nam si parricida vostri sum* (Hist. II, 50, 3).

Nostrum et *vostrum* formas in genitivis partitivis adhibet, nunquam vero in genitivis objectivis. *Mei* et *tui* nullum est omnino exemplum.

Sui. — Jug. 80, 3, *præterea regis Bocchi proxumos — ad studium sui perduxit*; Jug. 85, 38, *memoriam sui præclaram* (*reliquere*); Hist. II, 69, *terror hostibus ex fiducia sui incessit*; Hist. IV, 54, *conlegam minorem et sui cultorem expectatis*. (Cf. Hist. I, 44, *metus Pompei victoris*). Similiter Seneca libenter genitivum reflexivi pronominis usurpat.

F. — Genitivus descriptivus. — Genitivus descriptivus, si Madvigio (Gramm. lat. § 287, Adn. 2), fides adhibenda est, ab *ablativo descriptivo* in eo differt quod magis speciem et naturam subjecti designat, ablativus vero res adjunctas subjecto potius illustrare videtur. Fatendum est locis plerisque paululum vel nihil differentiæ in utriusque casus significatione inesse, ita ut in eodem enuntiato interdum uterque inveniatur, ut Hist. frag. inc. 41, [Lenæus Sallustium quod] *Pompeium oris improbi, animo inverecundo* [scripsisset acerbissima satira laceravit], ubi vidimus, ut solet apud priores bonæ ætatis scriptores fieri, genitivum corporis virtutes (genus quoque et speciem), ablativum animi dotes et interiorem naturam potius designare. At in hoc Ciceronis, *neque monere te audeo* præstanti prudentia *virum*, *nec confirmare* maximi animi *hominem*, difficile est differentiam casuum deprehendere.

G. — Genitivus cum gerundivo. — Frequenter usurpat Sallustius genitivum substantivi ac gerundivi a verbo *esse* vel expresso vel omisso pendentem, qui quidem, ut Kritzii verbis utar, significat aliquid ita comparatum esse, ut ad eam rem quæ genitivo enuntietur perficiendam spectet ac pertineat. Cujus constructionis ante ætatem ejus perpauca exempla sunt (Plaut. Rud. v, 3, 18, *jusjurandum rei servandæ*, *non perdendæ conditum est*), apud Ciceronem vero duo tantum laudantur:

de Invent. II, 47, 138, *omnia supplicia culpæ ac malitiæ vindicandæ constituta esse*; ubi et dativus intelligi potest; in Verr. II, 53, 132, *quæ res evertendæ reipublicæ solent esse.* Post Sallustium, apud Livium haud raro invenitur; a Tacito autem sæpius, atque interdum audacius, ad indicandam finem aut consilium, cum omnis generis verbis usurpatur; cf. Ann. 2, 59; 3, 7; 3, 9; Hist. 4, 25; 4, 42, etc, et vide Bœtticher p. 217, ac præsertim Kritz ad Cat. 6, 7, qui multa exempla laudat.

Hæc quidem Sall. exempla notavimus : Cat. 6, 7, *regium imperium, quod initio conservandæ libertatis atque augendæ rei publicæ fuerat*; Cat. 46, 2, *pœnam illorum sibi oneri, impunitatem perdundæ reipublicæ fore credebat*; Jug. 88, 4, *quæ postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognovit*, (quo loco hunc genitivum cum genitivo *descriptivo* aliquâ ex parte congruere dilucide apparet); Hist. I, 45, 8, *at ille eo processit uti nihil gloriosum nisi tutum, et omnia retinendæ dominationis honesta æstumet*, ubi Draeger (Hist. Synt. p. 801) genitivum *finalem* videt; cf. Liv. 3, 24, 1; 3, 39; 27, 9, 12; 40, 29; 5, 3, 5, *tribuni plebis concordiam ordinum timent, quam dissolvendæ maxime tribuniciæ potestatis rentur esse*, etc, etc.

Paulo etiam audaciora hæc finem aut consilium indicare videntur : Hist. I, 51, 3, *M. Æmilius — exercitum opprimundæ libertatis habet*; ibid. 6, *cum privata arma opprimundæ libertatis cepisset*; ibid. 10, *ad arma civilia, quæ ille adversum divina et humana omnia cepit, non pro sua, aut quorum simulat. injuria, sed legum ac libertatis subvertundæ.* Quorum trium exemplorum, si duo priora per genitivum descriptivum explicare etiam licet, posterius sane genitivum finalem habet. Tacitus vero genitivum substantivi cum gerundivo juncti sæpius ad totum enuntiatum refert, ut finem et consilium indicet : Ann. 3, 9, *ab Narnia vitandæ suspicionis devectus.* Hoc exemplo et similibus substantivi *causa* ellipsi falso genitivum explicant nonnulli, cum genitivus per se vim consilii aut finis exprimendi habeat.

H. — Genitivus partitivus. — Genitivum cum adverbio loci *eo* libenter jungit Sallustius : Jug. I, 5, *et eo magnitudinis procederent*; 5, 2, *eoque vecordiæ processit*; 14, 3, *quoniam eo miseriarum venturus eram*; quæ structura nunquam a Cæsare et Cicerone usurpata est, sæpius vero apud posteriores scriptores occurrit. Cf. Sueton. *eo arrogantiæ progressus est;* Tac. *eo inopiæ venere*, etc.

Cum pronominibus neutrius *nihil, quidquam* etc. genitivum partitivum adhiberi notum est, inter quas constructiones hæ duo notandæ videntur :

1° Nil reliqui facere, Cat. 11, 7, *nihil reliqui victis fecere*; 28, 4, *quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerat*; 52, 4, *capta urbe nihil fit reliqui victis*; (cf. Cat. 20, 13, *quid reliqui habemus præter miseram animam?* At contra Jug. 78, 4, *prorsus ab utrisque nihil reliquum fieri* [1].) « Primaria genitivi potestate, Kritzius inquit (ad Cat. II, 7), etiam illud continetur ut genitivo significetur id, cujus alia res pars est, unde tum aliæ dictiones tum hæc nostra repetendæ sunt. Igitur *facere aliquid reliqui* proprie est *facere ut aliquid sit ejus* sive *ex eo quod reliquum est*, id est *facere ut aliquid reliquum sit*, vel brevius etiam *facere aliquid reliquum.* »

2° Nihil pensi habere (nec quicquam pensi habere). — Hanc dictionem, a Plauto haud raro usurpatam (Truc. IV, 2, 52, *nec quid dicerent, nec quid facerent*, quicquam *umquam* pensi *fuisse*), Sallustius adhibuit Cat. 5, 6, *neque id quibus modis adsequeretur*, — quicquam pensi *habebat*; 12, 2, nihil pensi *neque* moderati *habere*; 23, 2, *prorsus neque dicere neque facere* quicquam pensi *habebat*; 52, 34, *quibus si* quicquam *umquam pensi fuisset*; Jug. 41, 9, nihil pensi *neque* sancti *habere*. Quibus omnibus locis *pensum* idem fere valere ac *perpensum* sive *consideratum* perspicuum est; cujus vocis origo, ut Dietschius monet, a vetere Romanorum consuetudine repetenda est, quibus temporibus nullam pecuniæ summam, propter gravitatem æris quod tunc solum in usu erat, accipi sine fraude poterat, nisi pensum fuisset, non numeratum. Falso vero Kritzius, cui Lawsius (De dicendi genere Sall.) assentitur, genitivum pretii illis exemplis videt et cum locutionibus *magni facere*, *habere*, *esse* confert; nam ex voce *quicquam* genitivum *pensi* pendet. Kruegerus etiam (Gramm. II, p. 462, adn. 3), in eo vehementer erravit, quod dixit *neque quicquam* adverbialiter positum esse pro *non*, cui explanationi repugnat exemplum non negativum Cat. 52, 34.

CAPUT III.

DE PRÆPOSITIONUM USU.

I.

Præpositiones quæ cum accusativo junguntur.

Ad. — *Ad* præpositionis, directionis significatione, insigne exemplum præbet Sallustius Jug. 1, 4, *sin captus pravis cupidinibus ad*

1. Wirz conjicit *reliqui* ex scriptura codicis P¹ *relique*.

inertiam et voluptates corporis pessum datus est. — *Ad hoc*, pro *præterea*, *insuper*, peculiari amore dilexit ac sæpissime usurpavit (Cat. 14, 3; 17, 4; 21, 4, etc., Jug. 2, 2; 6, 3; etc.), quam locutionem Lawsius parum recte contendit antiquorum imitationem redolere. — Notandus est etiam locus Hist. inc. 75, *ad Jovis mandem nostra*, de quo Donatus (ad Ter. Ad. IV, 2, 43) ait : « Sic absolute dicebant non addito *templo.* » — *Ad postremum* pro *postremo*, quod innumeris fere locis exstat, paulo insolentius semel a Sallustio adhibitum est, Hist. I, 11, *plurumæ turbæ, seditiones, et ad postremum bella civilia orta sunt*; cf. tamen Plaut. Pœn. 4, 2, 23; Hirt. b. g. 8, 43; Liv. 38, 16.

Apud. — (De *apud* præpositione ante nomina urbium posita, vide supra, ad accusativum, fin.). *Apud* pro *ad* positum videtur, Hist. inc. 36, (Pompei. Comment. in Art. Don. p. 395 ed. Lindem.), *ille Conisturgim apud legiones venit*, ubi tamen Kritzius sic explicat : *Conisturgim in cujus vicinia legiones castra habebant*, Dietschius vero memorat Nonium (p. 357, ed. Roth), qui a Lucilio *apud* pro *ad* usurpatum fuisse testatur. — *Apud animum* pro *apud me* a Cicerone primo videtur usurpatum fuisse; et occurrit Jug. 110, 3, (*amicitiæ*) *qua apud animum meum nihil carius habeo.*

Advorsum optimi codices semper, non advorsus præbent; post objectum occurrit positum Jug. 101, 8, *profligatis eis quos advorsum ierat* (cf. Hist. II, 57), ubi Dietschius contra Kritzium *quod advorsum* scribendum censet, componens *quod contra* in Cic. Cat. maj. 23, 84, et Læl. 24, 90. — Apud Sallustium primum *advorsum* fortitudinem animi designare videtur, qua quis invictum contra pericula aut illecebras se ostendit: Jug. 43, 5, *quod advorsum divitias invictum animum gerebat*; sed *contra*, quod est usitatius, ea significatione occurrit Jug. 28, 5; 33, 2; H. V, 19.

Ante, quod ad præcellentiam significandam apud Ciceronem et Cæsarem non invenitur, a Sallustio usurpatum est Cat. 53, 3, *facundia Græcos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse*; item Jug. 10, 7; 15, 1. Cf. Balbum apud Cic., Plaut., Enn. et posteriores. Pro adverbio positum occurrit sæpissime.

Circa deest omnino; circiter = *circa*, in locutione *circiter Kalendas*, ut apud Ciceronem.

Cis de tempore dictum, ut apud Plautum, H. III, 70, *quæ cis paucos dies juncta in armis sunt.*

Contra ea, pro *contra*, J. 85, *sed mihi contra ea videtur* (cf. Cæs. Liv. Nepot; Cicero autem hanc locutionem non habet). At J. 57, 5,

ea ad progressa verba referendum est; (cf. J. 76, 4, *contra hæc*).

Extra cum verbo motus legitur J. 94, 3, *et ipse extra vineas egressus*, quæ constructio satis rara esse videtur.

Inter, sæpius pro *in* et ablativo, ut apud Plautum, Terentium, etc., priori significatione, Jug. 89, 4, *erat inter ingentes solitudines oppidum magnum atque valens*; (cf. J. 92, 5; 96, 5, etc.) Hanc particulam sæpissime adhibet Sallustius, atque interdum audacius, præsertim temporali significatione, quæ tantum ab argentea ætate frequens facta est, ut Hist. III, 31, *inter recens domitos Isauros Pisidasque*; Jug. 30, 3, *inter dubitationes et moras senatus*; Cat. 43, 3, *inter hæc parata atque decreta*; (cf. Cic. ad Att. 5, 18).

Intra, ad temporis terminos quos transgredi non licet significandos, apud Ciceronem et Cæsarem non exstat; legitur autem Cat. 18, 3, *quod intra legitimos dies profiteri nequiverit.*

Juxta a primo Cæsare videtur pro præpositione usurpatum; Sallustius vero tria exempla habet cum abstractis nominibus : Hist. III, 77, 11, *juxta seditionem erant* (cf. H. IV, 41); H. inc. 69, *Orion oritur juxta solis æstivi pulsum*, ubi de tempore dictum videtur.

Ob Sallustio usitatior est quam ceteris ejus ætatis scriptoribus; finali sensu (quod omnibus ætatibus satis rarum est), Jug. 37, 4, *cupidine cæcus ob thesauros oppidi potiundi*; J. 35, 2, *id frustra an ob rem faciam*; (cf. Terent. ; at *quam ob rem*, ut apud ceteros, pluribus locis legitur : C. 35, 2; 51, 21 ; J. 42, 5; 85, 47; 112, 1); J. 89, 2, *ob suos tutandos*; 102, 12, *ob regnum tutandum*. — *Ob id* (H. I, 51, 18), *ob ea* (J. 39, 2; 89, 2; 97, 5), apud Ciceronem et Cæsarem non exstant.

Penes apud Sallustium possessionem semper designat: J. 41, 7, *penes eosdem ærarium, provinciæ, magistratus, gloriæ triumphique erant* (cf. J. 14, 1; 26, 2; 31, 9, 16 et 20 etc.); paulo aliter, J. 17, 7, *ceterum fides ejus rei penes auctores erit.*

Per diffusionem in spatium indicat sæpius, ut Cat. 24, 2, *arma per Italiam locis opportunis parare*; C. 51, 43, *ipsos in vinculis habendos per municipia*; Hist. III, 1, 5, *hiememque castris inter sævissimos hostis, non per oppida neque ex ambitione mea egi*; Jug. 31, 10, *sed incedunt per ora vostra magnifici*, i. e. *in conspectu vostro*, etc.;(cf. Just. XVI, 55; XXXVI, 1, 5; Liv. II, 38, 3; Tac. hist. III, 77; Sen. de Benef. VII, 19). — Instrumentalis significatio, quæ ante Livium rara est, apud Sallustium etiam cum communibus substantivis sæpissime occurrit pro ablativo (Vide ad ablativ. p. 115); huc pertinent locutiones *per* (*me* etc.) *licet, stat*, et hæc multo minus usitata : Jug. 64, 3; *ubi pri-*

mum potuisset per negotia publica. — *Per se* (*ipse* vel *solus*) legitur sæpius : Cat. 1, 7; J. 4, 8; 14, 4; 33, 3; 96, 2; Hist. II, 50, 2. — Modalis sensus nonnulla insignia exempla præbet : J. 85, 35, *cum tute per mollitiem agas*, id est *molliter*; Hist. IV, 19, 21, *per hunc morem extinguent omnia aut occident.* Aliquando causali vicinus sensus est, ut Jug. 14, 25, *nolite pati regnum Numidiæ — per scelus et sanguinem familiæ nostræ tabescere.*

Post ad ordinem designandum figurato sensu a primo Sallustio videtur fuisse usurpatum Jug. 73, 6, *et sua necessaria post illius honorem ducerent*; cf. Horat. Senec. et posteriores.

Propter. — Sensus dubius est Jug. 100, 1, *dein Marius, uti cœperat, in hiberna* [1]... *propter conmeatum in oppidis maritumis agere decreverat*, propter imperfectum librorum textum; pro *ob* tamen finali sensu particula *propter* posita fuisse videtur, et intelligendum est *ut conmeatus copiam haberet.*

Secundum successionem, secundum gradum significans occurrit Jug. 14, 3, *secundum ea, si desideranda erant, uti debitis uterer*; (cf. Cæs. b. g. I, 33, 2, et Ciceronem). Alius locus, Hist. inc. 56, dubius est, ubi *secundum pocula* Kritzius *præter pocula* interpretatur.

Supra pro *ultra* videtur usurpatum Hist. inc. 70, *rebus supra vota fluentibus*; cf. Jug. 82, 2, *quibus rebus supra bonum aut honestum perculsus*, pro *supra quam bonum aut honestum erat.* — Pro adverbio (*supra repetere, memoravi*) sæpissime a Sallustio adhibitum est. *Supra quam* Cat. 5, 3 et Jug. 24, 5 occurrit.

II.

Præpositiones quæ cum ablativo junguntur.

A et Ab [3]. (*Abs* nusquam invenitur). — Causali significatione occurrit Hist. I, 9, *a paludibus invia.* — *Ab ea parte* (J. 93, 6; 94, 3); *ab omnibus partibus* (J. 97, 5); *ab dextra* (C. 59, 2); *a sinistra ac dextra* (J. 50, 4); *ab latere* (J. 14, 10; 101, 8); *ab tergo* (passim); *ab*

1. Hanc rimam explere nec Dietschius, nec Jacobsius nec Jordanus explere ausi sunt. Kritzius, Crispinus (edit. ad usum Delphini), alii sic restituunt : *in hiberna proficiscitur*, QUÆ PROPTER CONMEATUM. Jacobsius mallet *pergit*, rejecto utique relativo *quæ* quod nulli boni codices habent. Cortius et Nipperdey verbum motus intelligendum censent, nimia, ut videtur, constructionis audacia.

2. Falso igitur Guardia et Wierzeyski (Gramm. de la langue latine, p. 525) et Dræger (Hist. synt.) hanc significationem apud Sallustium et Cæsarem deesse contendunt.

3. *Ab* non solum ante vocales legitur, sed satis sæpe ante consonantes, præsertim ante *n, l, r, s, t*, paulo minus ante *c, d, t*, minus etiam ante *p, f, m, z*, nunquam fere ante alias.

occidente... ab ortu solis (J. 17, 4); cf. geographi et militiæ scriptores. Ceterum vide supra ad ablativum.

Cum. — *Vobiscum* (Cat. 20, 17) rarum est; cf. Plaut. — *Cum animo* apud Sallustium frequens est : *trahere* (J. 93, 1); *volvere* (J. 6, 2; 108, 3); *habere* (J. 11, 8); *reputare* (J. 13, 5; 70, 5; 85, 10). — *Mutare cum*, ut apud Terent. Eun. III, 5, 24. Jug. 44, 5, *eaque mutare cum mercatoribus vino advecticio et aliis talibus.* — *Par cum* (J. 14, 9); *pariter cum* (J. 9, 3; 68, 2; 106, 5); *simul cum occasu solis* (J. 91, 2); cf. *prima cum luce* (H. III, 77, 19); Plaut. Cist. II, 1, 49; Ter. Ad. V, 3, 55; Cic. Off. III, 31, 112; ad Att. IV, 3. — *Cum infestis armis* pro *infestis armis* (Cat. 60, 2), ubi Jacobsius præpositionem suspectam habet.

De. — *De* paulo insolentius materiam designat ex qua quid factum est, H. III, 58, *vestes de pellibus.* — Pro genitivo ponitur Cat. 35, 2, *satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi*; (cf. J. 27, 3, *sed ubi senatus delicti conscientia populum timet*, et C. 5, 7 ; H. I, 51, 7). — Causali significatione C. 37, 4, *de multis causis*; H. V, 16, *quibus de causis*; C. 47, 1, *qua de causa.*

E [1] et ex. — *Ex* id, quod præcedit statum aliquem, designat Cat. 34, *at Catilina* ex itinere... *litteras mittit* (cf. Jug. 56, 3); *ex fuga*, Jug. 54, 4, *nemo omnium Numida ex fuga regem sequitur*, ubi Kritzius non, ut plerique, *ex fuga* pro *in fuga* positum putat, sed eam præpositionem, cum substantivis junctam quæ *eundi* significatum habent, eo excusari docet, quod quæ *in itinere fiunt* possunt etiam ita cogitari, ut cum itinere ipso non cohærentia ab eo segregentur et quasi *ex eo exire* videantur, ideoque mera loci vel directionis potestate præpositionem poni; et confert *exitinere*; — Cat. 4, 1, *igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit*; cf. *se reficere ex* (Cæs. Cic.); *convaluit ex vulnere* (Just. 9, 3); Cat. 31, 1, *ex summa lætitia atque lascivia — repente omnis tristitia invasit*; Hist. II, 35, *frumentique ex inopia gravi satias facta.* — Causalis significatio apud Sallustium frequentissima est, quippe quem causas eventorum et consequentia explicare juvet. Hæc exempla laudare satis erit : Cat. 12, 2, *ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere*; Jug. 94, 7, *Mari temeritas gloriam ex culpa invenit*; J. 85, 47, *neque quemquam ex calamitate aliorum aut imperatorum superbia metus ceperit*; cf. J. 40, 5; 48, 2; 76, 1; 39, 2; 32, 5; 7, 5; Cat. 14, 6; 35, 2;

1. *E* non legitur nisi his locis : *e castris* (C. 61, 8); *e contempto* (H. I, 51, 2); *e locis* (H. III, 72); *e muris* (H. II, 60); *e periculo* (C. 48, 4); multo rarior igitur hæc forma apud Sallustium est quam apud ceteros.

48, 5, etc. — Cum verbali nomine legitur J. 44, 1, *prædator ex sociis*; (cf. *agere prædas ex*, J. 32, 3; 88, 3). — *Ex eo tempore* occurrit J. 11, 8, *ex quo tempore* (H. I, 12); nusquam vero *ex illo*, *ex eo*, *ex quo* inveni hoc sensu. — *Ex* = *secundum* sæpe etiam invenitur : *ex aliorum more* (J. 61, 3); *ex lubidine magis quam ex vero* (C. 8, 1); *non ex re, sed ex commodo æstumare* (C. 10, 5); *facile se ex voluntate Antonio usurum* (C. 26, 1; cf. J. 46. 4; 83, 3; 111, 3); *fit reus magis ex æquo bonoque quam ex jure gentium* (J. 35, 7); etc.

Præ raro apud Nostrum invenitur, qui duo tantum exempla præbet, unum locali significatione, J. 94, 2, *singulos præ se inermos mittere*, alterum conmparativa, Hist. II, 27, *Saguntini, fide atque ærumnis incluti præ mortalibus*, id est : fidei atque ærumnarum fama mortales longe præcedentes (Kritz).

Pro locali sensu in locutionibus technicis fori aut belli usitatum est; sic apud Nostrum invenimus *pro castris* (J. 53, 1; 59, 1; H. inc. 9), et cum motus verbo, quod utique rarius est, J. 100, 4, *excubitum in portas cohortis ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mittere* (cf. Cæs. b. g. I, 48, *pro castris suas copias perduxit*, et Appul. Apol. p. 598, Oud); *pro opere* (J. 92, 9); — *pro muro*, Jug. 94, 4, *at Numidæ, sæpe antea vineis Romanorum subvorsis item incensis, non castelli mœnibus se tutabantur, sed pro muro dies noctisque agitare*, ubi non extra mœnia egressos esse Numidas indicat Sallustius, sed in anteriori operis parte stare atque inde maledicere Romanis; cf. J. 67, 1, *ad hoc mulieres puerique pro tectis ædificiorum saxa et alia quæ locus præbebat certatim mittere*. — In Jug. 29, 6, (*uti pro consilio imperatum erat*), *pro consilio* eodem modo quo *pro contione* (J. 8, 2) intelligendum est. — *Pro* personam (vel rem) cujus commodo inserviatur omnibus ætatibus designasse constat; hæc tamen exempla Sallustii notatione digna existimavimus : Jug. 98, 2, (*barbari*) *noctem pro se rati, acrius instare*, id est *rati fore ut nox ipsis faveret*; J. 84, 1, *alia præterea magnifica pro se et illis dolentia*; J. 64, 4, *quæ res Marium cum pro honore quem adfectabat tum contra Metellum vehementer accenderat*.

III.

Præpositiones quæ cum accusativo et ablativo junguntur.

In *cum ablativo* pro *inter* positum invenitur Jug. 25, 4, *in quis fuit M. Scaurus* (cf. 28, 4; H. IV, 48); singulari numero, J. 103, 6, *dona omnia in benignitate habebantur*, id est *inter ea quæ ad benignitatem*

pertinent; cum collectivo substantivo junctum, Cat. 23, 1, *in ea conjuratione;* (cf. C. 47, 1). — *In* pro *ante* in locutionibus : IN ORE, Hist. I, 92, *ut in ore gentibus agens*; H. II, 50, 4, *in ore vostro — egi*; H. inc. 29, *quo cupidius in ore ducis sese quisque bonum et strenuum ostentantes*; IN OCULIS, Cat. 20, 14, *præterea divitiæ, decus, gloria in oculis sita sunt*; quæ constructio apud Livium tantum et posteriores scriptores frequens esse cœpit. — (De *in* cum ablativo pro *in* vel *erga* et accusativo, vide supra, Synt. casuum). — *In* temporali significatione accuratiorem et certiorem temporis mensuram facit, ideoque adjectivum plerumque adjungitur, velut *in paucis tempestatibus* (J. 96, 1); *alta alia, alia in tempestate vadosa* (J. 78, 2); *quippe in tali die ac sine imperio* (J. 66, 3); *in tali tempore* (C. 48, 5). Notandum vero est in Jug. 96, 1, *in* pro *intra* positum videri, ut in Jug. 28, 2, *uti in diebus proximis decem Italia decederent.*

IN *cum accusativo.* — Constructio insolita occurrit H. I, 48, *Etruria omnis cum Lepido suspecta in tumultum erat.* — *In* modali significatione legitur Hist. III, 77, 5, *nefandum in modum pervorso volnere;* Cat. 12, 3, *cum domos atque villas cognoveris in urbium modum exædificatas*; H. II, 29, 2, *et alia in modum templi celeberrumi*; (cf. III, 23; IV, 17). Ablativus vero sine præpositione (*eo modo, hoc modo, omni modo*, etc.) multo frequentius est. — (De *in* accusativo juncto cum verbis collocandi et in locis singularibus, vide ad accusativum p. 99-101).

SUB paulo insolentius cum accusativo, Hist. IV, 29, *dolia quum sub trabes locata vitibus aut virgis vinciebant.*

SUPER cum accusativo sensu locali primum apud Lucretium invenitur, ac deinde sæpius a Virgilio usurpatum est. Sallustius vero solus esse videtur, inter prosæ orationis aurea ætate scriptores qui hanc particulam sic adhibuerit, Jug. 19, 5, *super Numidiam Gætulos accepimus — agitare*; paulo insolentius præstantiam designat J. 64, 2, *ne super fortunam animum gereret* (cf. J. 95, 4); quo sensu *supra* a Cicerone ponitur. — *Super* particulæ cum ablativo apud Sallustium tria exempla sunt : Hist. III, 20, *levi tabulæ subjecit, qua super*, ubi *qua* in *quam* Carrio et postea Dietschius correxerunt, nulla quidem necessitate, quum non solum poetæ, sed etiam Cæsar locali sensu ablativum adhibuerit; Hist. inc. 18, *ubi multa nefanda casu super ausi atque passi*, id est *præter ea quæ casu accidebant*; figurato sensu (= *de*), Jug. 71, 5, *ne super tali scelere suspectum sese haberet*, qui usus apud aureæ ætatis scriptores rarior est; cf. tamen Cic. Att. 14, 22, 2; 16, 6, 1.

CAPUT IV.

DE TEMPORIBUS ET MODIS [1].

1° *Præsens historicum* quod dicitur, non tantum apud historicos occurrit, sed etiam apud alios scriptores, ubi per *repræsentationem* sub oculis lectoris præterita actio reducenda est; cujus constructionis, ut par est, permulta [2] in Sallustii libris exempla sunt, quippe qui, ut ait Gerlachius, res gestas cum summa ἐναργείᾳ exponat, ita ut geri negotium et res ante oculos esse videatur. Cui tempori cetera ita connexa sunt ut, quasi in umbris locata, reliquorum eminentiam adaugeant expressioremque reddant. Sed ne semper idem tenor orationis sit, accedit in ipsa temporum compositione summa varietas. Sic perfectum in sequenti enuntiato sæpe ponitur : Jug. 64, 3. *postquam hæc atque alia talia dixit neque animus Mari flectitur, respondit*; J. 76, 6, *ibi vino et epulis onerati illaque et domum et semet igni conrumpunt, et quas victi ab hostibus pœnas metuerant, eas ipsi volentes pependere;* (cf. J. 73, 7, etc). Contra a perfecto ad præsens historicum transitur Jug. 49, 1, *Jugurtha — consedit, elephantis et parti copiarum pedestrium Bomilcarem præfecit, eumque edocet quæ ageret.* (Cf. 58, 5, etc).

Ad tempora quæ præsens historicum sequuntur quod attinet, duo genera distinguenda sunt. 1° Secundarium enuntiatum præcedit. Tunc quidem Cicero imperfectum vel plusquam perfectum conjunctivi adhibet, si in prægresso periodo alia præsentia non sint; præsens contra conjunctivi usurpat, si alia historica præsentia præcedant. Item fere Cæsar; Sallustius vero duo exempla tantum hujus generis profert : Cat. 45, 2 (*Cicero — imperat ut in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant. Rem omnem aperit, cujus gratia mittebantur, cetera, uti facto opus sit, ita* agant, *permittit*, ubi, plura præsentia præcedunt; at sine prægresso præsente insolentius, Jug. 103, 3, *eos ad Marium ac deinde, si* placeat, *Romam legatos ire jubet.* 2° Secundarium enuntiatum primarium sequitur. Tunc vero apud Sallustium, ut apud Ciceronem, nunc *præsens* conjunctivi invenitur, velut Cat. 36, 3, *præterea decernit uti consules dilectum habeant*; (cf. Jug. 54, 1; 62, 1, etc.); nunc *præteritum* (multo etiam frequentius apud Sallustium), ut Jug. 32, 1. *Mummius populo persuadet uti L. Cassius,*

1. In hoc capitulo tractando, multum nobis profuit Draegeri de Syntaxi latina liber, cujus divisiones plerumque adoptavimus; nonnulla etiam exempla ex latina virorum doctorum Guardia et Wierzeiski grammatica hausimus.

2. Vide Jug. 13, ubi duodecim amplius præsentis historici exempla congesta sunt.

qui tum prætor erat, ad Jugurtham mitteretur eumque interposita fide publica Romam duceret; (cf. J. 23, 2; 27, 5; 32, 5; 46, 4; 62, 3; 97, 1; 106, 2; 107, 1; 109, 1; Cat. 44, 3; 47, 3); sæpe etiam *præsens* et *præteritum* miscentur, et tunc quidem Cicero præsens in secundario enuntiato ponit, quod proximum constructione est aut a primario enuntiato arctius pendet; idem facit Sallustius, prætérquam quod Jug. 46, 4, (*multa pollicendo persuadet uti Jugurtham maxume vivom, sin id parum* procedat, *necatum sibi traderent*), naturalis enuntiatorum ordo invertitur, ubi Cicero *procederet* — *tradant* scripsisset.

2° *Præsentis historici conjunctivus* rarissimus est in oratione directa, nisi præcedat præsens historicum, in obliqua vero oratione apud historicos satis frequens; cujus constructionis plura exempla præbet Sallustius : Cat. 34, 1, *ad hæc Q. Marcius respondit, si quid ab senatu petere vellent, ab armis* discedant, *Romam supplices* proficiscantur; 41, 5, *Cicero per Sangam consilio cognito legatis* PRÆCEPIT *ut studium conjurationis vehementer* simulent, *ceteros* adeant, *bene* polliceantur, dentque *operam uti eos quam maxume manufestos* habeant, ubi Dietschius, Jordanus Jacobsius scripturam *præcipit* pauciorum ac deteriorum codicum, auctore Linkero, acceperunt, sine necessitate, ut videtur, cum alia exempla hanc constructionem satis tueantur; cf. Jug. 13, 6, *Romam legatos mittit, quis præcepit, primum uti veteres amicos muneribus expleant, deinde novos acquirant, postremo — ne cunctentur*, ubi codex ipse Parisiensis optimus, ut et Cat. 41, 5, *præcepit* exhibet; (at Jug. 28, 1, *præcipit* in optimis codicibus legitur); cf. etiam Jug. 111, 1, *denique regi patefecit, quod polliceatur, senatum et populum Romanum, quoniam armis amplius valuissent, non in gratiam habituros*; et Cat. 52, 14, *itaque censuit pecunias eorum publicandas, — videlicet timens ne, si Romæ sint, aut a popularibus conjurationis aut a multitudine conducta per vim eripiantur;* item Cic. de off. I, 11, 36; Liv. 23, 2.

3° *Temporum consecutio* post præterita a presenti pendentia eadem est apud Sallustium atque apud Ciceronem, de qua vide Reusch (*Progr.* Elbinger, 1861, p. 7-23). Hoc tantum notabimus cum præsentis historici indicativo jungi *dum* conjunctionem, in secundario enuntiato ab altero pendente, Cat. 58, 4, *scitis equidem, milites, socordia atque ignavia Lentuli quantam ipsi nobisque cladem attulerit, quoquo modo, dum ex urbe præsidia* opperior, *in Galliam proficisci nequiverim*. Cf. Cic. de fin. V, 19; Tusc. I, 42, in carmine a Simonide translato, *dum sanctis patriæ legibus obsequimur*, ac præsertim poetas et posteriores scriptores.

4° *Perfectum consuetudinis*, quod aoristo gnomico Græcorum simile est, et apud poetas et posteriores scriptores imprimis legitur, apud Sallustium est Cat. 11, 3, *avaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens* concupivit; 51, 11, *non ita est, neque cuiquam mortalium injuriæ suæ parvæ videntur; multi eas gravius æquo* habuere. (Cf. 51, 2; Jug. 85, 49; 102, 7). At C. 58, 15, *nemo nisi victor pace bellum* mutavit (scilicet *nemo unquam, nisi quum victor fuerit*), perfectum logicum intelligendum est propter notionem temporis quæ in eo exemplo latet; item Jug. 42, 4, ubi temporis adverbium est. (Cf. Cic. de orat. III, 14, 52).

5° *Plusquam perfectum* pro perfecto aoristo apud Sallustium frequentius est quam apud quemquam alium, apud Ciceronem vero ac Cæsarem rarissimum; et tunc quidem adhiberi videtur, ubi ad statum potius seu conditionem, quæ aliquam actionem sequitur, quam ipsam actionem respicit: Cat. 18, 6, *ea re cognita, rursus in nonas februarias consilium cædis transtulerant*, ubi plura imperfecta præcedunt; Cat. 24, 1, *consules declarantur M. Tullius et C. Antonius, quod factum primo popularis conjurationis concusserat*; (cf. 36, 5; 50, 4); 56, 2, *deinde, ut quisque voluntarius aut ex sociis in castra venerat, æqualiter distribuerat, ac brevi spatio legiones numero hominum expleverat, cum initio non amplius duobus millibus habuisset*; Jug. 57, 6; 64, 4; 72, 1; 73, 3 et 4; 88, 3. Contra perfectum pro plusquamperfecto, ut apud Cæsarem, Livium, Tacitum, sed rarius legitur: Cat. 17, 2, *ubi satis explorata sunt quæ voluit, in unum omnis convocat*; Jug. 70, 1, *per idem tempus Bomilcar, cujus inpulsu Jugurtha deditionem, quam metu deseruit, inceperat, — novas res cupere*, quo tempore non ad certum illud tempus, quo res fiebat, respicitur, sed præteritum tantummodo tempus indefinite significatur; cf. Liv. 21, 1, 2; 41, 31, 5; Nep. Hamilc. 1, 5; Alcib. 9, 2; Tacitum, *passim*.

6° *Perfectum conjunctivi* in consecutivis enuntiatis a perfecto pendentibus, quod postea usitatissimus fuit, Sallustii ætate fere ignotum fuisse videtur; occurrit tamen apud Cæsarem (bello gall.) quinquies, et apud Ciceronem satis raro. Sallustius vero id semel tantum adhibuit, et quidem post præsens, Hist. I, 55, 19, *quorum adeo Sullam non pœnitet, ut et facta in gloriam numeret, et, si liceret, avidius fecerit*, ubi pro conjunctivi futuro exacto positum est perfectum, ut actionis celeritas significetur.

7° *Imperfectum* DE CONATU. Etsi Wex (ad Tac. Agric. p. 39) hanc appellationem repellit, et hoc tempus, iis locis quibus consilium aut initium rei agendæ significet, non ita multum ab imperfecto vulgari

differre contendit, tamen hanc peculiarem vim dilucide expressam esse his *Jugurthæ* locis nemo negabit : 27, 1, *idem illi ministri regis, interpellando ac sæpe gratia, interdum jurgiis trahendo tempus, atrocitatem facti leniebant;* 29, 3, *sed Jugurtha primum tantum modo belli moram redimebat*; 34, 1, *ac tametsi multitudo, quæ in contione aderat, vehemeuter accensa terrebat eum clamore, voltu, sæpe impetu atque aliis omnibus quæ ira fieri amat, vicit tamen inpudentia.* At Cat. 31, 7 et Jug. 40, 2 imperfectum a propria vi haud multum abesse fatendum est.

8° *Participium perfecti passivi* accusativo cum verbis *habere*, *facere* (prisca ætate etiam cum *dare*, *reddere*) jungi solet, ut significetur eam actionem, quæ participio inest, plene quidem absolutam esse, sed talem eventum habere qui respectu subjecti duret, quum perfectum activi tantummodo rem factam simpliciter enunciat. Cujus circumscriptionis hæc fere exempla præbet Noster : Jug. 10, 1, *neque ea res falsum me habuit*, id est *fefellit*; J. 85, 7, *ut omnes labores et pericula consueta habeam* (cf. 100, 5); at dissimilis est locus Cat. 33, 4, *tale periculum reipublicæ haud occultum habuit*, ubi *habuit* idem valet quod *tenuit* vel *retinuit*; (cf. *compertum habeo*, Cat. 29, 1; 58, 1.)

Locutionem *dare victos* pro vincere (Jug. 59, 3) apud antiquiores scriptores et poetas haud raram esse ait Kritzius; quam sententiam veram esse hæc exempla a Cortio collata comprobant : Ter. Heaut. v, 1, 77, *exornatum dabo*; ibid. 78, *adeo depexum dabo*; Phorm. v, 8, 81, *incensam dabo*; Plaut. Cist. ii, 2, 51, *perfectum dabo*; Pers. iv, 1, 19, *intricatum dabo*; quibus addi potest Verg. Æn. xii, 437; Sen. Med. 528; Liv. viii, 6, 6; vii, 33, 11.

9° *Forem* pro *essem* plusquamperfecto conjunctivi satis sæpe vi eadem apud Sallustium legitur : Jug. 30, 1, *postquam res in Africa gestas quoque modo actæ forent fama divolgavit;* Cat. 14, 7, *sed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, hæc fama valebat*; etc. — Sæpius vero cum *futuri* notione quadam usurpatur forma *forem*, sive sola, pro verbi *esse* imperfecto subjunctivi, sive cum participio perfecti, pro plusquamperfecto subjunctivi passivi vel deponentis verbi, juncta, quod sane inde fit quod *forem* ex futuro infinitivi *fore* oritur, ideoque præsertim in conditionalibus enunciatis adhibetur ac de re futura a conditione quadam suspensa dicitur, ut Cat. 20, 2, *Ni virtus fidesque vostra spectata mihi forent*; Jug. 31, 16, *quod si tam vos libertatis curam haberetis quam illi ad dominationem accensi sunt, profecto neque respublica, sicuti nunc, vastaretur, et benificia vostra penes optumos, non audacissumos forent*; (cf. Cat. 18, 8; 37,

6; Jug. 21, 2; 27, 2; 65, 2). Item in relativis enunciatis, ut Cat. 32, 1, *optumum factu credens exercitum augere, ac priusquam legiones scriberentur multa ante capere, quæ bello usui forent*, ubi futuri notio etiam ad verbum *scriberentur* transit; (cf. C. 39, 4 et 6; 47, 2; J. 27, 5; 36, 1; 37, 4; 47, 2; 54, 6; 64, 5; 91, 1); in finalibus, ut Cat. 34, 2, *non quo sibi tanti sceleris conscius esset, sed uti res publica quieta foret*; (cf. Jug. 11, 3; 33, 2; 50, 3; 52, 6; 75, 7; 85, 49; 93, 8; 94, 1; Cat. 22, 2; 33, 1; 38, 3); in interrogationibus indirectis, ut Cat. 21, 1, *tametsi, — tamen postulavere plerique ut proponeret quæ condicio belli foret, quæ præmia armis peterent, etc.*; (cf. 29, 1; 51, 6; J. 14, 4; 38, 5 etc.); ac denique in omnis generis enunciatis quibus futuri quædam insit notio.

Hic notandum est sæpius, præsertim in conditionalibus enunciatis, ubi ex secundaria enunciatione pendeant, et in oratione obliqua, *forem* cum participio perfecti junctum, si in primario enunciato prateriti tempus aliquod sit, conjunctivum futuri præteriti fingere, ut Cat. 23, 6, *et quasi pollui consulatum credebant, si eum quamvis egregius homo novos adeptus foret*; (oratione directa : *polluetur consulatus, si eum — adeptus erit*); Cat. 50, 4, *de eis qui in custodiis tenebantur, et præterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprensi forent, supplicium sumundum decreverat;* Jug. 35, 9, *veritus ne reliquos populares metus invaderet parendi sibi, si de illo supplicium sumptum foret*; (cf. Cat. 23, 3; 26, 1; Jug. 65, 3; 97, 2). Adde J. 75, 2, *spe patrandi belli, si ejus oppidi potitus foret*, ubi gerundivum pro secundario enunciato haberi potest. — *Foret* pro *esset* cum partic. futuri activi in circumlocutione futuri occurrit Jug. 109, 2, *pacem an bellum agitaturus foret.*

10° Similiter *fore*, pro *futurum esse*, infinitivo futuri verbi *esse* libentius usurpavit Sallustius: Cat. 20, 1; 21, 3; 27, 1; 46, 2; Jug. 4, 3; H. III, 6; item cum participio perfecti, ut infinitivum futuri præteriti fingatur; at sæpius notio futuri simplicis inest, veluti Jug. 28, 4, *interim Calpurnius parato exercitu legat sibi homines nobilis, factiosos, quorum auctoritate quæ deliquisset munita fore sperabat*, ubi etiam notandum est notionem futuri ad plusquamperfectum conjunctivi transiisse (orat. directa : *quæ deliquero, munita, ut spero, erunt*). *Fore* suppleri facile potest ex sequenti futuro infinitivi Jug. 88, 4, *ita Jugurtham aut præsidiis nudatum, si ea pateretur, aut prælio certaturum*, ubi tamen audacior ellipsis notanda est; at non admitti potest, id quod Kritzius et alii, inter quos Marcou noster (l. l. p. 246). volunt, supplendum esse *iri* verbum, et *nudatum* pro supino habendum.

11° *Imperfectum conjunctivi* ipsum per se notionem futuri significat Jug. 30, 1, *patres solliciti erant. Probarent ne tantum flagitium an decretum consulis subvorterent parum constabat*, ubi *essent probaturi, subvorsuri* expectaretur. Similiter plusquamperfectum Jug. 79, 4, *per indutias sponsionem faciunt, uti certo die legati domo proficiscerentur : quo in loco inter se obvii fuissent, is communis utriusque populi finis haberetur*; (cf. J. 28, 4).

12° Usus formarum *fui, fueram*, pro *sum, eram*, in passivorum vel deponentium verborum perfectis et plusquam perfectisapud Livium primum frequentior fuisse videtur. Quatuor Plauti exempla laudat Draegerus, totidem Ciceronis, nullum (quod quidem certum sit) Cæsaris. Apud Sallustium vero hæc exempla formæ *fueram* pro *eram* positæ invenimus : Jug. 52, 3, *advorso colle, sicuti præceptum fuerat, evadunt*; 93, 1, *omitteretne inceptum, quoniam frustra erat, an fortunam opperiretur, qua sæpe prospere usus fuerat*; 109, 3, *tum rex, uti præceptum fuerat, post diem decumum redire jubet*; at Jug. 50, 1, *quia Numidæ pabulo pecoris magis quam arvo student, et quodcumque natum fuerat jussu regis in loca munita contulerant*, propter plusquamperfectum *contulerant*, necesse fuit *fuerat*, non *erat* poni, ut significaretur pabulum jam natum esse antequam in loca munita conferretur. Formæ vero *fui* pro *sum* positæ, quæ quidem multo rarior est, ac nisi in dubiis exemplis aut apud auctores longe posteriores legitur, nullum est exemplum.

13° Pro futuro *præsens indicativi* usurpatum occurrit Cat. 58, 9, *si vincimus, omnia nobis tuta erunt*; *sin metu cesserimus, eadem illa advorsa fient*; et Hist. III, 1, 10, *qui nisi subvenitis, invito et prædicente me, exercitus hinc et cum eo omne bellum Hispaniæ in Italiam transgredientur*; cf. Cic. Verr. I, 2, 6.

14° *Imperfectum conjunctivi* verbi *posse* (in primario enuntiato) non adhiberi potest, nisi ubi factum, non ut verum, sed ut ex conditione aliqua pendens proponitur, ut Cat. 7, 7, *memorare possem quibus in locis maxumas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, ni ea res longius nos ab incepto traheret*; (cf. Cic. Tusc. I, 34, 84; II, 5, 14). Sin vero quis quid facere posse vehementer significatur, indicativus tantum usurpari potest; sic Sallustius Cat. 58, 13 : *licuit vobiscum summa turpitudine in exilio ætatem agere, potuistis nonnulli Romæ amissis bonis alienas opes expectare.*

15° *Conjunctivi potentialis perfectum* vel, ut alii volunt, *futurum exactum* præsertim prima persona usurpari constat, ad affirmandum levius id quod occasione data facile evenire possit; quæ constructio

cum verbo *dicere* aliisque mentis actionem significantibus adhiberi solet, ut *narraverim* : Jug. 17, 2, *de eis haud facile compertum narraverim.*

Imperfectum vero, quum in verbis *velle, malle, nolle* ponitur, significat votum quod non expleri potest in præsente, ut Jug. 24, 9, *nam ego quidem vellem et hæc quæ scribo et illa quæ antea in senatu questus sum vana forent, potiusquam miseria mea fidem verbis faceret;* (cf. J. 14, 3).

16° In optativis enuntiatis, si negatio adhibenda sit, *ne* plerumque, ut par est, occurrit; interdum tamen *non* invenitur; item *nec*, quod quidem rarissimum est, apud Sallustium legitur semel, Jug. 85, 47, *quam ob rem vos quibus militaris ætas est, adnitimini mecum et capessite rem publicam, neque quemquam ex calamitate aliorum aut imperatorum superbia metus ceperit.*

CAPUT V.

DE HISTORICO INFINITIVO.

1° *Quæstionis historia.* — Hanc dicendi formam, quam *infinitivum historicum* appellaverunt grammatici, propter frequentissimum apud Sallustium usum, uberius tractandam, variasque de ejus natura ac significatione opiniones afferendas existimavi.

Quæ quidem constructio non, ut quidam putaverunt, apud primum Sallustium occurrit; legitur enim aliquoties apud Plautum et Terentium, itemque in fragmentis Afranii (cf. Holtze; Syntaxis prisc. script. latin. II, p. 30). Nullam tamen de ea mentionem fecerunt prisci grammatici; postea vero quam in maximum honorem venit ars grammatica, tam insignem tantumque a consueta cogitandi ratione abhorrentem constructionem mirati, nonnulli explicare conati sunt. Sed imperita ac minime accipienda erat illa explicatio, quæ tamen usque ad nostram fere ætatem intacta pervenit. Illi enim verbum *cœpit* vel *cœperunt* in infinitivo historico per *ellipsim* detractum putabant, quæ quidem sententia ex locis similibus huic Sallustiano (Cat. II, 4, *sed postquam L. Sulla armis recepta re publica bonis initiis malos eventus habuit; rapere omnes, trahere, domum alius, alius agros cupere, etc.*) cum illo (Jug. 41, 4 et 5, *ita quod in advorsis rebus optaverant otium, postquam adepti sunt, asperius acerbiusque fuit; namque* cœpere *nobilitas dignitatem, populus libertatem in lubidinem vortere, sibi*

quisque ducere, trahere, rapere), aut aliis ejusmodi comparatis oriri sane debuit.

Nostra vero ætate nemo fere superest [1] qui hac leviori explicandi ratione contentus sit; sed quum veram historici infinitivi naturam indagare voluerunt viri docti, plerique imperfectas subtilioresve explicationes attulerunt, quas breviter memorare haud absurdum erit. A. Mohr [2] et Ch. Fr. Prahm [3] infinitivum historicum orationi celeritatem atque alacritatem addere recte intellexerunt; paulo post Muellerus [4], qui diligentius ac copiosius de hac re disputavit, hæc de natura hist. infinit. scripsit : « Ubi vero insurgit oratio, et res gestæ, quas qui scribit tanquam spectaculo præsens contemplatur, magnitudine sua insignes et rapiditate quadam celeritateque deinceps aguntur et cumulantur, ita ut animum commotum vi sua veluti abripiant; aut ubi homines vehementiori aliqua cupiditate inflammati, ut odio, furore, iracundia, pugnandi studio, aut alacriori aliquo affectu perciti, ut perturbatione, admiratione, lætitia, metu, aut in certa quadam conditione vel statu versantes, ita nobis depinguntur ut animi motus ac sensa, quibus causis agantur, quidve cogitent et suscipiant, intueri ac sentire posimuss, tunc scriptores, *infinito quodam sensu ducti*, ita ut res universe tantummodo enuntiare nec quidquam præter ipsam actionem et unde proficiscatur significare possint, non definito verbi tempore uti solent, sed infinitivis historicis. » His assentitur Badstuebnerius (l. l. p. 45), eaque addit : « Itaque in maximo errore versantur, qui, ubicumque orationi infinitivus historicus intextus est, certam causam ac rationem quærendam sibi esse putant, cur scriptorem hunc ipsum, non alium narrandi modum adhibere necesse fuerit, ut Gerlachius Sall. ed. maj. III, p. 318, ad Cat. 21, 4 et Jug. 32, 3, subtilius quam verius fecit. » Fatendum est tamen omnibus fere locis certam stabilemque rationem in adhibendis finitis temporibus, ubi historicus infinitivus jure usurpandus videretur, aut contra, secutum esse Sallustium, nec tantummodo varietatem quæsivisse.

Non multum dissimilis est Muellerii sententiæ Gerlachii opinio, qui loco supra laudato hæc dicit : « Cum igitur sæpius actionum varietas, vel subitæ rerum mutationes infinitivo historico exprimantur, facile est intellectu cur nonnulli hujus structuræ rationem unice ad commotioris

1. Hanc tamen explicationem adhuc invenimus in editione Sallustii a gallico professore *Marcou* nuper prolata, p. 287.
2. *A. Mohr*. Ueber den historischen Infinitiv, Meiningen, 1822.
3. 1827.
4. *Mueller*. De usu atque natura infinitivi historici apud Latinos commentatio grammatica. Progr. Celle, 1833.

animi affectum retulerint, qui Ramshornii error est § 186. Sed non minus frequens ejus est usus in rerum descriptione, ubi quæ antea generaliter erant enuntiata accuratius explicantur. Infinitivum enim non tam rei enarrandæ quam illustrandæ inservit, modumque agendi explicat. » Quæ quidem explicatio et imperfecta, et aliqua ex parte falsa est, præsertim quum infinitivum historicum descriptionis quoque exprimendæ esse contendat, quem errorem, a Grysario acceptum, infra refutabimus [1].

Inter grammaticos nostræ ætatis primus est Kruegerus [2] qui vero proximum aliquid de ea re prespexerit : sed, mea quidem sententia, in eo peccat quod infinitivum historicum cum solius subjecti, neglecto necessario prædicato, usurpatione confert, quum tamen in loco ab ipso laudato, Jug. 51, 1, (*ceterum facies totius negoti varia, incerta, fœda atque miserabilis : dispersi a suis pars cedere, alii insequi, neque signa neque ordines observare; ubi quemque periculum ceperat, ibi resistere ac propulsare; arma, tela, equi, viri, hostes atque cives permixti*), vis sensus non in subjectis vigeat, sed in prædicatis quæ speciose tantum attributa sint. Rectius igitur contulisset cum subjectis quibus affirmatio per participium aut adjectivum jungitur : nam subjecta non occurrunt sola. Ejusmodi enim structuræ, non aliæ, medium inter enunciata cum verbis finitis structa et infinitivum historicum tenere possunt locum.

Post illum vero Grysarius [3] adhuc inveteratis de hac quæstione erroribus imbutus, inter plura vera nonnulla etiam parum exacta protulit, et in sua histor. infin. definitione præcipue erravit, dicens in eo inesse cujusdam status in præterito cum affectu descriptionem, qui per definitas quasdam species citius tardiusve invicem succedentes manifestus fiat. Satis enim constat celeritatis et alacritatis notionem cum absoluti temporis aut status notitia non conciliari posse; nam si de statu quodam agatur, aliquid non definitum cogitandum est, quum actio definita ut quodam modo permaneat ac duret necesse sit.

Post Grysarium Spiessius de infinitivo historico grammaticam disputationem scripsit (Wiesbadem, 1847), quam quidem, a Badstuebnero (l. l. p. 45) laudatam, nullo modo parare potui. Præterire vero non possum id quod Dreisius, in program. Meldorf. 1837, p. 14, ad Cat.

1. V. pag. 147.
2. *Krüger*. Grammatik der latein. Sprache. Hanovre, 1842, vol. II, p. 597, Not. 1.
3. *E. J. Grysar*. Theorie des lateinisches Stiles. Cologne, 1843, edit. IIa p. 769-785.
4. « Es enthalte der historische Infinitif die mit Affect gesprochene Schilderung eines vergangenen Zustandes, der sich in vereinzelntem Erscheinungen, die mehr oder minder rasch aufein ander folgen, kund gibt. »

16, 3, de infinitivi historici usu Sallustiano scripsit fere his verbis : « Ut rem magis illustret omniumque quæ Catilina agebat sub animi sensu ponat picturam quandam, scriptor efficit ut oratio transeat in infinitivos historicos, quibus, quum desit grammatica cohærentia, lector commovetur ad res singulas, quæ propositæ sunt, accuratius diligentiusque considerandas, ita ut quæ alia desiderantur plenæ et perfectæ imaginis lineamenta ipse suppleat addatque », et p. 16 : « Infinitivis historicis scriptor attentiorem quasi reddit animum vel audientis vel legentis, omnia ita proferendo, ut propter incertum quod inest tempus res accuratius consideret lector, et quoniam sentiendi, cognoscendi et dijudicandi datur locus, diversas, quæ per singulas partes oculis auribusque obducuntur, res una veluti imagine complecti studeat. » Opinionem his ultimis verbis allatam amplexus Koziolius his proximis annis[1] rem diligentius perspexit, et plenam quæstionis rationem instituit.

Cujus sententiam quum reipsa ceterorum opinioni præstare existimarem, ex tenebris paulo obscurioris orationis expedire conatus sum, neglectis tamen aut in melius mutatis rebus quas aut parum exactas aut a vero abhorrentes censerem. Ipsa igitur rei expositione refutatum erit id quod, in grammaticorum supra laudatorum ceterorum ve opinionibus, aut omnino falsum, aut imperfectum esse mihi videri potuerit.

2° *De historici infinitivi nomine.* — Notandum est primum hoc genus infinitivi non nisi in historico dicendi genere usurpatum fuisse; quod quidem verum est etiam de illis locis qui vel apud comicos poetas, vel apud Ciceronem inveniuntur. Et hic quidem in orationibus et in epistolis eam constructionem adhibet, sed iis tantum locis ubi controversiæ aut descriptioni succedit narratio (cf. pro Rosc. Ann. 38). Ipsa autem rei natura efficitur ut pauca illorum infinitivorum exempla in orationibus occurrant; itaque apud ipsum Sallustium, si eas orationes evolvas quas in mediam narrationem ornandi aut variandi causa inseruit, duo tantum loca invenias, Cat. 20, 7 et 51, 28, (nam *concurrere*, Hist. I, 51, 7, indicativi perfectum est), eaque ipsa narrationis naturam habent; (cf. Cic. ad Quint. frat. II, 3, 2; ad Att. II, 12, 2). Non igitur mirum si *historicum* appellatum est hic infinitivus; quod quidem nomen, jam apud veteres grammaticos usitatum, immerito sane a Grysario vituperatur, qui de ea re opinionem Gerlachii sequitur[2]. Nam

1. *H. Koziol.* Ueber die Bedeutung und der Gebrauch des historischen Infinitifs bei Sallust. Iglau, 1866.

2. Nuper etiam vir quidam in Germania doctus, ad philologicam Berolini societatem referens de libro J. Eidenschinkii *der Infinitif bei Cornelius Nepos* inscripto, *historici* infinitivi appellationem arguit et *descriptivum* eum censuit nominandum, novum aliquid atque eximium, ut videtur, existimans se invenisse.

si descriptivus quoque esset, profecto in locis quibusdam extra narrationem adhibitis inveniretur, quod omnino nunquam evenit.

3° *Infin. histor. ratio et definitio.* — Quum notiones sine definitione temporis (infinitivum autem universe verbi notionem exprimit, detracta temporis cogitatione) tantum alias post alias ponimus, hac constructione indicatur eas non tanquam alias juxta alias, sed tanquam alias post alias in tempore sese ostendentes intelligendas esse. Si tanquam aliæ post alias succedentes afferuntur, temporis particulæ solitæ adhibendæ sunt; sin vero tanquam aliæ juxta alias se ostendentes, infinitivus historicus apparet. Sic juxta positis notionibus, omnes simul oculis lectoris occurrunt. Quemadmodum pictor facta quædam definito temporis momento in tabula penicillo effingit, ac subjectum tantum ac notionem universe expressam consocians, spectatori quid in hac cum illo consentaneum sit perspiciendum relinquit; sic historiarum scriptor, non definito temporis momento, notionem facti tantum subjecto adjungit, nec quæ ratio intersit indicare tentat. Ita celeritatem et alacritatem orationi adjungi ab omnibus facile intelligetur. Eodem spectant nomina quæ cum prædicato, adjectivi vel participii forma expresso, sine copula junguntur; quæ quidem apud Sallustium infinitivis historicis permixti occurrunt. Cf. Jug. 38, 5: *milites Romani, perculsi tumultu insolito, arma capere alii, alii se abdere, pars territos confirmare; trepidare omnibus locis: vis* magna *hostium, cœlum nocte atque nubibus* obscuratum, *periculum* anceps; cf. etiam Jug. 51, 1; 58, 2; 101, 11; 105, 4, etc. Sine infinitivis : Cat. 15, 5, *igitur colos* exsanguis, fœdi *oculi*, citus *modo, modo* tardus *incessus*; *prorsus in facie voltuque vecordia inerat*; cf. Jug. 99, 4, etc.

Præterea infinitivus, quum notionem actionis universe indicet, factum unum tantum exprimatur non necesse est; eamdem vero actionem tanquam diversis locis simul a variis personis perfectam, eamque multiplicatam, ita ut variæ ejus partes alia per aliam immissæ invicem succedant, nobis animo fingere possumus. Historicum igitur infinitivum non continuatam ac procedentem, sed semper renovatam ac denuo repetitam actionem exprimit; ac deficiente temporis ratione, notio alia aliam excipit vel potius alii apponitur, omnesque simul juxta collocatas uno eodemque tempore subsistere posse necesse est.

Nunc vero, ut breviter ea quæ supra explicata sunt comprehendamus, tria ad historici infinitivi rationem intelligendam præcipue observanda sunt : *primum*, nusquam nisi in narratione reperitur, ideoque nunquam præsentis aut futuræ, sed semper præteritæ actionis notionem affert; *deinde* per hoc infinitivum non juxta sed post positæ actiones

apparent; *denique* actiones quas exprimit non singulæ occurrunt, sed sæpius repetitæ et alternis vicibus succedentes sub animi sensu ponuntur: sin autem actio sola appareat, in diversas rei facies per mutuas vices occursantes dividitur.

Quibus expositis, hanc nostræ dicendi formæ definitionem constitui consentaneum videtur: *Per infinitivum historicum acriter in narrandis rebus, adhibitis absolute positis notionibus, ac sublata temporum definitione, animo lectoris effinguntur aut variæ unius multarumve actionum præteritarum sæpius repetitæ facies, aut ipsæ actiones juxta positæ, quales rapidis vicissitudinibus alternantes occurrunt.*

4° *Quid intersit inter infinit. histor. et finita tempora (perfectum, præsens historicum, imperfectum).* — Sed, ut nostræ locutionis natura clarius perspiciatur, cum *perfecto* aut *præsenti historico* simulque cum *imperfecto* instituenda videtur comparatio. Quæ quidem tempora (nunc aliud, nunc aliud, sensus ratione habita) ad res explanandas partes infinitivi historici jure suscipiunt.

Perfectum ac *præsens historicum* æque profecto præterita facta exprimunt, hoc autem tanquam præsentia; sed semper singularia ea proponit utrumque tempus, et tanquam aliud alium excipientia, ita ut aliud ex alio pendere necesse sit. Infinitivus contra in præterito effingit juxta positas eodemque tempore invicem succedentes, ac perpetuis vicissitudinibus renovatas actiones, quarum unaquæque tanquam diversa unius rei facies alii immixta intelligenda est. Itaque dixit Cæsar: *Veni, vidi, vici;* nam hæc tria facta invicem excipiunt, ita ut *vincere* non nisi post *videre*, itemque *videre* non nisi post *venire* intelligi possit, neque ea simul facta atque occursantia quisquam contendere audeat. Imperfectum vero non solum statum aut actionis cujusdam diuturnitatem in præterito exprimit, verum etiam actionem in præterito repetitam, sed ita ut illa repetitio singulis ac definitis temporis momentis fiat, quod quidem in historico infinitivo non apparet. Quum Sallustius dicit (Jug. 108, 1): *ibi cum Boccho Numida quidam, Aspar nomine, multum et familiariter agebat,* verbum *agere* tanquam multiplex factum exprimens intelligendum est, quod sæpius quidem, definitis vero ac singulis temporibus, per vices redintegratur. Contra Jug. 50, 6, *sin opportunior fugæ collis quam campi fuerat, ea vero consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere; nostros asperitas et insolentia loci retinebat,* intelligendum est equos, hic paucos illic multos, variis locis simul undique venientes, τὸ *evadere* perfecisse; eadem igitur actio varias species oculis præbet, unde infinitivus historicus; *retinere* vero diuturnitatem exprimit, itaque jam non infinitivus, sed imperfectum usur-

patur. Plane absurdum profecto esset, si quis infinitivum historicum in enunciatis statum aliquem in præterito exprimentibus adhibere vellet, ut Cat. 6, 6, *imperium legitumum, nomen imperi regium habebant; delecti, quibus corpus armis infirmum, ingenium sapientia validum erat, rei publicæ consultabant: ei vel ætate vel curæ similitudine patres appellabantur,* et similibus. Nunc vero conferantur loca, ut Jug. 44, 5, *uti cuique lubebat, ab signis aberat, lixæ permixti cum militibus diu noctuque vagabantur, et palantes agros vastare, villas expugnare, pecoris et mancipiorum prædas certantes agere, eaque mutare cum mercatoribus vino advectitio et aliis talibus, præterea frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari.* Hæc omnia uno eodemque tempore, diversis locis simul, ab uno vel pluribus, a copia majori vel minori *lixarum cum militibus permixtorum*, alternis vicibus fieri possunt. Ubi vero singularis actio designatur, perfectum apparet, ut in conclusione hujus loci: *postremo quæcumque dici aut fingi queunt ignaviæ luxuriæque probra in illo exercitu cuncta fuere et alia amplius.* Sic in Cat. 60, 4, per infinitivos historicos videmus Catilinam varias actiones uno eodemque tempore mira cum velocitate agentem. At in fine addit scriptor aliquid quod statum potius indicat, quum dicit: *strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur*; itaque imperfectum jure usurpatur, ubi infinitivus mirus profecto esset. Cf. Jug. 72, 2, et 96, 2, ubi consequentia factorum singulorum his verbis per perfectum, ut factum simplex, exprimitur: *quibus rebus et artibus brevi Mario militibusque carissumus factus.*

Sunt tamen quædam loca in quibus decipitur ratio, quum perfectum aut præsens historicum aut etiam imperfectum appareat, ubi infinitivus jure usurpandus videatur. Neque ideo putandum est illis temporibus eamdem atque infinitivo significationem vimque inesse; tunc enim rem alia ratione intellexit auctor noster, eamque nos sequi, non autem vituperare debemus; conferatur ex. gr. Jug. 50, 2 cum 55, 4. Ceterum satis rara sunt ea loca quæ positis supra regulis repugnare videntur, quæ quidem studio variandi orationem inductum Sallustium sic composuisse nihil obstat quin putemus, nec in explicandis ejusmodi locis subtilius disserere ad excusandam structuræ varietatem necesse est.

5° *De falsis exceptionibus.* — Semper in enunciato primario, neque in ullo alio, usurpari infinitivum historicum supra affirmavimus. Sunt tamen in scriptis Sallustianis tres loci qui eam regulam infirmare videantur: sed in eis quoque locis enunciatum primarium vere inesse docebit accuratior observatio.

1° Jug. 100, 4, *ipse armatus intentusque, item milites cogebat*;

neque secus atque iter facere, *castra munire*, *excubitum in porta cohortis ex legionibus*, *pro castris equites auxiliarios mittere*, *præterea alios super vallum in munimentis locare*, *vigilias ipse circumire*. Si gallice animadversa verba per imperfectum indicativi transferremus, in enuntiato secundario posita sane essent. Quum autem latinus sermo, in similitudine aut dissimilitudine exprimenda, res inter se collatas particulis copulativis jungere soleat, non magis hic mirari debemus infinitivum collocari quam imperfectum indicativi miraremur, si Sallustius, alio orationi toti colore dato, finito tempore usus esset, ut actiones per vices temporis singulas repetitas, non autem eodem tempore simul manifestas exprimeret.

2° Jug. 70, 5, *Bomilcar simul cupidus incepta patrandi et timore soci anxius*, *ne omisso vetere consilio novom quæreret*, *litteras ad eum per homines fidelis mittit*, in quis *mollitiam socordiamque viri* accusare, testari *deos*, *per quos juravisset*, monere *ne præmia Metelli in pestem convorteret*. Hic quoque de primario enunciato agi, invitis verbis *in quis*, nemo est quin videat. Latina enim lingua relativa verba ad jungenda enunciata libenter adhibet, eisque vel initio primariorum enunciatorum utitur, ut priori enunciato, quod et ipsum perfectum habeat sensum, novum enunciatum per se quoque absolutum adjungat. Inde fit ut hæc relativa, qua falso dicuntur, enunciata, si in oratione indirecta versentur, accusativum cum infinitivo, sicut cetera primaria enunciata, accipiant; quæ quidem constructio apud Ciceronem (Vide *Rep.* I, 14; *in Verr.* 45, 8) reperitur. Hinc ad infinitivum historicum, audaciori sermonis usu, apud Sallustium transiit genus illud dicendi.

3° Jug. 98, 2, *jamque dies consumptus erat*, cum tamen *barbari nihil* remittere, *atque*, *uti reges præceperant*, *noctem pro se rati*, *acrius* instare. Audaciorem etiam illius dicendi generis usum præbet tertium hoc exemplum, ubi in enunciato, quod secundarium esse videtur, *cum* conjunctio adhibetur. Quam structuram cum infinitivo historico Sallustius nescio an primus adhibuerit. Plura quidem exempla ejusdem cum infinitivo, quod dicitur, enunciato apud Livium inveniuntur : 4, 51, *jacere tam diu irritas sanctiones*, *quæ de suis commodis ferrentur*, *quum interim de sanguine et supplicio suo latam legem confestim exerceri*, ubi *quum interim* idem valet atque *et interim* (cf. 2, 13, etc.); nullum vero cum infinitivo historico apud illum scriptorem novi exemplum. Tacitus, qui Sallustium imitatus, audaciam exemplaris sæpius superavit, infinitivum historicum cum conjunctione *cum*, non solum in apodosi, sed etiam in protasi adhibere non dubitavit, præsertim si *primum* junctum sit : nec immerito quidem, quum conjunctio *cum* his

omnibus locis pro *et tum* ponatur, et in veri nominis primario enunciato versetur, ideoque tempus sequentis verbi ad tempus totius enunciationis sese accommodare debeat. Sed ad exemplum Sallustianum redeamus. Hic quoque *cum* initio primarii enunciati positum est; et nihil aliud nisi hoc enunciatum cum superiori conjungit. Nunc vero conferatur hic locus Jug. 12, 5, *qui postquam in ædis inrupere, divorsi regem quærere; dormientis alios, alios occursantis interficere, scrutari loca abdita, clausa effringere, strepitu et tumultu omnia miscere,* cum interim *Hiempsal* reperitur *occultans se tugurio mulieris ancillæ*, in quo priora enunciationis membra *infinitivum historicum* habent, posterius vero membrum factum unicum exprimere, ideoque *præsens historicum* habere, facile perspicietur. Confer etiam Jug. 101, 8, jamque *paulum ab fuga aberant, cum Sulla... Mauris incurrit*; item Jug. 106, 5, ubi *jamque* initio periodi positum est, *cum* vero conjunctio cum præsenti historico junctum est.

4° Jam veniamus ad locum quemdam qui, a nullo commentatore, ut opinor, laudatus, insigne relativi enunciati inter infinitiva enunciata inserti exemplum allaturus esse videtur : Jug. 106, 4, *ceterum ab eodem monitus uti noctu proficiscerentur, consilium adprobat, ac*, statim milites cenatos esse, *in castris ignis quam creberrumos fieri, dein prima vigilia silentio egredi jubet.* Quem locum fere omnes commentatores sic interpretantur : « Imperat ut milites cenam illico perfectam habeant, et ad proficiscendum sine mora parati sint. » Quæ quidem interpretatio quin pro bona accipiatur plures causæ obstant. *Primum*, verbum *jubet* non nisi cum præsentis infinitivo jungi solet, ita ut nullum alius temporis exemplum prorsus reperiatur. Objicietur profecto *esse* hic verum et unicum verbum habendum, ac participii attributivi, ut solet, munus explere *cenatos*, nedum *cenatos esse* perfecti infinitivus esse possit. Sed speciosum magis quam verum illud est : nam si pleraque, quæ afferuntur, exempla participium tantum præbent, sunt nonnulla tamen in quibus verbum *esse* supplere necesse sit, et A. Gellius (Noct. att. II, 25, 7) ex Varrone formam *cenatus sum* affirmat, simulque *pransus sum* et *potus sum*. Præterea hoc in loco significationem temporis participio retineri debere nemo est quin videat. *Deinde* nunquam, mea quidem sententia, vox *statim* eum sensum habet ut idem atque *parvum post tempus* valeat, quod necessarium sit ut pro adverbio poni liceret. *Denique* hic insolita constructio notanda est, quum *milites* primi ac tertii verbi subjectum ponatur, secundum autem verbum *milites* quidem pro subjecto logico retineat, sed reipsa, passiva constructione adhibita, nomen rerum *ignes* habeat subjectum. Ex quibus omnibus apparet sen-

sum a plerisque allatum, si non manifesto falsum, at certe maxime dubium esse. Adde quod Vaticanus codex, quem, utpote optimum, ad recensenda Jugurthæ capitula 103-112 adhibuit Jordanus, hoc loco nonnullas litteras erasas præbet post verbum *esse*, quod quidem breviori scriptura dubium afferenti sic notatur : ēē. Igitur non temerarium videbitur, si novam difficultatis solutionem quæsierim, et *statim milites cenatos esse* tanquam relativum enunciatum inter infinitiva enunciata interjectum judicaverim [1]. Nam præter quam quod ejus modi interpretatio vim omnem verbi *cenare* servat, verus quoque sic adverbii *statim* sensus non corrumpitur idque conjunctive adhibitum esse putandum est peculiari modo qui non multum a consueto discrepet; *statim* enim non solum cum particulis conjunctivis *ut, ac, atque*, sed etiam (raro quidem) cum *quam* et *quum*, ac sæpius, vel apud Ciceronem, cum *ablativo absoluto* junctum invenimus. Cf. Cic. de Rep. 2, 31, *Publicola, lege illa de provocatione perlata, statim secures de fascibus demi jussit;* et Orat. 10, 35, *hoc sum aggressus statim Catone absoluto*; cf. etiam Nep. Cim. 2, 3. *hostium navibus captis statim ex classe copias suas eduxit.* Nostrum exemplum, fateor equidem, majorem audaciam ostendit; sed Sallustium tritas vias libenter fugisse nemo nescit. Neque infitiandum est vicinitatem historicorum infinitivorum per *attractionem* multum valuisse ad nostram locutionem adducendam; cf. infra, p. 162, animadversionem ad Jug. 53, 7. Præterea litteræ erasæ in codice Vaticano largam conjecturis materiem præbent, ac forsan aliquis vir doctus, felici instinctu adjutus, meliorem nostri loci explanationem sagaci restitutione afferre poterit : ego vero ea, forsitan fusius explicata, non omnino inutilia fore existimavi [2].

6° *Quibus temporibus nitatur historicus infinitivus.* — Sed hæc hactenus : nunc quibus temporibus finitis nitatur infinitivus historicus apud Sallustium (nam de hoc solo auctore hic agitur), indicatis tantum, non laudatis exemplis, quæramus. Notionem solum actionis, quæ quidem non nisi in præterito fieri potest, historicum infinitivum præbere jam docuimus; quapropter finito tempore inniti solet, quod momentum temporis definiat, quo diversæ actiones juxta positæ atque inter se occursantes appareant. Quod quidem tempus, ut par est, aut *perfectum*, aut *præsens historicum*, aut *imperfectum*, aut *plusquamperfectum*, esse potest; *futurum* vero vel *præsens* veri nominis nullo modo usurpari posse ex iis omnibus patet quæ supra explicavimus. *Perfectum* in-

1. Qua de causa interpunctionem post verba *cenatos esse*, sicut et post particulam *ac*, posuimus.

2. Thomas (Jugurtha, p. 166), cum codice Bruxellensi 10034 (Z) scribit : *ac statim milites cenatos esse, ignisque in castris quam creberrumos fieri.*

venitur[1] : Cat. 6, 3 et 4; 12, 2; 27, 2; 31, 1; 39, 2; Jug. 6, 1; 20, 8; 36, 2; 39, 1; 43, 3; 55, 2; 58, 3; 72, 2; 96, 2; 98, 1; 98, 6; Hist. I, 10; *præsens* **vero** *historicum*, Cat. 47, 1; 60, 4; Jug. 11, 8; 15, 2; 23, 1; 33, 3; 37, 4; 38, 1; 49, 4; 50, 4; 57, 4; 69, 2; 70, 5; 75, 10; 82, 2; 83, 3; 87, 1; 88, 2; 91, 4; 101, 4; 101, 7. Adde 76, 3, ubi plerique codices manu scripti falso *jubet* **afferunt**, **ut optime** demonstravit Koziolius (l. l. p. 6). *Imperfectum* præcedit, **quum actiones** quæ per infinitivos significantur tempore quo altera fit actio **superveniunt**, ex gr. Cat. 24, 2; Jug. 7, 5; 30, 2; 39, 2; 44, 5; 46, 6; 47, 4; 51, 5; 55, 8; 60, 4; 74, 1; 91, 1; 92, 2 et 9; 94, 2 et 4; 97, 5; 100, 3 et 4. Sin vero actio perfecta quidem est, sed adhuc in præterito per effectus durat, ita ut res per infinitivos expressæ in mediam eam incidant, tunc *plusquamperfectum* usurpatur. Cujus quidem temporis usus, si ratio infinitivorum historicorum apud nostrum auctorem habeatur, rarissimus dici potest : nusquam enim, ni fallor, invenitur nisi Cat. 13, 3; Jug. 64, 5; 73, 7; 89, 1.

Actiones quidem quæ infinitivos historicos præcedunt, finitis temporibus expressæ, in duo genera dividi possunt. *Nonnullæ* enim ejusmodi sunt ut universe designent id quod deinde infinitivis explicabitur, tanquam variæ ac definitæ facies illius communis notionis : exempli gratia, Cat. 12, 2, *igitur ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere : rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi neque moderati habere*; 6, 3; 13, 3; 24, 2; 31, 1; Jug. 50, 4; 64, 5, etc., etc. *Aliæ* vero (et quidem multo numerosiores) narrationis aliquid effingunt, ita ut actionem præcedentem subsequantur, nulla notione universa interposita, variæ actionis novæ facies uno eodemque tempore alternis vicibus repetitæ, ut facile agnosci potest ex hoc loco inter plurimos lecto : Jug. 100, 3, *perfugæ, minume cari et regionum scientissumi, hostium iter explorabant. Simul consul quasi nullo inposito omnia providere, apud omnis adesse, laudare et increpare merentis.*

7° *De particulis tempus definientibus quæ initio prægressi enunciati occurrunt.* — Omnia fere tempora quæ supra notata sunt etiam in enunciatis tempus infinitivorum definientibus inveniuntur, quum conjunctiones *postquam* aut *ubi* initio enunciati præcedentis positæ sunt : *Postquam* cum *perfecto* Cat. 11, 4; 20, 7; Jug. 12, 5; 84, 1; cum *præsenti historico* Jug. 66, 1; 79, 7; cum *imperfecto* Cat. 56, 4; Jug. 13, 5; — *ubi* cum *perfecto* Cat. 51, 30; Jug. 60, 5; 94, 3; 94, 6 ; (*plus-*

1. Hic loca tantum indicamus in quibus duo aut plures infinitivi historici versentur; cetera producentur, cum de infinitivis singularibus agetur. (V. p. 161.)

quamperfectum nec cum *postquam* nec cum *ubi* reperitur). — Adde *ut*, Cat. 14, 6, *nam* ut *cujusque studium ex ætate flagrabat, aliis scorta præbere*, etc.; — *quamquam*, Jug. 37, 4, *quamquam*... poterat,... *tamen* (cum præsente historico in præcedenti periodo); — *ubi* (adverbium loci), cum *imperfecto*, Jug. 60, 1; — *sin*, Jug. 58, 3 (et 50, 6, sed cum uno tantum infinitivo). Unicum exemplum est Cat. 31, 8, ubi *cum* conjunctio initio enunciati tempus definientis adhibeatur.

Perpauca etiam sunt loca quæ non inter species supra descriptas numerari queant, ut Jug. 59, 3, *neque diutius Numidæ resistere quivissent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent. Quibus illi freti non, uti equestri prælio solet, sequi, dein cedere, sed advorsis equis concurrere, implicare ac perturbare aciem : ita expeditis peditibus suis hostis pœne victos dare*, ubi verbum finitum cogitatione ex forma præcedentis enunciati fingitur; hic enim ex suppositivo enunciato hoc factum cogitatur quod *pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu* FECERUNT, quod quidem *perfectum* actionum per infinitivos historicos expressarum tempus definire potest. Aliquando vero ad definitum tempus supra positum reducimur variis locutionibus, exempli causa: *insolita re* (Jug. 64, 2), quod ad verba *ab Metello petundi gratia missionem rogat* referendum est, a quibus universo per parenthesim interjecto enunciato dividitur : *Itaque conmotus* insolita re *mirari primum ejus consilium et quasi per amicitiam monere ne tam prava inciperet, neu super fortunam animum gereret;* — *postea* (Jug. 113, 2), quod similiter ad verbum finitum *promisit*, universo enunciato interjecto, jungitur (*hæc Maurus secum, ipse diu volvens tandem promisit, ceterum dolo an vere cunctatus parum comperimus. Sed plerumque regiæ voluntates ut vehementes sic mobiles, sæpe ipsæ sibi advorsæ. Postea... Bocchus Sullam modo, modo Jugurthæ legatum appellare, benigne habere, idem ambobus polliceri*); — *per idem tempus*, Jug. 70, 1; — *inter hæc negotia*, Jug. 47, 3; — *interim*, Jug. 94, 5 [1]. Neque ideo putandum est temporales illas locutiones, aut similes alias, si tempus finitum præpositum sit, non posse usurpari. Conferantur enim Cat. 48, 1; Jug. 55, 8, etc. Notandum præterea est hoc unicum exemplum, ubi cum infinitivo historico conjungitur certum temporis momentum : Cat. 17, 1, *igitur* circiter kalendas Junias, *L. Cæsare et C. Figulo consulibus, primo singulos appellare, hortari alios,*

1. Incertum est an fragm. III, 89, huc pertineat; summa tamen loci verbum finitum præcedere debuisse indicare videtur. Locus vero Jug. 45, 2, *præterea* etc., speciose tantum huc referendus est, ubi verbum finitum propter conjunctionem cum verbo *comperior* perfecto infinitivi positum est.

alios temptare; *opes suas*, *inparatam rempublicam*, *magna præmia conjurationis docere*.

8° *De secundariis enunciatis*. — Ad enunciata secundaria quod attinet, imperfecto, ut par est, si eodem tempore res agantur, plusquamperfecto, si plane perfectæ sint, exprimuntur. Imperfectum usurpatur Jug. 20, 8; 33, 31, ac sæpius; plusquamperfectum, Jug. 49, 4; 51, 5; 89, 1; etc.; utrumque invenitur Jug. 55, 8, *eo tempore Jugurtha per collis sequi*, *tempus aut locum pugnæ quærere*, *qua venturum hostem* audierat, *pabulum et aquarum fontis*, *quorum penuria* erat, *conrumpere*, *modo se Metello*, *interdum Mario ostendere*, *postremos in agmine temptare ac statim in collis regredi*, etc.; imperfectum conjunctivi: Jug. 11, 8; 36, 2; 37, 4; Cat. 39, 2, etc.; etc., plusquamperfectum autem conjunctivi semel tantum a Sallustio usurpatur, Jug. 58, 3.

Jam quomodo inducantur infinitivi historici, et qua ratione habeantur secundaria enunciata breviter disputatum est; quæramus nunc quomodo desinat ac concludatur infinitivorum illorum series; deinde de subjectis verbisque in hac constructione adhibitis agemus.

9° *De collectivis enunciatis*. — Infinitivis historicis, qui definitas facies unius aut multarum actionum alternis vicibus eodem tempore succedentes effingunt, *nunc* simpliciter novum factum adjicit scriptor, quod quidem plerumque evenit nec ullius explicationis eget; *nunc* summam rerum in unum contrahens, breviter eas per commune aut latius patens enunciatum colligit, vel etiam addit nonnulla quæ quid ex enarratis rebus consequatur indicent. In ejusmodi enunciatis qua ratione verba habenda sint, operæ pretium erit perquirere. Grysarius (loco laud. p. 783) verbum finitum in collectivis enunciatis semper inveniri falso contendit, ac pro argumento affert eximium illum locum Ciceronis (pro Roscio, cap. 38), in quo sane collectio, adhibito tempore finito, præclaram atque elegantem formam induit. Sed quod ad Sallustium pertinet, hæc nequaquam accipi potest opinio. Etnim inter *centum* fere locos qui plures infinitivos habent, *viginti quinque* conclusionis enunciatum præbent, ex quibus *undecim* tantum tempore finito concluduntur, alia *quatuordecim*, (nam non excipiendus est Jug. 101, 11, ubi nomina cum perfectis passivis juncta, quæ jam supra infinitivis historicis non dissimilia esse declaravimus, in enunciato collectivo stant [1]), infinitivum etiam in con-

1. *Tum spectaculum horribile in campis patentibus : sequi, fugere, occidi, capi, — postremo omnia, qua visus erat, constrata telis*, etc.; cf. Tac. Agric. 37 : *tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum : sequi, vulnerare, capere, atque eosdem oblatis aliis trucidare.*

clusionis enunciato præbent; quæ quidem hæc sunt : Cat. 14, 6; Jug. 33, 3; 49, 4; 92, 2, ubi particula *postremo* adhibetur; Jug. 23, 1; 66, 1; 76, 4, ubi *prorsus*; Jug. 36, 2; 59, 3; 72, 2, ubi *ita*; Jug. 39, 2; 79, 7, ubi *denique*. Addamus Jug. 113, 2, ubi peculiari modo concluditur : *Bocchus Sullam modo, modo Jugurthæ legatum appellare, benigne habere, idem ambobus polliceri. Illi pariter læti ac spei bonæ pleni esse.* Igitur illa enuntiata a particula collectionis conclusionisve incipere solere perspicuum est, quod quidem in locis ubi tempus finitum adhibetur, exceptis *quatuor* tantum (Cat. 60, 4; 13, 3; Jug. 96, 3; 113, 2), fit similiter. Et illa quidem *undecim* hæc sunt : Cat. 13, 3; 25, 5; 60, 4; Jug. 38, 5; 44, 5; 45, 2; 55, 2; 69, 2; 74, 1; 94, 5; 96, 3.

Sallustius igitur, quum in talibus enunciatis infinitivum adhibeat, novam notionem latius patentem addit antecedentibus, ita ut singulares actionis facies quasi simplex et una notio concipienda sit, cui opponatur in eamdem formam expressa collectiva notio; atque hujus structuræ ita studiosus est, ut etiam in uno loco, ubi actiones singulares finitis temporibus expressæ sint, in conclusione infinitivo utatur historico : Jug. 65, 5, *itaque et illum et equites Romanos, milites et negociatores, alios ipse, plerosque pacis spes inpellit, uti Romam ad suos necessarios aspere in Metellum de bello scribant, Marium imperatorem poscant. Sic illi a multis mortalibus honestissuma suffragatione consulatus petebatur. Simul ea tempestate plebs, nobilitate fusa per legem Mamiliam, novos extollebat. Ita Mario cuncta* procedere. Hic sane de variis ac singularibus τοῦ *cuncta procedere* faciebus, tanquam diversis locis simul ac per acta varia manifestis, cogitabat scriptor noster.

10° *De subjectis.* — Nunc ad subjecta infinitivorum historicorum veniamus. Quum ea infinitiva non nisi in enunciatis primariis neque obnoxiis versentur, sequitur ut subjectum semper nominativo casu ponendum sit. Cujus vero generis esse possit, atque utrum unus an plures adesse debeant, quum plures infinitivi occurrant, de iis jam quæstio instituenda esse videtur.

Si diligenter locos Sallustianos inspexeris, maximam partem subjectorum animantia præbere facile cognoveris, quod ex natura ac sensu historici infinitivi consequitur, eaque, si excipias Jug. 50, 6, ubi *equi* inveniatur, personas semper esse, nunc propriis aut appellativis nominibus, nunc finitis aut infinitis pronominibus, aut etiam infinitis numeralibus nominibus expressas. Inter personarum pronomina, secundæ personæ pronomen, ut par est, nusquam neque apud Sallustium, neque apud alios scriptores invenitur; primæ vero personæ pronomen, quod a nostro auctore non usurpatur, raro apud Ciceronem Terentium-

que reperitur. Cf. Grysar. loc. laud. p. 781, et Holtze, l. l. p. 30.

Tredecim tantum locis nomina rerum pro subjectis usurpantur; quæ quidem talia sunt ut 1° aut abstractum nomen (*pars*, ac sæpe juxta *alii*) pro personis quas contineat in se ponatur, 2° aut ex verbis adhibitis ad personas agentes facile cogitatione transire possimus.

Ad *primum* genus pertinent : Cat. 10, 6, *hæc* (scilicet *avaritia et ambitio*) *primo paulatim crescere*, *interdum vindicari*, ubi per verba *avaritia* et *ambitio* homines iis vitiis laborantes intelligendi sunt; Jug. 41, 9; 69, 2, *ira atque prædæ spes amplius quam lassitudo posse.* Confer Cæs. de bello civili, II, 30, *erant* SENTENTIÆ *quæ conandum omnibus modis, castraque Vari oppugnanda* CENSERENT, *quod hujusmodi militum consiliis otium maxime contrarium esse* ARBITRARENTUR, et Cic. pro Sextio, 51, 109, *ultra igitur causa popularis debet videri : in qua omnes* HONESTATES *civitatis, omnes ætates, omnes ordines una* CONSENTIUNT, *an in qua furiæ concitatæ tanquam ad funus reipublicæ convolant*, in quibus locis verba rationem mentis exprimentia cum abstractis nominibus pro subjectis adhibitis inveniuntur. — Ad *alterum* autem genus referendum est Jug. 51, 1, *nihil consilio neque imperio agi*; *fors omnia regere*, (ubi intelligendum est *privatos cives* neque consilio neque imperio *egisse*); item Jug. 60, 2; 67, 2; 76, 4; 97, 5. Similiter personæ ut agentes ex sententiarum nexu ostenduntur, etsi id forma non indicatur, Jug. 65, 5; 73, 4; 83, 3; 92, 9; 94, 5, etc.

Quod ad numerum subjectorum attinet, tria genera notanda sunt : aut *nullum* subjectum ostenditur, et tunc universe personæ cogitandæ sunt ex sententiarum nexu, et ut agentes intelligendæ; aut *unum* subjectum, aut denique *plura* ostenduntur.

Primi generis duo tantum loci apud Sallustium inveniuntur : Cat. 12, 2, *igitur ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere*; *rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi neque moderati habere;* Jug. 101, 11, *tum spectaculum horribile in campis patentibus : sequi, fugere, occidi, capi*, etc.

Maxima pars locorum Sallustianorum unum subjectum habet.

Plura subjecta, (imprimis pars... alii, alii... alii), antecedente aut sequente nomine quod summam exprimat, his fere locis inveniuntur : Cat. 6, 4; 20, 7; Jug. 39, 1 et 2; 50, 4; 51, 1; 55, 2; 57, 4; 58, 2; 60, 1; 60, 4; 69, 2; 75, 10; 92, 2 et 9; 94, 5; 98, 6.

11° *De infinitivorum historicorum natura et numero* [1]. — Restat ut

1. Hoc paragrapho, sicut et præcedentibus, ex Koziolii libello pleraque allata exempla et numeros hausimus.

verba infinitivo historico posita perspiciamus, considerantes, sicut et in subjectis, primum naturam, deinde numerum eorum.

Primum omnium, infinitivum præsentis solum hic usurpari posse ex definitione supra instituta patet; quod quidem unum reperitur, non solum apud nostrum scriptorem, sed etiam apud ceteros. Præterea plerumque formam activam induat necesse est, quum reipsa veram actionem indicet, sive externam, sive internam : 1° Actio externa tantum ostenditur, exempli gratia, Jug. 44, 5, *vastare,... expugnare,... prædas agere,... mutare,... vendere,... mercari*; 2° actio autem tantum interna, Jug. 70, 1, *novas res cupere, ad perniciem ejus dolum quærere, diu noctuque fatigare animum*; 3° actiones denique internæ cum externis mixtæ, Cat. 12, 2, *rapere, consumere, parvi pendere, cupere, nihil pensi habere,* et pluribus aliis locis.

Verba *esse, adesse* sæpius usurpantur, ubi ex summa locorum actionem veram cogitare debeamus : *adesse,* eodem fere sensu ac *subito apparere, advenire* Jug. 45, 2; 50, 4; 87, 2; 96, 3; 100, 3; *esse* invenitur Cat. 6, 4 (*pauci ex amicis auxilio esse*); 20, 7; 27, 2; Jug. 6, 1; 50, 2; 55, 2 (*fama de Metello prælara esse*; cf. 73, 5, *in majus celebrare*); 94, 4 (*secundis rebus feroces esse*; cf. *agitare* sæpius apud Sallustium usurpatum); 95, 3 [1]; 73, 4; 113, 3. In locis vero quæ statum interiorem expressum habent, inveniuntur apud Sallustium verba *cavere, timere, metuere, pavere, pavescere, lætari, dolere, credere, spem habere, diffidere.* At notandum est omnibus his locis non tam statum et affectum animi passivum quam manifestationem illius exprimi. Cf. Jug. 98, 6, *dein, crebris ignibus factis, plerumque noctis barbari more suo lætari, exultare, strepere vocibus et ipsi duces feroces, quia non fugerant, pro victoribus agere*; præterea Cat. 31, 3; 51, 29; Jug. 13, 5; 39, 1; 46, 1; 55, 3; 72, 2; 92, 2; 106, 6.

Ceterum infinitivo historico verbum *posse* usurpatum esse mirum est, quod in tribus locis Sallustianis invenitur : Jug. 69, 2, *ira atque prædæ spes amplius quam lassitudo posse*, ubi tanquam *valere* intelligendum est ideoque minus mirandum; sed in Jug. 67, 2 et Cat. 25, 5 vere anomaliam habemus.

1. Hoc loco (*Igitur Sulla gentis patriciæ nobilis fuit familia jam prope extincta majorum ignavia, litteris Græcis et Latinis juxta atque doctissume eruditus, animo ingenti, cupidus voluptatum, sed gloriæ cupidior, otio luxurioso esse*), propter antecedens *fuit*, pluribus viris doctis visum est *esse* deleri oportere, tanquam ex varietate quadam lectioni *oso* allata oriens. Utcumque res se habet, *esse* in omnibus codicibus exstat, et ex antiquitate remotissima originem ducit. (Koziol.) — Quum in hunc locum sermo inciderit, addere liceat quod verba *atque doctissume*, quæ in *atque doctissum* Jordanus et post eum Jacobsius mutanda censuerunt, nuper in suo Ὁμοιότητες *Sallustianæ* inscripto libello (Erlangæ, 1877) vir doctus Fr. Vogel omnino delenda contendit, non sine quadam veritatis specie.

Quum ab aliis scriptoribus in hac locutione rarius positum sit passivi infinitivum, id *duodecim* locis apud Sallustium invenitur, ex quibus *octo* causam agentem expressam non habent : Cat. 10, 6; Jug. 30, 1; 51, 1; 60, 2; 83, 3; 92, 9; 97, 5; 101, 11; ibi vero auctor subjectum latens mente comprehendisse liquet, sæpiusque tunc nomina rerum pro subjectis adstant. *Quatuor* vero loci causam agentem expressam ostendunt : Cat. 27, 2; 67, 2; 72, 2; 76, 4. Itaque parum accurate Spiessius (l. l.) ait : « quia infinitivo historico scriptores eo consilio utuntur ut vividiorem reddant narrationem, passivum paucis tantummodo locis adhibitum reperies; in Sallustio, ut Hoffmannus in Jahnii annalibus philol. 1828, II, p. 249 docet, *quater*. »

Præterea plerumque certas actiones indicant historici infinitivi; inveniuntur tamen *tres et viginti loci*, ubi negativus usurpatus est infinitivus : Cat. 11. 4; 12, 2; 13, 3; 14, 6; 27, 2; 31, 2; 56, 5; Jug. 13, 5; 41, 9; 47, 4; 51, 1; 55, 4; 59, 3; 60, 1; 64, 5; 66, 1; 72, 2; 88, 2; 91, 4; 92, 9; 94, 5; 96, 3; 101, 11.

Hæc de natura infinitivorum historicorum : quod vero ad numerum pertinet, maximam partem locorum Sallustianorum plures infinitivos habere perspicuum est, quum *viginti quinque* tantum singularem infinitivum ostendant, si detrahas *tres* locos ex Historiarum fragmentis excerptos, in quibus, propter ipsam naturam, aliquid dubitationis insit : Hist. I, 21 (Kritz.), *postremo ipsos colonos per miserias et incerta humani generis orare*, ubi *orare*, in collectivo positum enunciato, post unum vel plures alios infinitivos positum fuisse videtur, quum singillatim adhiberi, ut infinitivus historicus, soleat (cf. Cat. 40, 4; Jug. 107, 3); Hist. I, 18, *tum vero Etrusci cum ceteris ejusdem causæ ducem se nactos rati, maximo gaudio bellum irritare*; et Hist. I, 88, *sic vero quasi formidine attonitus neque animo neque auribus aut lingua competere*, quod quidem ex particulis antecedentibus collectivum enunciatum esse videtur, post plures historicos infinitivos, sicut supra explicatum fuit, concludendi causa adhibitum.

Nunc vero, si locos qui plures infinitivos continent inspexerimus, et qua ratione tunc infinitivi inter se conjuncti sint quæsiverimus, facile agnoscemus ea quibus nullum aliud verbum junctum sit sine conjunctione ulla juxta positos esse; quod quidem cum celeritate et alacritate sermonis quam per infinitivi historici usum persequimur optime congruat. Exemplum πολυσυνδέτου præbet Jug. 47, 4, *quos item uti priores consul inlectos ad proditionem domum dimittebat, regi pacem quam postulabat neque abnuere neque polliceri, et inter eas moras promissa legatorum expectare*. Inter plures infinitivos, 1° nunc ii tantum

conjunguntur particulis qui sensu ipso cohærent, ut facile perspicitur ex Jug. 57, 4, *Romani pro ingenio quisque pars eminus glande aut lapidibus pugnare; alii* succedere, *ac murum modo* subfodere *modo scalis* aggredi, *cupere prælium in manibus facere*, quo loco verba *subfodere* et *aggredi* cum *succedere* stricto vinculo connexa sunt (cf. Jug. 50, 4; 100, 3 etc); 2° nunc plures vel omnes bini junguntur ut in Jug. 58, 3, *sin Numidæ propius adcessissent, ibi vero virtutem ostendere et eos maxuma vi cædere, fundere atque fugare*; et Jug. 36, 2, *at contra Jugurtha trahere omnia, et alias deinde alias moræ causas facere, polliceri deditionem ac deinde metum simulare, cedere instanti et paulo post, ne sui diffiderent, instare.* Ad quam rem totam perspiciendam vide Cat. 31, 2; Jug. 6, 1; 11, 8; 13, 5; 33, 3. 41; 9; 44, 5; 45, 2; 49, 4; 51; 1 et 5; 55, 8; 59, 3; 60, 1; 60, 4 et 5; 66, 1; 72, 2; 91, 4; 92, 9; 94, 2, 3, 4 et 5; 96, 3; 98, 1; Hist. I, 10.

Duo tantum infinitivi leguntur, inter se conjunctionis particula semper juncti, his locis : Cat. 51, 29; Jug. 51, 4; 64, 2; 83, 3; 91, 1; 101, 4 et 7; Hist. I, 91. Notandum quidem est omnibus his locis duas notiones, si ad sensum respicias, tanquam unam notionem effingentes intelligi posse, quum aut unius generis species atque universæ rei partes esse videantur, aut duo enunciata, ex sententiarum nexu aliud ex alio apta, quasi per *hendiadyn* conjunctionis particulis jungantur, ut Jug. 64, 2, *itaque conmotus insolita re mirari primum ejus consilium et quasi per amicitiam monere ne* etc., (= admirans *vel* admiratione obstupefactus de ipsius consilio præcipere ne etc.). Ex ejusmodi infinitivis ad singularem infinitivum transire profecto facile est.

Quum non solum plures simul actiones, ut eodem tempore alia juxta aliam se ostendentes alternisque vicibus succedentes, producantur, sed etiam variæ singularis actionis facies tanquam eodem tempore simul prodeuntes intelligi possint, sequitur ut singularem historicum infinitivum usurpare liceat. Et quidem apud nostrum auctorem, ut supra diximus, in *viginti quinque* locis legitur, quos tantum indicare volumus, ex temporibus finitis quæ antecedunt in genera distribuentes, sicut et in infinitivis enumerandis fecimus qui plures una occurrunt.

Cum *perfecto* antecedente : Cat. 21, 2; Jug. 95, 3; 32, 3, *fuere qui auro conrupti elephantos Jugurthæ traderent, alii perfugas vendere*; *pars ex pacatis prædas agebant*, ubi constructionis mutatio notanda est. — Cum *præsente historico*: Cat. 60, 3; Jug. 60, 7; 86, 2; 100, 1, *dein Marius uti cœperat in hiberna*[1] [*properat, quæ*] *propter*

1. Hic in plerisque codicibus est lacuna, quæ aciem animi commentatorum acuit. Nipperdey proposuit : *in hiberna :nam propter;* Jacobsius : *proficiscitur* vel *pergit*; *nam*.

conmeatum in oppidis maritumis agere decreverat. Neque tamen victoria socors aut insolens factus, sed pariter atque in conspectu hostium quadrato agmine incedere; 101, 6; 106, 6; 107, 3. — Cum *imperfecto*: Cat. 12, 5; 16, 2; 21, 4; Jug. 38, 3; 50, 6; 55, 4; 65, 5. — Cum *plusquamperfecto* : Cat. 28, 4; Jug. 73, 3. — *Ubi* cum *perfecto* præcedit Cat. 40, 4; Jug. 46, 1; — *postquam* cum *perfecto*, Jug. 30, 1; cum *imperfecto*, Jug. 53, 7 [1]. — Sine verbo finito quo nitatur infi-

Marcou vero subauditum putat *it* vel *proficiscitur*. Ego vero, Koziolium secutus, ponendum censeo : *properat, quæ*. Fieri enim potuit ut per scribæ negligentiam a *properat* ad *propter* transiretur, quum iidem codices, in quibus deficiat *proficiscitur*, item *quæ* non habeant. Nonnulli codices habent *it* vel *iter;* perpauci, et ii quidem pessimi, *proficiscitur, quæ propter*. Ceterum *properare in* apud Sallustii æquales invenitur; (cf. Cic. ad Famil. 12, 25).

1. *Ac primo, obscura nocte, postquam haud procul inter se erant, strepitu, velut hostes* adventare, *alteri apud alteros formidinem simul et tumultum facere, et pæne inprudentia admissum facinus miserabile, ni utrimque præmissi equites rem exploravissent.* Qui locus, haud dubie corruptus, quantum interpretum perspicacitatem exercuerit, nemo ignorat. Dietschius (quem probaverunt Jacobs aliique) *adventarent* pro *adventare* (quod quidem plurimi atque optimi habent codices) scribendum proposuit, exemplum afferens Liv. xxxv, 14, initio, (cui adde Tib. I. 6, 25; Ovid. Métam. 4, 596); Cortius vero, Linkerus, Madvigius, quibus assentitur Koziolius, « *adventare* » pro glossemate infeliciter ad explicandam vocem « *strepitu* » interpolato habendum censuerunt ideoque delendum. Gerlachius contra (Comment. ad Jug. 53, 7), quanquam in sententia hærere videtur, tamen haud plane contemnendis de causis « *adventare* » admittendum judicavit, his verbis : « cum Sallustius aliis locis *velut* sine verbo adjecto usurpaverit, recta Cortius statuere videtur *adventare* ab aliena manu esse appositum. Tac. Hist. 3, 10 : « et visi procul sociorum equites vanam formidinem, ut hostes, fecere. » *Sed hoc verbum exquisitius, quam quod a librariis inventum dixeris.* Quid enim erat quod hoc adjiceretur, cum infinitivo omisso sensus facillimus esset? Et infinitivus aut inde ortus est, quod infinitivus historicus sequitur, aut Græcorum exemplo hoc dictum est, ubi in oratione obliqua infinitivus omnes conjunctiones sequitur. Cf. Viger. Ed. Herm. p. 206 et 745. » — Kritzius vero « *adventare* » ita defendit, ut « *strepitu* » pro ablativo modali haberet, et cum « *adventare* » pro infinitivo historico habito conjungeret; quod plane falsum est, quum agmen quodlibet cum strepitu quodam incedere soleat, at potius hostes quam minimo possint tumultu accedere debeant, si per noctem incautis obrepere velint. Jordanus quoque *adventare* servat, ad fidem codicis Parisiensis, sed nulla, quod sciam, adhibita explicatione. Ego vero « *adventare* » libenter accipio, Gerlachii priori (nam duas habet) explicatione admissa; nec Kritzii interpretationi assentiri queo, quum hic infinitivum historicum nullo modo usurpari posse censeam. Nam « *primo, obscura nocte* » ad verba « *formidinem simul et tumultum facere* » referenda sunt, « *primo* » autem ad enunciatum, quod in periodi fine versatur, « *ni utrimque præmissi equites rem exploravissent* »; ideoque verbum « *adventare* » tanquam per parenthesim in oratione interjectum videretur. Sed potius, quanquam hoc quantum a consueta latine loquendi norma abhorreat non me fugit, « *velut hostes adventare* » tanquam infinitivum cum accusativo habendum esse existimo; (confer ea quæ supra (p. 152 sqq.) ad Jug. 106, 4 (*ac, statim milites cenatos esse*) disserui); quod quidem ad sententiam aptissimum esse nemo negabit. *Strepitu* enim non jam, ut Kritzius voluit, ad verba « *velut hostes adventare* », sed ad « *alteri apud alteros formidinem simul et tumultum facere* » referendum est, et quomodo utrimque formido injecta sit indicat; verba vero « *velut hostes adventare* » idem sonant atque « *velut si hostes adventarent* », et cur alteri formidinem habuerint, dum ipsi alteris inferrent, ostendunt, nedum vocis « *strepitu* » significationem explicent. Si quis vero « *velut* » cum infinitivo, quod dicitur, enunciato jungi non posse contendat, consideret quanto studio Sallustius novas locutiones instituat vel obsoletas restituat. Ceterum hic admittenda est quodam modo infinitivi historici sequentis per *attractionem* actio, ut in Jug. 106, 4.

nitivus : Jug. 93, 1, *at Marius multis diebus et laboribus consumptis anxius trahere cum animo suo, omitteretne inceptum, quoniam frustra erat, an fortunam opperiretur*, ubi verba « *multis diebus et laboribus consumptis* » tempus definiunt; Jug. 111, 2, *rex primo negitare*, ubi verba « *denique regi patefecit* », quæ orationem indirectam antecedentem regunt, tempus definire similiter possunt.

Ex eis omnibus quæ supra dicta sunt patet Sallustium præcipuo quodam studio infinitivum historicum usurpasse, non autem hanc dicendi formam ipsum invenisse, nec quidquam in ea usurpanda sibi proprium ostendere. Ceterum Tacitum constat in hujus infinitivi usu sæpius audaciorem fuisse, Livium multo minus.

PARS QUARTA.

SYNTAXIS CONSECUTIONIS[1].

CAPUT I.

DE SUBSTANTIVIS ENUNCIATIS.

I.

Enunciata substantiva cum *ut* [2] conjunctione.

Verbum *præcipere* cum conjunctivo solo primus adhibuisse videtur Sallustius, Jug. 28, 1, *præcipit omnis mortalis pecunia* aggrediantur; at more solito, cum *ut*, Cat. 41, 5; Jug. 13, 6; 14, 1; nunquam vero cum infinitivo, quod apud Ciceronem aliquoties invenitur. Similiter *negotium dare*, Cat. 40, 1, *igitur P. Umbreno cuidam negotium dat*, uti *legatos Allobrogum requirat*.

Conjurare cum infinitivo, pro *ut* et conjunctivo, apud Sall. primum invenitur Cat. 52, 24, *conjuravere nobilissumi civis patriam incendere*.

Expectare ut, qui semel tantum apud Cæsarem exstat (b. c. I, 6, 6) non legitur apud Sallustium, qui simpliciter substantivum plerumque adhibet, excepto tamen Hist. I, 51, 10, ubi *dum* occurrit.

Optare ut, *metuere ut* apud Sallustium, ut apud Ciceronem et Cæsarem, desunt.

Adnitor ut primum a Sallustio usurpatum est Jug. 85, 6, *mihi acrius adnitendum est uti neque vos capiamini et illi frustra sint*; quæ constructio postea Livio frequentata fuit.

Nitor ne primum occurrit Cat. 1, 1, *summa ope niti decet ne vitam silentio transeant*. Cf. Jug. 13, 8; 14, 20, *quos ego audio summa ope*

1. In hac quarta parte tractanda, rationem et divisiones Drægeri Syntaxis adhibuimus, quo factum est ut quædam, quæ prius nos fugissent, facilius in opere recognoscendo animadvertere ac suo loco notare licuerit.

2. Pristinam formam *uti* multo frequentius adhibet Sallustius quam *ut*; itaque *uti* etiam ante vocales legitur pluribus locis, ut Cat. 41, 5; 47, 3; Jug. 14, 13; 28, 1 et 2 etc., (multo sæpius quam in Catilina).

niti, ambire, fatigare *vos singulos*, ne *quid de absente incognita causa statuatis;* cum *ut*, Jug. 9, 2.

Paratus ut, parum usitata constructio, invenitur Jug. 91, 2, *uti simul cum occasu solis egrederentur paratos esse jubet*; ceterum cum infinitivo, more solito, Cat. 20, 17; 46, 5; 49, 3; 108, 2. (Cf. Plaut. et Terent.); cum *ad* et gerundium semel, Cat. 31, 7.

Mos est ut, more solito, Hist. II, 19; 1, 38; at cum infinitivo Cat. 30, 4; Jug. 80, 5, ut postea apud Virgilium.

In vostra manu est uti, Jug. 14, 13, *nos uti per otium tuti simus, in vostra manu est.* Cf. Cic. ad fam. 13, 39, *est igitur* in tua potestate ut *ille in me satis præsidii putet esse.*

II.

Conjunctionis *ut* detractio.

Satis frequens est conjunctionis *ut* detractio apud omnes scriptores in substantivis enunciatis, præsertim post verba *præcipiendi*, aut ea quæ voluntatem vel consilium indicant; itaque ea tantum quæ memoratu digna videntur hic enotabimus, ordine alphabetico verbis primariæ enunciationis dispositis :

Post verbum *cavere*, solum conjunctivum apud Sallustium invenitur Cat. 58, 21, *cavete inulti animam amittatis, neu capti potius sicuti pecora trucidemini*, ubi etiam solita constructio posteriori membro apparet. — *Censere*, cum solo conjunctivo, apud Ciceronem satis frequenter, apud Sallustium bis tantum: Cat. 52, 26, *misereamini censeo*; H. I, 51, 18; cum *ne* conjunctione, (quod imprimis Livio usitatissimum est), Jug. 25, 1, *fuere qui exercitum in Africam mittendum censerent, et — subveniendum, de Jugurtha interim ut consuleretur.* — *Decernere*, apud solum Sall., Cat. 29, 2, *senatus decrevit darent operam consules ne quid* etc. — *Hortari*, Jug. 56, 2, *oppidanos hortatur mœnia defendant;* 54, 1; 93, 6; (cf. Cæs. b. c. 1, 21; Tac. ann. 1, 35; 2, 40.) — *Imperare*, Jug. 35, 4; 75, 5; at cum *ut*, Cat. 45, 1. (Cf. Cæs. b. g. 4, 21; 7, 86, et Ovidium). — *Mandare*, Cat. 32, 2 (cf. Cæs. b. g. 3, 11; Liv. 42, 26; Ovid. Met. 14, 23; Amor. I, 11, 17); — similiter *litteras mittere*, Jug. 25, 5, *litteras ad Jurgurtham mittunt quam ocissume ad provinciam adcedat*, ubi alii (rectius fortasse) orationem indirectam intelligunt; (cf. Jug. 97, 1, *nuntios misit*). — *Permittere*, primum apud Sallustium, Cat. 45, 1, *cetera, uti facto opus sit, ita agant*

permittit; (cum *ut*, Cat. 30, 5); deinde apud Livium satis frequens. — *Persuadere*, apud Sallust. solum, Jug. 35, 2, *persuadet — regnum Numidiæ ab senatu petat.* Cf. *suadere*, Cic. ad fam. 7, 7, 1; Petron. 35; Nepot. 9, 4, 1. — *Petere*, Jug. 102, 2; Cicero duo exempla tantum præbet (ad fam. 13, 34 et 39), Cæsar unum (b. g. 7, 63). — *Præcipere*, Jug. 28, 1 (Vide supra); rarissima illa constructio occurrit apud Liv. 44, 27, 9, et Apul. Met. 5, 13.

III.

Enunciata substantiva cum *ne* conjunctione.

Cum *ne* conjunctione constructio verborum *vetandi* aut *impediendi*, apud Ciceronem satis frequens, omnino deficit apud Cæsarem, et apud Sallustium bis invenitur: Jug. 39, 4, *consul impeditus a tribunis plebis ne quas paraverat copias secum portaret;* Cat. 30, 4, *impediti ne triumpharent*; postea vero fit usitatior, præsertim apud Livium.

Rarior etiam adjectivorum metum significantium cum *ne* conjunctione constructio: Jug. 6, 3, *ne qua seditio aut bellum oriretur* anxius *erat.*

Ut ne (*uti ne*) in substantivis enunciatis neque apud Sallustium, neque apud Cæsarem invenitur; apud Ciceronem autem satis frequens.

IV.

Enunciata substantiva cum solo infinitivo.

Sallustius aliquot verbis, quæ ex vulgari sermone *ut*, *ne*, *quominus* particulas postulant, poetarum vel Græcorum dicendi rationem secutus, infinitivum subjungit, cui brevitatis studio inter omnes Latinos scriptores posteriori tempore vel maxime indulsisse Tacitus videtur. Sic usurpata invenimus *hortandi* verba: *hortor*, Cat. 5, 9, *res ipsa hortari videtur — supra repetere, ac paucis instituta majorum domi militiæque — disserere*; at Hist. III, 82, 17, *neque ego vos ultum injurias hortor, magis uti requiem cupiatis*, non video cur Badstuebner (l. l. p. 42) per infinitivum *ire* supinum explicet. An quia Arusianus, (p. 234 ed. Lindem.) dixit: « Hortor illos factum, h. e. factum ire, Sal. Hist. III, neque etc.? »Ego vero arbitor eam per se vim habere *hortor* ut supinum regat (cf. eodem loco, supra: *ultroque licentiam in vos auctum atque adjutum* properatis). — Similiter compositum verbum

dehortari adhibet Sallustius Jug. 24, 4, *plura de Jugurtha scribere dehortatur me fortuna mea;* item *monere*: Cat. 52, 3, *res autem monet cavere ab illis*; Jug. 19, 2, *alio properare tempus monet*; cf. Cicer. et præsertim Tacitum, in Annal. Non igitur absolute verum est id quod Herzogius aliique grammatici affirmaverunt, infinitivum, qui recte usurpatur, ubi *monere* significet *in memoriam revocare*, rarius tamen inveniri. Cf. Badstuebner, qui (l. l. p. 42) plura exempla Ciceronis congessit, inter quæ tamen nonnulla inutilia, quum non infinitivum solum, sed accusativum cum infinitivo præbeant; cf. etiam Dræger, Hist. Synt. II, p. 312.

Similiter verba *festinandi*: *maturare*, Jug. 36, 1; 79, 5; Cat. 18, 8; 36, 3; Hist. I, 85; — *festinare*, Jug. 21, 3; 64, 4; 68, 1; 81, 4, Hist. II, 68; — *properare*, Cat. 13, 2; 48, 4; Jug. 56, 5; at cum accusat. et infinitivo, insolentius, ad augendam vim subjecti, propter pronomen *quisque*, Cat. 7, 6, *se* [1] *quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat*; *eas divitias* etc., ubi Gruendel (de locis aliquot Sall. p. 13) ingeniosa correctione sic scribit: « *ac si quisque hostem ferire, murum ascendere properabat, conspici, dum tale facinus faceret, eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant* », artiore vinculo hæc ultima verba cum præcedentibus jungens.

Præterea *amare* primus cum infinitivo junxit Sallustius, sed præcedente accusativo, Jug. 34, 1, *sæpe impetu atque aliis omnibus quæ ira* (nominativo casu) *fieri amat*, quem locum fortasse ut Græcismum laudavit Quintilianus, 9, 3, 17 (*vulgus amat fieri*). — *Ardere*, poetarum more, cum infinitivo legitur Jug. 39, 5 [2], ut et verba *nisum* significantia, ex. gr.: *nitor* Jug. 25, 9; 37, 2; *enitor* Jug. 14, 1 (contra *adnitor* cum *ad* et gerundivum junctum est Jug. 43, 4; cum *ut* J. 85, 6); *aggredior* Jug. 9, 3; 21, 3 et 75, 2; cf. Suet. Ner. 19, Tac. Orat. 17, Virgil., Ovid.); *intendere* Jug. 92, 6; 106, 7. — *In animum inducere* cum infinit. rarior est apud classicos, qui vocantur, scriptores, at frequens apud Livium; Cicero *animum inducere* tantummodo adhibet; *in animo, cum animo habere, cum animo reputare*, etc, apud Sallustium cum infinitivo sequenti non occurrunt, sed tantum *animus subigit* (Jug. 31, 4, *tamen obviam ire factionis potentiæ animus subigit*), pro usitatissimo *in animo est*. — *Consilium est* fere semper cum infinitivo jungit Sall.: Cat. 4,

1. Kritzius: *sic se quisque;* in qua scriptura *sic* pro *nempe* positum haberi potest, prægressum enunciatum explicans (*sed gloriæ maxumum certamen inter ipsos erat*); cf. Cic. de Rep. 2, 14, (Numa) quæ perdiscenda quæque observanda essent, multa constituit... *sic* religionibus colendis operam addidit, sumptum removit, etc.

2. Cum *in* et ablativo Cat. 5, 4, *ardens in cupiditatibus*.

1; 53, 6; Hist. I, 45, 18 et 26; I, 51, 2; quibus omnibus locis negativum est enunciatum (*non consilium est*), at affirmative Hist. IV, 9, 16. Uno tantum loco (Jug. 85, 8) cum *ut* et conjunctivo : *ea uti accepta mercede deseram non est consilium*; ad quem locum Fabrius *ut* particulam interdum a substantivis pendere monet, quæ vulgo cum genetivo gerundii jungantur, ut Cic. pro Rosc. Amer. 12, 33, *neque hic locus est ut multa dicantur*; Tusc. 4, 1; Cæs. b. c. I, 48; Liv. 25, 34; 27, 33. Sallustium tamen ejusmodi substantivis infinitivum solitum fuisse jungere testantur Cat. 17, 6, *quibus in otio — vivere copia erat*; Cat. 30, 4, *quibus omnia vendere mos erat*; Jug. 3, 4, *nisi forte quem lubido tenet potentiæ paucorum decus atque libertatem suam gratificari*; J. 102, 5, *simul nobis demeres acerbam necessitudinem — persequi*. — Cf. *tempus visum est* Jug. 89, 3, *majora et magis aspera aggredi tempus visum est*, et cum ellipsi infinitivi Jug. 91, 3; 94, 1, *sed ubi ex præcepto tempus visum — ad locum pergit*. — *Conjurare*, insolentius, Cat. 52, 24 (cf. Hor. Od. I, 15, 4). — *Cavere*, ut apud poetas, Jug. 64, 2, *postremo caveret id petere a populo Romano*. — *Remittere* Jug. 52, 5, *neque remittit* (id est *intermittit*) *quid ubique hostis ageret explorare*. — *Dubitare*, Cat. 15, 2, *quod ea nubere illi dubitabat*; erravit igitur Dræger, qui (Hist. Synt. II, p. 327) apud Curtium primum affirmative hoc verbum positum occurrere affirmat. — *Imperare*, Jug. 47, 2, *præterea imperavit frumentum — comportare*, quod quidem apud Cicer. et Cæs. non invenitur. — *Jubere*, ut apud Livium, Virgilium ipsumque Ciceronem, cum infinitivo solo jungitur, ubi facile suppleri subjectum potest ex prægressis verbis : Jug. 106, 4, *ac, statim milites cenatos esse, in castris ignis quam creberrumos fieri, dein prima vigilia silentio egredi jubet*, quo loco *milites* subjectum logicum vere est et ante infinitivum *egredi* facile suppleri potest; Jug. 109, 3, *tum rex, uti præceptum fuerat, post diem decimum redire jubet*, ubi subjectum logicum *Sulla* nomen est sæpius in prægressis periodis repetitum. Duo loca addam in quibus explicandis multum variaverunt interpretes : Cat. 59, 1, *hæc ubi dixit, paululum conmoratus, signa canere jubet*; Jug. 99, 1, *Marius — quam maximum silentium haberi jubet, ne signa quidem, uti per vigilias solebant, canere*[1], *deinde ubi lux adventabat*,

1. Jordanus, Jacobsius, Dietschius, Kritzius majorem distinctionem omnes exhibent, sed variis de causis. Kritzius enim non solum verba *canere, tollere, erumpere*, sed etiam prius verbum *canere* pro infinitivo historico habet. Dietschius contra *jubet* alterum, cur in textu non recipiatur, non videt. Jacobsius (cf. Draeger, Hist. Synt. II, p. 314) hic, ut et Cat. 59, 1, *signa* accusativum esse putat pro subjecto infinitivi *canere* positum, et a præcedenti verbo *jubet* pendere; quod vero ad posteriorem locutionem « *signa canere* » pertinet, hac periodi parte infinitivos historicos videt, ideoque *jubet* alterum censet delendum. At parum verisimile est idem verbum activo et neutrali sensu tam parvo in-

— *de improviso vigiles, item cohortium, turmarum, legionum tubicines simul omnis signa canere, milites clamorem tollere atque portis erumpere* [*jubet*]. Duobus his locis non existimo neutrali significatione intelligi posse verbum *canere*, quum verbum *milites* hic quoque facile pro subjecto erui possit. Nam priori exemplo verba laudata orationem directam Catilinæ ad milites sequuntur, hæcque post posita occurrunt; *atque instructos ordines in locum æquom deducit*; posteriori vero, propter verbum comparativæ enuntiationis *solebant*, difficile est *signa* pro subjecto habere, et verbum *canere* neutrali sensu ponere, præsertim quum eodem periodo ut activum verbum plane adhibeatur.

Sed hactenus; hæc præterea verba notavimus : *Indignum est* primus Cicero cum accusat. et infinitivo usurpavit, Sallustius vero solum infinitivum adhibet, Jug. 79, 1, *non indignum videtur egregium atque mirabile facinus duorum Carthaginiensium memorare*; at cum accusativo, Jug. 31, 18, *quod magis vos fecisse quam illis accidisse indignum est.* — *Subigere*, Jug. 31, 4; 44, 4, *nisi eum odos aut pabuli egestas locum mutare subegerat*; Cat. 10, 5, *ambitio multos mortales falsos fieri subegit*; 51, 18, *nam profecto aut metus aut injuria te subegit, Silane, consulem designatum genus pœnæ novom decernere*; adde Jug. 24, 2, *non mea culpa sæpe ad vos oratum mitto, patres conscripti, sed vis Jugurthæ subigit* (i. e. *mittere*), ubi infinitivus supplendus; quæ constructio nec Terentii, nec Ciceronis, nec Cæsaris est (Draeger). — *Postulare*, Jug. 17, 1, *res postulare videtur Africæ situm paucis exponere*; (cf. Cic. de fin. 3, 17, 58; Lucceius et Matius ap. Cic. fam. 5, 14, 2; 11, 28, 4; et veteres poetas); ceterum cum *uti* invenitur Cat. 21, 1; 48, 5; cum *ne* Cat. 31, 7; Jug. 83, 1. — *Prohibere*, Cat. 58, 6, *diutius in his locis esse — frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet*; Hist. v, 3; passiva vi, Cat. 18, 3, ut apud Ciceronem; ceterum infinitivus cum hoc verbo nulla ætate deficit, sed apud Livium frequentissimus est. — *Cunctari*, Cat. 44, 6; Jug. 13, 6, *parare ne cunctentur*, quod quidem in affirmativo enunciato non invenitur; cf. Cic. Univ. 3, fin., *quam ob causam non est cunctandum profiteri hunc mundum animal esse.* — *Cogere*, semper cum infinitivo, præter Jug. 91, 6 (*ut*). — *Parare*, neutrali significatione semper cum infinitivo jungit Sallustius, more solito : Cat. 18, 5; 46, 3; Jug. 13, 2 et 3; 22, 1; 42, 5; 61, 3; 71, 5; (cf. *paratum esse ut*, supra). — *Doctus* cum infinitivo, Cat. 25, 2, *litteris Græcis et Latinis docta, psallere, saltare*

tervallo collocatum fuisse. Exemplum autem a Jacobsio allatum (Jug. 94, 5, *repente a tergo signa canere*) infinitivum historicum est, cujus logicum subjectum (milites qui castellum occupaverant) ex toto sensu elici non sine difficultate posset; quapropter hoc loco verbum *canere* neutrali sensu accipere melius est. Cf. Liv. I, 1, 7, etc.

elegantius quam necesse est probæ, multa alia quæ instrumenta luxuriæ sunt, ubi triplex structura notanda est; cf. Horat. passim., et Cic. Tusc. 5, 20, 58, *quin etiam ne tonsori collum committeret tondere filias suas docuit.* Similiter *edocere* Cat. 10, 5, *pro his superbiam, crudelitatem; deos neglegere, omnia venalia habere edocuit.* — *Probare*, Hist. inc. 93, ap. Quintil. IX, 3, 12 (*duci probare*), quam locutionem Sallustio dat solœcismo grammaticus ille. — *Discere*, Jug. 101, 6, *latine loqui didicerat*, cujus constructionis unum tantum laudatur Ciceronis exemplum, apud Nonium ex Republ. 4 : *Spartæ, rapere ubi pueri et clepere discunt.* — *Suescere*, ut apud poetas, Hist. I, 10, *et cetera secundis rebus oriri sueta mala.* — *Insuescere*, Cat. 11, 6, *ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari, ea privatim et publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere*; cf. Jug. 8, 2. Rarior hæc quidem structura; sæpius vero apud omnes occurrit *consuescere*, quod apud Sallustium legitur Cat. 22, 2; Jug. 47, 1. — *Relicum est*, Hist. III, 82, 2, *nunc hortari modo relicum est et ire primum via* (cf. Cic. ad Att. 7, 5, 5); cf. *est reliqui*, H. I, 45, 15, *estne viris reliqui aliud quam solvere injuriam aut mori per virtutem?* — *Vacuum est*, H. I, 11.

Rarior utique est infinitivus pro verborum personalium subjecto habitus; magis autem mirus, si objectum aliquod ab infinitivo pendeat, ut apud Nostrum, Jug. 31, 14, *quos omnes* eadem *cupere*, eadem *odisse*, eadem *metuere in unum coegit;* ibid., 8, *sed sane fuerit regni paratio plebi sua restituere;* 110, 3, *fuerit mihi eguisse aliquando tuæ amicitiæ*; 85, 9, *mihi — benefacere jam ex consuetudine in naturam vortit;* (cf. Virgil. Georg. I, 139, *captare feras — inventum est*). Cum pronomine demonstrativo per pleonasmum, Cat. 20, 4, *nam idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.*

Ἅπαξ εἰρημένον videtur esse Jug. 4, 3, *quibus maxuma* industria *videtur salutare plebem*, etc.

Rarius etiam invenitur infinitivus, alterius infinitivi subjecti prædicatum, ut Jug. 31, 26, *nam impune quæ lubet facere, id est regem esse*, et cum demonstrativo per pleonasmum, Cat. 12, 5, *proinde quasi injuriam facere id demum esset imperio uti.*

V.

Infinitivus ab adjectivo vel participio pendens.

Infinitivus cum adjectivis vel participiis-adjectivis hellenismus esse videtur; itaque a poetis præsertim, a Tacito nonnullisque aliis posterio-

ris ætatis scriptoribus adhibitus est. Apud Sallustium hæc notavimus; *suetus*, *doctus*, *paratus* (vide supra); *suspectus* Jug. 70, 1, *suspectus regi et ipse eum suspiciens novas res cupere*, ubi tamen dubitari potest num a priori participio pendeat infinitivus.

VI.

Verba cum accusativo et infinito juncta.

1° Verba hæc, cum accusativo et infinitivo juncta, notatione digna judicavimus, utpote quæ aut rara, aut apud Sallustium solum ea constructione usurpata sint : *Experiri*, Jug. 24, 4, *etiam antea expertus sum parum fidei miseris esse*; (cf. 108, 2; præterea Plaut. Truc. 2, 6, 48; Quintil. 2, 4, 13; 10, 3, 32). — *Invenire*, Jug. 1, 2, *neque majus aliud neque præstabilius invenias magisque naturæ industriam hominum quam vim aut tempus deesse*; cf. Liv. 3, 23; Plin. hist. nat. 10, 50, et Cæsarem qui (b. g. 2, 16) eam constructionem primus adhibuisse videtur. — *Videtur* impersonaliter, apud Ciceronem aliquoties occurrit; apud Sallustium, Jug. 85, 2, *sed mihi contra ea videtur : nam quo pluris est univorsa respublica quam consulatus aut prætura, eo majore cura illam administrari quam hæc peti debere*, ubi anacoluthon mirandum. — *Sperare* pro *credere* cum accusativo et infinitivo *perfecti* apud Sallustium non exstat; cum infinitivo *futuri*, ut solet, Jug. 7, 2; 25, 9; 28, 4; Cat. 21, 3; 26, 1; 37, 6; 56, 4; Hist. inc. 27; cum infinitivo *præsentis*, ut apud Ciceronem sæpius, præsertim cum verbis *esse*, *posse* : Jug. 87, 4, *speranti mox effusos hostis invadi posse;* Hist. IV, 19, 2, *frustra mala mea cum tuis bonis misceri sperem;* cum duplici constructione Hist. I, 45, 7, *nisi forte speratis tædium jam aut pudorem tyrannidis Sullæ* esse, *et eum per scelus occupata periculosius* dimissurum. — *Indignari*, Jug. 31, 9, *superioribus annis taciti indignabamini ærarium expilari, reges et populos liberos paucis nobilibus vectigal pendere, penes eosdem et summam gloriam et maxumas divitias esse*. Cf. Cæsarem, b. c. 3, 108, qui primus hanc raram constructionem usurpavit, ac postea Livium et Suetonium. — *Studere*, ut apud antiquos auctores et Ciceronem, Cat. 1, 1, *omnes hominis, qui* sese *student præstare ceteris animalibus*. — *Properare*, Cat. 7, 6 (Vide supra § IV). — *Tolerare*, Cat. 20, 11, *etenim quis mortalium — tolerare potest illis divitias superare, — nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse?* (cf. Tac. Ann. III, 3, et poetas). — *Censere*, pro *jubere* Jug. 21, 4, *velle et censere eos ab armis discedere*; (cf. Cic. Phil. 8, 7).

2° *Infinitivus perfecti passivi post verba voluntatis*, qui apud Ciceronem frequens est, apud Cæsarem, Virgilium nonnullosque alios non exstare videtur. Apud Sallustium vero falso affirmat Draegerus (Hist. Synt. II, p. 384) eam constructionem deesse; invenitur enim Jug. 110, 6, *bellum ego populo Romano neque feci neque* factum *umquam volui*; Jug. 112, 3, *ceterum Bocchus, si ambobus* consultam *et* ratam *pacem vellet, daret operam*, etc.; Hist. I, 45, 21, *nam præter satellites conmaculatos quis eadem volt? aut quis non omnia* mutata *præter victorem?*

3° *Accusativus cum infinitivo post verba impersonalia. — Scilicet.* — Pleraque impersonalia notum est cum accusativo jungi apud omnes scriptores; idemque fit apud Sallustium. Quibus verbis adjungenda est locutio *scilicet*, quæ cum accusat. et infinit. occurrit : Jug. 4, 5 et 6, *nam sæpe audivi Q. Maximum, P. Scipionem, præterea civitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere, cum majorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi.* Scilicet *non ceram illam neque figuram tantam vim in sese habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit*, ubi Kritzius ad antecedentia verba *solitos dicere* referendum accusativum cum infinitivo falso contendit [1]; Jug. 113, 3, *quæ scilicet tacente ipso occulta pectoris patefecisse;* Hist. I, 51, 5, *at scilicet eos, qui ad postremum usque legatos, pacem, concordiam et alia hujusmodi decreverunt, gratiam ab eo peperisse.* At Jug. 102, 9, (*sed quoniam humanarum rerum Fortuna pleraque regit, cui scilicet placuit te et vim et gratiam nostram experiri, nunc quando per illam licet, festina atque ut cœpisti perge*), ubi Kritzius, cui assensi sunt postea Œstling, Schultzius, Bruennert, alii, *placuisse* scribendum ex deteriorum codicum auctoritate celsuit, *placuit* cum Jordano servare melius videtur, cum ex toto sententiarum nexu appareat verba *cui scilicet — experiri* tanquam per pa-

1. Causæ quas affert vir ille doctus ad propositum comprobandum hæ fere sunt : si hæc sententia Sallustii esset ut a voce *scilicet* accusat. cum infinitivo penderet, asyndeton instare ineptum; deinde *sese* pleniorem illam formam nunquam de rebus usurpari, neque latine dici *hæc res vim* IN SE *habet*, sed simpliciter *habet*. — Sed nobis contra videtur; nam, quod ad asyndeton illud attinet, cf. Cat. 16, 3; deinde *sese* de rebus dicitur Cat. 2, 3, *æquabilius atque constantius sese res humanæ haberent*, et Jug. 17, 7; cf. Cic. pro Mur. 1, 1, *si illa solemnis comitiorum precatio tantam in se habet vim;* de fin. 4, 21, 58; de Senect. 21, 78; in Verr. 1, 9, 26. Præterea si statuimus voce *scilicet* verba sequentia regi, sensumque esse « *elucet* vel *mihi perspicuum est non ceram illam*, etc. », vocabula *egregiis viris* nihil habent offensionis, neque opus est ad ea confugere quibus Kritzius locum expedire conatus est. Dicit enim Sallustium in adversativa periodi parte ita ab instituta oratione deflexisse, ut, quum primo ex Maximi et Scipionis mente dixisset, in sententiam generalem transiret, ideoque pro *sibi* poneret *egregiis viris*.

renthesin posita, periodi cursum non sistere debere, quod sane fieret, si *placuisse* scribentes, voci *scilicet* vim verbi adderemus (= scire licet); præterea verbum *placet* cum accusativo et infinitivo alias a scriptore nostro usurpatum est, Cat. 50, 3, *refert quid de eis fieri placeat;* Jug. 28, 2, *placeret ne legatos recipi mœnibus*. Ceterum rara illa vocis *scilicet* constructio, apud veteres tantum usitata, pro archaïsmo habenda est. Cf. *videlicet*, apud priscos scriptores.

4° *Varii accusativi cum infinitivo usus et formæ.*

Notanda est adjectivi *gnarus* cum accus. et infin. constructio Hist. III, 77, 20, *gnari ex fuga finitumorum fugitivos ad se adventare*. Cf. Livium et posteriores.

Pro accusativo et infinit. post comparativum gradum, occurrit sæpius apud bonos auctores conjunctio *quam*, vel sola, vel cum *ut*, sequente conjunctivo; sic apud Sallustium Jug. 106, 3, *mansurum potius*, quam *proditis quos ducebat turpi fuga incertæ ac forsitan post paulo morbo interituræ vitæ* parceret.

Rarius accusativo subjectum per pronomen *ille* vel *is* expressum, quum jam in prægresso enunciato cum præpositione *de* positum sit, occurrit Cat. 51, 20, de pœna *possum equidem dicere id quod res habet, in luctu atque miseriis mortem ærumnarum requiem non cruciatum esse*, eam *cuncta mortalium mala dissolvere*. Cf. Cicer. qui fere solus hanc constructionem usurpavit.

Pronomen subjectum deficit aliquoties apud Ciceronem ipsum, præsertim in tertia persona; qui loquendi usus a Livio frequentior fit, sæpius cum infinitivo futuri activi; et apud nostrum occurrit : Cat. 31, 7, *postulare a patribus cœpit ne quid de se temere crederent;* ea familia ortum, *ita* se *ab adulescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet*, ubi duplex constructio observari potest, quum pronomen *se*, quæ primum ante verbum *ortum esse* deficit, deinde posteriori enunciato exprimatur [1]; Jug. 64, 5, *criminose simul et magnufice de bello loqui : dimidia pars exercitus si sibi permitteretur, paucis diebus Jugurtham in catenis habiturum*. Adde Jug. 24, 2 (*me*); 109, 3 (*eum* et deinde *se*); 22, 4 (*se*); 76, 1 (*se*); 109, 1 (*se*); Hist. III, 96 (*se*); J. 21, 4, *qui — senatus populique Romani verbis nuntient velle et censere eos ab armis discedere*.

De infinitivo enunciato pendente, non ab ipso prægresso verbo, sed a verbo *declarandi* aut *sentiendi* cujus cogitatio in verbo expresso inest, cujus constructionis exemplum unum supra laudatur (Cat. 31, 7), nihil est quod hic fusius disseramus, quum illa constructio et satis cognita et ab

1. Kritzius *se* delet post *ita*, nonnullorum codicum auctoritate nixus.

omnibus scriptoribus sæpius usurpata sit. (Vide tamen ad Ellipsim, infra.)

Infinitivus cum accusativo ab infinitivo historico pendens, quæ constructio satis rara apud Cæsarem tamen invenitur b. g. 1, 16, et apud Livium 2, 50, 3; 21, 50, 1, legitur apud Nostrum Jug. 84, 2, (*Marius*) — *accire et ambiundo cogere homines emeritis stipendiis secum proficisci*; tres etiam infinitivi occurrunt Jug. 102, 13, *eam vastari a Mario pati nequivisse*, (cf. Cic. Acad. 2, 1 et 47; Har. resp. 28, 62, Liv. etc.), rarior utique constructio, in qua unum ex verbis tribus auxiliarium esse notandum est. Pro accusativo et infinitivo, recta oratio invenitur Hist. III, 37, *non tu scis : si quas ædis ignis cepit acritar, haud facile sunt defensu, quin et comburantur, proxumæ*, quæ constructio sane rarissima est (V. Kritz. ad. h. l.).

5° *Indicativus in secundario enunciato quod ab infinitivo enunciato (vel a subjunctivo) pendet.* Conjunctivum notum est in secundario enunciato usurpari post accusativum et infinitivum, et universe in oratione quæ dicitur obliqua; perpauca exstant ante Sallustium, si veteres comicos excipias, contrariæ constructionis exempla, et ea quidem plerumque dubia. Sallustius vero frequenter, ac postea frequentius etiam Livius, indicativum usurparunt. « Tales vero sententias, Paldamus inquit (Quæstionum Sallustian. specimen, Dresdæ 1852, p. 27), quasi e nexu totius verborum ambitus ereptas, ipsas scriptorum sententias effingere grammatici recte monent. Si quis igitur scriptor aliorum cogitationes suo judicio illustrare quam commemorare tantum maluerit, ei talibus sententiis indicativo modo interpositis opus erit. Neque, quin historico omnium maxime hoc dicendi genus aptum esse debeat, cuiquam dubium videbitur [1]. » — Hæc autem Sallustii exempla notavimus, quorum nonnulla enunciata relativa cum indicativo præbent : Cat. 14, 7, *scio fuisse nonnullos qui ita existimarent, juventutem, quæ domum Catilinæ* frequentabat, *parum honeste pudicitiam habuisse*; 17, 7; 22, 3; 27, 4, 30, 6; 50, 3; 51, 32, 43; Jug. 16, 2, *decretum fit*

1. His opponere placet ea quæ Dietschius profert de illa constructione, cujus quidem causam et in obliquæ orationis natura et in scriptoris ingenio posita videtur. « Quum enim, inquit, indirecta oratione alius non ipsa verba tradantur, sed quid dixerit, senserit, cogitarit, referatur, in proclivi est ut ea membra, quibus res factæ commemorantur, non cum illius oratione consocientur, sed simpliciter narrentur; atque etiam multo minus id mirandum est in eo scriptore, qui fere semper magis quid, quam qua ratione dicendum sit, curaverit. » Ceterum conferas Krueger. Untersuchungen aus dem Gebiete der lat. Sprachlehre, I, p. 64 sqq.; Walch. Emendat. Liv. p. 191 sqq.; Gerlachium, III, p. 324, et Herzogium ad Cat. 27, 4, qui ad Græcos eam constructionem referunt; quam sententiam refellit Dreisius, concedendum esse dicens arbitrio scriptorum, ut quem potiorem habent modum eum anteponant. Si quid igitur ex mente et sensu suo *aliorumve* proferre, idque non pro incerto ponere, sed ut certissimam rem in nulla dubitatione collocatam exprimere volunt, indicativum usurpare solent.

uti decem legati regnum, quod Micipsa optinuerat, inter Jugurtham et Adherbalem dividerent; 29, 1; 35, 4; 54, 1; 63, 1; 93, 1 et 6; 97, 3; 106, 3, ad quem ultimum locum Herzogius Sallustium hoc loquendi genus vel naturæ propensione, vel priscos auctores imitandi voluntate adhibuisse dicit. At J. 81, 1, *Romanos injustos, profunda avaritia, communis omnium hostis esse*; *eandem illos causam belli cum Boccho habere, quam secum et cum aliis gentibus, lubidinem imperitandi, quis omnia regna advorsa* sint, Jordanus, Dietschius, Kritzius, Jacobsius conjunctivum habent ex plurimorum optimorumque codicum auctoritate, ubi Badstuebner indicativum scribit; similiter 38, 9, (*deinde Jugurtha — verba facit : tametsi ipsum* — teneret, *tamen se*, — *si secum fœdus faceret, incolumis omnis sub jugum missurum*), *tenet* scriptura optimorum codicum, quam Badstuebnerus dubitanter admittit, a plerisque rejectum est, credo quia secundarium enunciatum quod sequitur (*si secum fœdus faceret*) conjunctivum haberet.

VII.

Nominativus cum infinitivo.

Hujus constructionis usum priscis scriptoribus non ignotæ multum explicavit imitatio Græcorum : cum verbis quidem declarandi et sentiendi apud scriptores solutæ orationis bonæ ætatis non invenitur, sed tantum apud poetas; cum verbis vero passivis omnibus temporibus usitatum est, a Sallustii tamen ætate crescente usu. Inter ea verba, hæc præcipue, quæ apud Sallustium illa constructione occurrunt, notanda videntur : *Convincor*, primum Cat. 52, 36, *cum — eique indicio T. Volturci et legatorum Allobrogum* convicti confessique *sint cædem, incendia aliæque* [se] *fœda atque crudelia facinora in civis patriamque paravisse*, ubi tamen optimi codices *se* pronomen habent, fortasse propter verbum quod sequitur, *confessi sunt*. — *Dicor*, frequens apud omnes; apud Nostrum vero Cat. 24, 3, *ea tempestate plurumos cujusque generis hominis adscivisse sibi dicitur;* 59, 3; Jug. 9, 4; 113, 3; Cat. 43, 2, *sed ea divisa hoc modo dicebantur*, ubi *esse* supplendum (cf. J. 75, 7); similiter Jug. 17, 7, *qui regis Hiempsalis dicebantur*.—*Feror*, primum Jug. 64, 4, *ac postea sæpius eadem postulanti fertur dixisse*, cf. Jug. 35, 10; 30, 2, ubi *esse* supplendum. — *Habeor*, cum participio, sublato *esse*, (= putor), Hist. IV, 56, *multisque suspicionibus volentia plebi facturus habebatur*. (Cf. Tacit. ann. 4, 45; 12, 15). Similiter *putor* Jug. 84, 3, *quia neque plebi militia volenti putabatur et Marius aut belli usum aut studia volgi amissurus*; cf. 103, 6. — *Suspectus* (Vid. sup. p. 171).

Trador, Hist. I, 61, *traditur fugam in Oceani longinqua cogitavisse.*

Verba quædam aut impersonaliter cum accusat. et infinit. aut personaliter cum nominativo jungi possunt. Impersonaliter adhibita hæc inveniuntur apud Sallustium :

Auditur, participii perfecti passivi specie, ablativo casu positi, Hist. V, 12, *at Lucullus, audito Q. Marcium Regem — in Ciliciam tendere.* Similiter *conperto*, Hist. V, 14. — *Creditur*, Cat. 15, 2, *postremo captus (Catilina) amore Aureliæ Orestillæ, — timens privignum adulta ætate, pro certo creditur necato filio vacuam domum scelestis nuptiis fecisse*, ubi supplendum *eum*, et notandum anacoluthon ; quod vero nonnulli voluerunt personaliter hic verbum *creditur* usurpatum esse, neque anacoluthon inesse, huic interpretationi obstant verba *pro certo*, quæ nullo modo de persona dici possunt. — *Dicitur*, Hist. I, 12, *uti merito dicatur genitos esse, qui neque ipsi habere possent res familiares, neque alios pati.* — *Nuntiatur*, Cat. 35, 5, *plura cum scribere vellem, nuntiatum est vim mihi parari;* cf. Jug. 113, 5 ; 114, 3; nunquam vero personaliter usurpatum cum infinitivo apud Sallustium est, cujus constructionis pauca tantum Livius habet exempla. — *Videtur*, Jug. 85, 2, *sed mihi contra ea videtur : nam quo pluris est univorsa res publica quam consulatus aut prætura, eo majore cura illam administrari quam hæc peti debere.*

VIII.

De interrogationibus obliquis.

1° Apud priscos auctores notum est indicativum in enuntiatis, quæ interrogationem indirectam habent, usurpari solere, (*vid.* Ed. Becker, *De Syntaxi interrogat. obliquarum apud priscos scriptores latinos*, Gryphisvaldæ, 1872), apud scriptores vero aureæ ætatis conjunctivum, paucissimis exemplis exceptis, solum inveniri. Sallustii qui a nonnullis laudatur locus Cat. 51, 4, *magna mihi copia est memorandi, patres conscripti, qui reges atque populi ira aut misericordia inpulsi male* consuluerunt, ex Arusiani Messi et codicis Vaticani aliorumque auctoritate, nequaquam certus est. Nam et Wirzius in Vaticano ipso legit *consuluerint*, et optimi codices eamdem scripturam exhibent ; rem igitur in medio relinquere tutius videtur.

2° Interrogativa enuntiata imperfecta, quæ post adverbia aut neutra adjectivorum occurrunt exclamationis specie, ac conferenda videntur cum græcis locutionibus, ut θαυμαστὸν ὅσον, ὑπερφυῶς ὡς, nullo modo pro hellenismis habenda sunt : nam non apud Ciceronem tantum, sed apud

comicos etiam exstant; et apud Sallustium Hist. II, 76, *immane quantum animi exarsere.*

3° De *particulis relativis* quibus inducatur interrogatio obliqua, hæc tantum dicenda putavi :

Cur nunquam apud Sallustium legitur; tantummodo in declamationibus Pseudo-Ciceronis et Pseudo-Sallustii occurrit.

Quam ob rem, qua re fere nunquam interrogativæ, sed tantum relativæ particulæ sunt, ut Cat. 52, 16, 17 et 36 (*quare*); 35, 2, (*quam ob rem*), tamen in interrogatione recta occurrit semel *quam ob rem* Cat. 51, 21. — *Quam ob causam* invenitur Hist. III, 46, *incertum quam ob causam, digressæ*, ubi in enunciato interrogativo verbum supplendum est. — *Qua de causa*, Cat. 47, 1, *interrogatus — quid aut qua de causa consili habuisset*; (cf. Cat. 44, 6, *quo consilio*). *Quo modo*, Jug. 103, 7, *docti quo modo apud Marium verba facerent;* cf. Cat. 5, 9.

Ut, Cat. 5, 9, *res ipsa hortari videtur — ac paucis instituta majorum domi militiæque, quo modo rem publicam habuerint quantamque reliquerint, ut paulatim inmutata ex pulcherruma atque optuma pessuma ac flagitiosissuma facta sit, disserere* [1]; Jug. 31, 2, *nam illa quidem piget dicere — ut vobis animus ab ignavia atque socordia conruptus sit*; 54, 2, *ut sese victus gereret* (*Jugurtha*) *exploratum misit;* 55, 1, *cognitis Metelli rebus, ut seque et exercitum more majorum gereret*, etc. Adde Hist. I, 51, 15, *ut te neque hominum neque deorum pudet!* ubi enuntiatum exclamativum est. Falso igitur Draeger (Hist. Synt. II, p. 456) *ut* in interrogationibus obliquis apud Sallustium deesse affirmavit.

Similis error apud eum notandus est de particula *an*, quæ semel tantum occurrit, Hist. II, 81, *dubium an insula sit quod euri atque austri superjactis fluctibus circumlavitur*; at locutiones *nescio an, haud scio an* plane deficiunt. Contra *num* satis frequens est : Jug. 85, 10, *reputate cum animis vostris num id mutare melius sit;* Hist. III, 82, 8, *an dubium habetis, num officere quid vobis uno animo pergentibus possit, quos languidos socordesque pertimuere?* Hist. III, 96; Jug. 85, 28.

An, disjunctiva significatione, pro *sive*, legitur Hist. II, 15, *perrexere in Hispaniam an Sardiniam*, qui locus a Servio, ad Virg. Æn. I, 329, laudatur, de variis hujus particulæ explicationibus agente. Cf. Attium in Ione, apud Priscianum VI, 1, 3, p. 219 Kr. *Ex taurigeno semine ortam fuisse an humano eam*; item Cic. ad fam. 7, 9, 3; 13, 29, 4; ad

1. Hoc loco *ut* a *quo modo* differre videtur, et figura inesse quæ dicitur ὑποτύπωσις, id est ante oculos subjectio. Cf. Hor. carm. I, 9, 1, *vides ut alta stet nive candidum Soracte!*

Att. 1, 3, 2; 2, 7, 3; 7, 1, 9; de fin. 2, 32; rarius vero apud posterioris ætatis scriptores.

In duplicibus interrogationibus obliquis, sæpe duo particulas interrogativas usurpari constat, *utrum* ante prius membrum, *an* (*anne*), *annon* vel *nec ne* ante posterius: cujus constructionis unum modo exemplum notavi apud Sall. Hist. IV, 19, 16, *considera — utrum — an*. Sæpe etiam apud omnes scriptores *ne* in priori, *an* in posteriori membro legitur, et a Nostro quoque hæc constructio libenter adhibetur; exstat enim duodecim locis: Cat. 1, 5 (*certamen fuit*); 50, 10 (*non id agitur*); Jug. 14, 23 (*incertus quid — ne — an*); 30, 1 (*solliciti erant*); 54, 2 (*exploratum misit*); 67, 3 (*parum comperimus*); 70, 5 (*id modo agitari*); 79, 5 (*parum cognovi*); 85, 16 (*si — quæri posset*); 88, 6 (*parum exploratum est*); 93, 1 (*anxius trahere cum animo suo*); Hist. IV, 19, 1 (*quod quæsitur*). At toties atque etiam sæpius alia utitur structura, qua una tantum particula (*an*) adhibetur, et ante secundum membrum ponitur; ea vero constructio, quæ in brevibus potissimum membris usurpatur, rarius apud ceteros invenitur scriptores. Apud Sallustium, his fere locis: Cat. 25, 3, *pecuniæ an famæ minus parceret, haud facile discerneres*; Jug. 24, 3 (*incertus sum*); 31, 5, (*in vostra manu situm est*); 38, 5 (*in incerto erat*); 46, 8 (*in incerto haberetur*); 74, 1 (*dubitare*); 85, 14 (*existumate*); 95, 4 (*dubitavere*); 108, 3 (*cum animo suo volvere solitum*); 109, 2 (*venisse quæsitum*); 113, 1 (*parum comperimus*) [1]; Hist. I, 51, 3, (*deliberari non potest*); Hist. IV, 50 (*perincertum*); Hist. IV, 63 (*incertum*).

Triplex obliqua interrogatio invenitur Hist. I, 51, 12, cum detractione primæ particulæ: *Neque mihi satis consili est, metum an ignaviam an dementiam eam appellem;* ac forsan Jug. 67, 3, cum particulis *ne — an — an*, ubi tamen optimi editores *aut* tertio loco legerunt; (cf. Kritz. ad h. l.).

Ne in interrogatione obliqua apud Sallustium rarius legitur; nusquam fere nisi Jug. 28, 2, *senatus a Bestia consultus est placeret-ne legatos Jugurthæ recipi mœnibus*; Hist. IV, 19, 1; (Hist. inc. 62, utrum directa an obliqua sit interrogatio ambiguum est). In disjunctivis interrogationibus nunquam *ne* particula in posteriori membro, si in priori particula deficiat, occurrit apud Nostrum, sed tantum *an*. (Vid. supra). *Nec ne* (sicut et *an non*) plane deest.

4° *Prolepsis*. — Apud comicos sæpius in interrogatione obliqua subjec-

1. *Hæc Maurus secum ipse diu volvens tandem promisit, ceterum dolo an vere cunctatus parum comperimus;* hic vero utrum *cunctatus* participium sit, an perfectum conjunctivi detracto verbo auxiliario, parum perspicuum est, atque ex sola interpunctione pendere videtur.

tum ut primariæ enunciationis objectum adhibetur; quæ structura multo rarior est apud bonos scriptores, et apud Sallustium legitur Cat. 5, 9, — *supra repetere, ac paucis* instituta majorum *domi militiæque*, quo modo *rem publicam habuerint quantamque reliquerint*, ut — *facta sit*, disserere, ubi non objectum ipsum *instituta*, sed vox ab illo pendens *majorum* pro subjecto interrogationis obliquæ habetur; paulo aliter Jug. 55, 1, *interim Romæ gaudium ingens ortum cognitis Metelli* rebus, ut *seque et exercitum more majorum gereret*, ut — *fuisset*, — *potiretur*, — *coegisset habere*.

Prolepsis etiam interdum notanda est cum conjunctione *ut*, si primarium enunciatum præcedat, ut Jug. 113, 2, *postea tempore et loco constituto in conloquium uti de pace veniretur*; cf. J. 14, 13; 25, 1; 65, 2; 85, 8; 91, 1.

CAPUT II.

DE ATTRIBUTIVIS ENUNCIATIS.

A. — Relativorum enunciatorum forma.

1° Antiquissima *relativorum enunciatorum forma* ea est in qua substantivum et in demonstrativa et in relativa enunciatione positum est, ut apud Terentium, Ad. 854, quoi rei *est*, ei rei *hunc sumamus diem*. Cicero et qui eum secuti sunt scriptores relativum enunciatum posterius ponunt, excepto tamen Cornificio, *ad Herennium* 4, 3, 5, *ne qua* in re *laudem modestiæ venentur*, in ea ipsa re *sint impudentes*; idem Cornificius et Cicero hanc constructionem, admisso vel detracto demonstrativo, sæpius quam ceteri usurpasse videntur. Sallustius autem unum tantum præbere videtur hujus formæ pristinæ exemplum, Cat. 51, 40, *tum lex Porcia aliæque* leges *paratæ sunt*, quibus legibus *exilium damnatis permissum est;* plerumque vero, non idem, sed aliud similis significationis substantivum addit relativo pronomini junctum, quod profecto ejus notissimo varietatis amori tribuendum est. Hæc exempla notavimus : Cat. 33, 5, *at nos non imperium neque divitias petimus*, quarum rerum *causa*, ubi generalis notio pro peculiarium rerum nominibus inducitur (cf. Jug. 7, 7; at 85, 10; 101, 2; 9, 2; 58, 4, verba *quæ res*, *qua re* etc, ad totum prægressum enunciatum pertinent); Cat. 11, 1, *sed primo magis* ambitio *quam avaritia animos hominum exercebat*, quod *tamen* vitium *propius virtutem erat;* Jug. 14, 5, *familia nostra cum populo Romano* bello Carthaginiensi *amicitiam instituit*, quo tempore (cf. J. 36, 1, *ante comitia, quod tempus*); J. 56, 3, *noscit Marium* — Siccam *missum*, quod oppidum (cf. J. 56, 3; 17, 4; 19, 3); J. 56, 2,

additis auxilio perfugis, quod genus; Hist. I, 45, 24, *nisi forte specie* concordiæ *et* pacis, quæ — nomina *indidit*; Jug. 75, 6, *ex* flumine, quam *proxumam oppido* aquam *esse supra diximus.* Ad totum enunciatum refertur substantivum Jug. 37, 2, *P. Lucullus et L. Annius tribuni plebis resistentibus conlegis continuare magistratum nitebantur*, quæ dissensio *totius anni comitia impediebat*; item J. 5, 2, *dehinc quia tunc primum superbiæ nobilitatis obviam itum est*, quæ contentio, etc.

2° Pristinæ relativi enunciati formæ vestigia apparent, ubi substantivum a demonstrativo in relativum enunciatum transit, et eodem casu quo relativum pronomen ponitur; tunc substantivum in demonstrativo enunciato detractum videtur. Apud Sallustium hæc exempla fere occurrunt : Jug. 17, 2, *sed quæ loca et nationes ob calorem aut asperitatem, item solitudines minus frequentata sunt, de eis haud facile compertum narraverim*; J. 76, 6, *et quas victi ab hostibus pœnas metuerant, eas ipsi volentes perpendere*; J. 79, 4, *quo in loco inter se obvii fuissent, is communis utriusque populi finis haberetur*; similiter Cat. 51, 14; 61, 2 [1]. Multo sæpius etiam invenitur constructio inversa *qui — is*, de personis dicta, cujus innumera exempla laudare supervacaneum sit.

3° Nomen vero appositum, ex quo relativum enunciatum pendere debeat, in hoc enunciato ipso insertum occurrit apud Sallustium, ut apud ceteros, plerumque cum substantivis *res*, *genus*, similibus; quod constructionis genus ex illo de quo supra disputavimus discernendum est.

4° Notanda videtur structura, etsi non ab usu vulgari plane aliena, præsertim apud Ciceronem, qui tamen pronomen relativum *qui* tantummodo adhibet; exstat quidem Jug. 31, 22, *nam et illis*, quantum *inportunitatis habent, parum est inpune male fecisse*, ubi *quantum* paulo insolentius eadem structura usurpatur qua pronomen *qui*, in iis enunciatis quibus, pro ablativo qualitatis vel modi in primaria enunciatione posito, nomen abstractum nominativo vel ablativo casu in relativa enunciatione per appositionem inseritur. Cf. Plaut. Stich. I, 2, 62, *quanta mea sapientia est.*

5° Relativum, quod in altero enunciato alio casu poni deberet, aliquoties omittitur : Jug. 14, 16, *omnia quæ aut amisi, aut ex necessariis advorsa facta sunt*; 31, 18, *quod magis vos fecisse quam illis accidisse indignum est*; 101, 5, *quos Volux filius ejus adduxerat, neque in priore pugna in itinere morati adfuerant*; Cat. 13, 2, *quippe quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant*; cf.

1. Mirum est igitur quod Draeger (Hist. Synt. II, p. 474) hanc constructionem in Sallustii libris deesse affirmavit.

51, 38, *imitari quam invidere bonis malebant*, ubi demonstrativum omittitur et substantivum in secundario enunciato, non in primario exprimitur.

Relativum in demonstrativum mutatum alio casu, ut apud Ciceronem Orat. 2, 9, *species — quam intuens, in eaque defixus*, apud Sallustium non inveni.

6° *Quod si* in *conditionis* enunciatis, quæ locutio apud Ciceronem frequentissima est, apud Sall. septies fere invenitur : Cat. 2, 3; 14, 4; 39, 4; 58, 21; Jug. 1, 5; 31, 16; 85, 17. Erravit igitur Draeger, cum unum locum (Cat. 2, 3) laudans, non multo plura exempla exstare affirmavit. At *quod si non* nusquam inveni. *Quod ni* legitur Cat. 18, 8, *quod ni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die — pessumum facinus patratum foret.*

7° Rarissime relativi formam in secundaria enunciatione cum demonstrativo non congruere constat, cujus constructionis exemplum habemus Hist. III, 1, 1, *si advorsus vos patriamque et deos penatis tot labores et pericula suscepissem, quotiens a prima adulescentia ductu meo scelestissumi hostes fusi.*

8° Rarior etiam videtur esse ablativus pronominis generalis *quisquis*, et apud Ciceronem solum, nec sæpe quidem, usurpatus (Rab. Post. 8; ad Att. 9, 2; ad Fam. 1, 5); adde Ulpian. Dig. 47, 5, 1. Apud Sallustium vero occurrit Jug. 60, 7, *quoquo modo potuere, abiere.*

9° Indicativum tantum, ut et ceteri solent, cum pronominibus et adverbiis relativis generalibus (*quisquis*, *quicumque*, etc.), usurpat Sallustius, exceptis tantum rarioribus locis quibus ab infinitivo aut subjunctivo pendeat verbum; tunc quidem conjunctivus, ut par est, adhibetur, ut Jug. 46, 7, *ut quocumque adcederent cum eis permixti velites, equitatus hostium propulsarent*; J. 13, 6, *quæcumque possint largiundo parare ne cunctentur.* Cicero tamen et Livius nonnulla conjunctivi in enunciatis non subjunctis exempla habent.

10° Rarissimus est conjunctivus verbi *dicere*, jam ab aurea ætate, in relativo enunciato a primario pendente, ut apud Cic. Verr. 5, 7, 17, *nominat iste servum, quem magistrum pecoris esse* diceret; *eum dicit conjurasse*, et Phil. 2, 4, 7, quibus duobus locis nonnulli codices indicativum exhibent. Sallustius conjunctivum usurpavit Cat. 49, 1, *ementiundo, quæ se ex Volturcio — audisse dicerent;* at indicativus legitur Cat. 30, 1 ; 45, 3.

B. — Relativorum enunciatorum modus.

1° In *consequentiæ* enunciatis, pro multo usitatiore conjunctivo, indicativus a Sallustio, ut a veteribus scriptoribus, aliquoties adhi-

betur : Cat. 39, 5, *fuere extra conjurationem* complures qui *ad Catilinam* profecti sunt, ubi observata videtur regula illa nonnullorum grammaticorum (Goerenzii, Beieri, Zumptii), qui volunt, si verbo *sunt* subjectum aliquod additum sit, indicativum in re vel sententia ut certa declaranda recte se habere; similiter Cat. 52, 21, *sed alia fuere quæ illos magnos fecere*; Jug. 102, 2, *legati a Boccho veniunt, qui — ab Mario petivere*. At Cat. 19, 4, *sunt qui ita dicunt*, dissentiunt editores; nam Kritzius cum longe plurimis codicibus *dicunt* scribit, Jordanus autem et Dietschius, quos Jacobsius sequitur, ex codicis Parisini paucorumque optimorum auctoritate conjunctivum malunt. Ego vero cum Kritzio non facere nequeo, primum quia Sallustium, quum illius rumoris (sc. Pisonem ab equitibus Hispanis propter imperii severitatem necatum fuisse) haud dubie nosset auctores, eorum sententiam sine ulla restrictione protulisse verisimile est, deinde quia difficile est credere tot codices (neque omnes quidem ita deteriores) insolitam fere formam usitatissimæ ex arbitrio prætulisse.

2° Relativa enunciata *causæ* cum conjunctivo adhiberi solere, indicativum autem perrarum esse constat. Sallustius conjunctivum semel tantum usurpavit, Cat. 52, 8, *qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam*, et cum *utpote* Cat. 57, 4, *utpote qui magno exercitu locis æquioribus expeditus* sequeretur [1]. At in ejusmodi enunciatis indicativi permulta exempla inveniuntur, præter undecim illa quibus cum particula *quippe* relativus jungitur : Cat. 48, 2, *quippe cui omnes copiæ in usu, cotidiano et cultu corporis* erant; Jug. 7, 6; 14, 10; 20, 6; 28, 1; 48, 1; 76, 1; 85, 32; 86, 3; Hist. II, 27, *quippe apud quos etiam tum semiruta mœnia, domus intectæ parietesque templorum ambusti manus Punicas* ostentabant; Hist. III, 1, 4 [2].

Similiter sine particula quippe : Jug. 10, 7, *ceterum ante hos te,*

1. *Utpote* cum indicativo semel apud Ciceronem est, ad Att. 2, 24, *ea nos, utpote qui nihil contemnere solemus, non pertimescebamus*. — *Ut qui* causali significatione apud Sallustium non inveni.

2. Indicativum propter ea adhibuisse putat Badstuebner (l. l. p. 41), quod ubique ad illustranda præcedentia rebus utatur, quæ vere fuerint aut factæ sint, et rationis necessitudinem quæ inter utrumque enunciatum intercedat, prorsus negligat. Et in summa frequentem apud Sallustium indicativi usum ex scriptoris ipsius ingenio profectum et in historiæ natura positum censet; nam id munus atque officium historicis impositum esse ut « in rebus narrandis quam maxime caveant ne quid incerti vel ficti referant. » Non igitur ad Græcorum, ut Gerlachius voluit (III, 324), aut ad antiquorum scriptorum imitationem, ut Lawsius (l. l. p. 1) hunc usum referre necesse est. Rectius vero Kritzius (ad Cat. 48, 2) monuit has sententias non tam arte esse cum prioribus conjunctas, ita ut enunciatis per particulam *nam* adjunctis simillimæ viderentur. Eadem constructio particulæ *quippe* occurrit apud Livium, ceterum conjunctivi amantiorem : III, 6; V, 37; VIII, 26; XXVI, 41.

Jugurtha, qui ætate et sapientia prior es, ne aliter quid eveniat, providere decet; 85, 9, *mihi, qui omnem ætatem in optumis artibus egi, bene facere jam ex consuetudine in naturam vortit;* Hist. I, 45, 2, *satellites quidem ejus — nequeo satis mirari, qui dominationis in vos servitium suum mercedem dant, et utrumque per injuriam malunt quam optumo jure liberi agere.* Qui dicendi modus, apud Sallustium usitatissimus, in hoc rationem habere videtur, quod scriptor ille, quemadmodum omnino solet ita enunciata inter se conjungere ut magis juxta collocet quam inter se nectat, sic in enunciationibus quoque relativis quæ causam continent alterius rei, hunc internum sententiarum nexum non grammatice exprimit, sed simpliciter id quod causam alterius rei continet tanquam factum aliquod juxta illam rem, quam ad causam suam referri vult, collocat, ita ut, qui inter utramque rem intercedat causalis nexus legentis vel audientis judicio eruendum relinquatur. Et in illis quidem exemplis, argumentum, quod enunciatione relativa continetur, interno vinculo cohæret cum actione verbo finito primariæ sententiæ indicata; at in quibusdam aliis locis, conjunctivus non ita necessarius videtur, quippe quibus non causa ipsa rei contineatur, quæ in verbo finito insit, sed potius ea res cujus contemplatione judicium, quod scriptor protulit, quodam modo natum sit, ex. gr. : Jug. 31, 2, *ut vobis animus ab ignavia atque socordia conruptus sit, qui ne nunc quidem obnoxiis inimicis exurgitis, atque etiam nunc timetis eos, quibus decet terrori esse,* ubi non causam corruptionis, sed potius rem, qua corruptos cives esse cognosci potest vel certe confirmatur illud judicium, sententia relativa exhibet; Cat. 51, 42, *profecto virtus atque sapientia major in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta vix retinemus*; Hist. I, 51, 3, *pro di boni, qui hanc urbem amissa curia adhuc tegitis*; et cum irrisione, ut aliquid contrarium opponatur sententiæ quam posuit, Hist. I, 45, 16, *verum ego seditiosus, uti Sulla ait, qui præmia turbarum queror, et bellum cupiens, qui jura pacis repeto.* Permultum enim interest utrum sententia relativa contineat causam rei quæ in verbo finito primariæ sententiæ inest, an causam ejus quod in verbo finito latet judicii. Sicut enim in recto rerum progressu causa effectum præcedit, ita contemplantibus nobis id, quod re vera posterius est, sæpe prius se offert, si quidem plerumque fit ut antecedentia in consequentibus demum comprehendantur. Quæ cum ita sint, sicut causa ea est, quæ id efficit cujus est causa, ita nobis effectus tanquam causa exsistit, quæ efficit ut ad id cogitando ascendamus quæ ipsius causa est. Itaque si in his de quibus nunc agitur locis nexum rerum ipsarum recte consideraverimus,

statim perspiciemus causam vel oppositionem non tam inesse in sententia relativa quam in altera illa cui relativa apposita est.

3° In *concessivis* sive *adversativis* enunciationibus, veterum comicorum more, indicativum usurpavit Sallustius Jug. 14, 17, *an... aut quisquam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis* fuit? Cicero autem nunquam indicativum usurpavit, nisi ubi oppositio non eminere deberet, ut Famil. 7, 26, 2, *ita ego, qui me ostreis et muræ-nis facile* abstinebam, *a beta et a malva deceptus sum.* Ceterum hæc relativæ enunciationis significatio rara est.

4° *Conditionem* significare videtur enunciatum relativum Cat. 51, 36, *potest alio tempore, alio consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi*; quod utique rarum est.

CAPUT III.

DE ADVERBIALIBUS ENUNCIATIS.

I.

Temporalia enunciata.

A. — Cum *conjunctio.* — Si numerum indicativorum et conjunctivorum cum hac conjunctione junctorum conferimus, apud Sallustium videmus duplicem fere conjunctivorum numerum esse (69-35), quum apud Tacitum triplex, apud Livium et Cæsarem decemplex fere sit (Draeger); neque id mirum videbitur, si consideremus quanto cum amore Sallustius indicativum adhibuerit. Locos ubi indicativus positus sit enumerare libet, variorum temporum ratione habita; nec solum eos quibus more solito temporalis significatio vere insit, sed eos quoque quibus concessiva aut aliqua alia secundaria significatio temporali adjuncta esse videatur.

a. — In summa dici potest indicativum usurpari cum utraque res simul facta sit, aut ut simul facta cogitari possit, etsi verba eodem tempore non posita sint. Quod autem ad utriusque verbi, *relativi* et *primarii* (vel *demonstrativi*) tempus pertinet, hæc fere notanda videntur :

1° Præsens, in primario pariter et in secundario enunciato usurpatur, præsertim cum verbo *considero* in relativo enunciato, ut Cat. 20, 6, *ceterum mihi in dies magis animus accenditur, cum considero*; cf. 52, 2; 58, 18; at concessivo sensu Cat. 20, 12, *cum tabulas, signa, to-*

reumata emunt, nova diruunt, alia ædificant, postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant, tamen summa lubidine divitias suas vincere nequeunt; simpliciter temporali significatione, Jug. 85, 21; item Hist. I, 45, 5, præcedente particula *tum*.

Si actio relativæ enunciationis incipit ac subito apparet, dum actio primariæ enunciationis adhuc exstat, hujus enunciati verbum alio tempore ac præsenti poni solet, relativi autem enunciati verbum præsenti historico est, ut Jug. 60, 6, *et jam scalis egressi milites prope summa* ceperant, *cum oppidani* concurrunt; Jug. 106, 5, *Sulla pariter cum ortu solis castra* metabatur, *cum equites Mauri* nuntiant; cf. J. 101, 8, ac fortasse Hist. IV, 42, ubi primarium enunciatum deest. Tunc vero sæpius *cum interim* Sallustius adhibet, ut Jug. 12, 5; 49, 4, quibus locis post plures historicos infinitivos positum est; at Hist. II, 50, 7, *Macedonia plena hostium est, nec minus Italia marituma et provinciarum, quum interim vectigalia parva et bellis incerta via partem sumptuum* sustinent, item Hist. I, 51, 17, et III, 82, 6, *præsens proprium* in primaria et in relativa enunciatione est, et verba *cum interim* eodem fere sensu posita sunt atque *et per illud tempus*. Cf. Hist. III, 1, 2, ubi perfectum perfecto respondet, sensusque idem accipiendus est.

2° Imperfectum et in relativo et in primario enunciato semel legitur, Hist. I, 51, 6, *equidem a principio cum Etruriam conjurare*, — videbam, *maturandum* putabam *et Catuli consilia cum paucis secutus sum*; cum *plusquamperfecto* in primario, Jug. 51, 2; ad substantivum *tempus* relatum, Jug. 31, 20, *nisi forte — et illa quam hæc tempora magis placent, cum regna, provinciæ, leges, jura, judicia, bella atque paces, postremo divina et humana omnia penes paucos erant; vos autem — satis habebatis animam retinere;* incertum, deficiente primario enunciato, Hist. IV, 29, *dolia quum sub trabes locata vitibus aut virgis vinciebant*.

3° Perfectum in relativo, in primario vero enunciato varia tempora : *imperfectum*, Jug. 71, 1; at Cat. 61, 3, 2, *Sulla cum Damasippum et alios ejusmodi — jugulari jussit, quis non factum ejus laudabat?* imperfectum rem designat, quæ post actionem relativi enunciati aut cum ea fieri cœpit, antea vero non exstabat; — *præsens*, ad personam loquentis pertinens, occurrit Jug. 102, 5, *magna lætitia nobis est, cum te talem virum di monuere*, ubi vim explicativam ac fere causalem habet conjunctio. Conferendus videtur locus apud Ciceronem, ad fam. IX, 14, *gratulor tibi, cum tantum vales apud Dolabellam*, quem laudans Madvigius (Gr. lat. § 358, Ann. 2) docet post verba *laudo, gratulor, gratias ago, gratia est* indicativum cum conjunctione *cum* inveniri

eodem sensu quo *quod*. Dilucidius vero hunc locum explicat Dietschius: « Particulam *cum*, inquit, ubi explicativam vim habet, quoniam quæ sic conjunguntur non tam causali nexu continentur quam temporis conjunctione, quamquam sunt qui eum usum ab conditionali ejus particulæ significatione repetant, indicativum regere constat. » — *Cum*, addito *primum*, et *perfectum historicum* in relativo, *plusquamperfectum* in primario enunciato, Jug. 62, 7, *pauci, cum primum deditio cœpit, ad regem Bocchum in Mauritaniam abierant*. Similiter Jug. 91, 1, *denique sexto die, cum ad flumen ventum est, maxuma vis utrum effecta*, ubi *erat* supplendum videtur.

4° Plusquamperfectum in relativo, *imperfectum* in primario enunciato, frequens est apud Cæsarem et Ciceronem, rarum apud alios, et actionem repetitam designat; quæ constructio occurrit Jug. 44, 4, *plerumque milites stativis castris habebat, nisi cum odos aut pabuli egestas locum mutare subegerat*; J. 92, 8 et 9, *vineæ cum ingenti periculo frustra agebantur. Nam cum eæ paulo processerant, igni aut lapidibus conrumpebantur*; Hist. I, 60, *earum aliæ paululum progressæ nimio simul et incerto onere, cum corpora pavor agitaverat, deprimebantur*.

5° Futurum in relativo, imperativus futuri aut conjunctivus finalis in primario enunciato : Cat. 52, 17, *quare cum de P. Lentulo ceterisque* statuetis, *pro certo* habetote *vos — decernere;* 58, 8, *quapropter vos moneo uti forti atque parato animo* sitis, *et cum prælium* inibitis, memineritis, etc.; *futurum* in utroque enunciato Jug. 31, 22; Hist. I, 51, 17.

6° Futurum exactum in relativo, idem vel *futurum primum* in primario enunciato, ut solet : Jug. 104, 5; Hist. II, 1, ubi tamen primarium deficit, sed facile suppleri potest ; ab infinitivo pendet, quod rarissimum est, Cat. 12, 3, *operæ pretium est, cum domos atque villas cognoveris in urbium modum exædificatas, visere templa deorum*; item Cat. 51, 24; 58, 16; cf. C. 52, 17, supra.

b. — Conjunctivorum diximus duplo majorem numerum esse quam indicativorum, multo minus tamen id apud Sallustium quam apud ceteros scriptores usitatum esse. Quum autem varia utriusque enunciati tempora enumerare longius esset, pauca tantum de usu temporum in conjunctivo *cum* particulæ adjuncto disseremus, et quia plerumque *cum* causalem a *cum* temporali particula discernere difficile sit, rem utramque una explicabimur.

1° Præsens. Conjunctivus præsentis actionem repetitam designans rarior est quam indicativus; usurpatur præsertim, ubi *cum* particulæ ad-

junctus *potentialis* conjunctivus secunda singularis persona ponitur, ut Jug. 85, 35, *namque cum tute per mollitiem agas, exercitum supplicio cogere, id est dominum, non imperatorem esse*; quæ constructio apud Ciceronem satis frequens est. — Cetera *præsentis* exempla 1° aut vim *concessivam* habent, ut Hist. III, 82, 15, *deinde — cum vis omnis, Quirites, in vobis sit, et, quæ jussi nunc pro aliis toleratis, pro vobis agere aut non agere certe possitis, Jovem aut alium quem deum consultorem expectatis?* Cf. Hist. I, 51, 14 et 18; 2° aut vim *causalem*, ut Jug. 85, 26, *sed cum omnibus locis me vosque lacerent, non placuit reticere*; et tunc fere addita voce *præsertim* : Cat. 51, 19, *de timore supervacaneum est disserere, cum præsertim diligentia clarissumi viri consulis tanta præsidia sint in armis*; Jug. 2. 4; 3, 2; Hist. I, 45, 1; III, 82, 11. — Propter orationem obliquam, temporali sensu, Jug. 83, 1, *incipere* (*bellum*) *cuivis, etiam ignavo, licere*; *deponi, cum victores velint.*

2° Similiter PERFECTUM causalem vim habet, ex gr. Cat. 44, 6, *cum ab senatu hostis judicatus sit, quo consilio servitia repudiet?* et Cat. 52, 36; Hist. I, 45, 23.

3° Quod autem ad IMPERFECTUM et PLUSQUAMPERFECTUM conjunctivi attinet, his temporibus notum est rerum seriem vel ordinem designari præcipue. Conjunctivus usurpatur, si duæ actiones non eodem tempore fiant, aut si scriptor vim majorem alteri ex his quæ simul fiunt actionibus tribuens, alteram cum conjunctione *cum* structam priori illi subjiciat, quod semper ex ejus arbitrio pendet. Inde fit ut apud Ciceronem conjunctivus et indicativus in temporalibus enunciatis quæ inter se similia videantur vicissim adhibeantur; imo in eadem periodo nonnunquam et indicativus, qui tempus generaliter designat, et conjunctivus, qui accuratiorem temporis definitionem afferat, alius post alium occurrunt. Apud Sallustium vero, ut apud ceteros historicos, prævalet hic conjunctivi usus, quippe quos momentum ipsum temporis quo præcipua actio fiat exacte definire deceat. Distinctionis supra constitutæ exemplum dilucidum præbet scriptor noster Cat. 35, 5, *plura cum scribere vellem, nuntiatum est vim mihi parari.*

4° IMPERFECTUM sæpius, præter temporalem, vim causalem habet, ut Cat. 23, 3, *cui cum minus gratus esset, quia inopia minus largiri poterat, repente glorians maria montisque polliceri cœpit*; Jug. 9, 4, *sed ipse — cum sibi finem vitæ adesse intelligeret, — dicitur*; 58, 6, etc.; — vel adversativam, ut Cat. 31, 7, *ne existumarent sibi — perdita re publica opus esse, cum eam servaret M. Tullius*; — vel concessivam, ut Cat. 36, 4, *cui cum ad occasum ab ortu solis omnia domita*

armis parerent, domi otium atque divitiæ — adfluerent, fuere tamen cives qui; cf. Cat. 3, 5; Jug. 6, 1; Hist. IV, 82, 9; — in oratione obliqua: Jug. 4, 5; 107, 4.

5° PLUSQUAMPERFECTUM concessiva vel adversativa significatione legitur Cat. 36, 2, *deinde, ut quisque voluntarius aut ex sociis in castra venerat, æqualiter distribuerat, ac — expleverat, cum initio non amplius duobus milibus habuisset*; — in oratione obliqua, ubi in directa futurum exactum positum fuisset, Jug. 112, 3, *cum talem virum in potestatem habuisset, tum fore uti jussusenatus aut populi fœdus fieret*; cf. Cat. 43, 1.

c. — CUM INVERSUM. Nonnunquam præcipua actio conjunctione *cum* minoris momenti rebus adjungitur, ita ut ratio enunciatorum in constructione invertatur; tunc vero prius verbum imperfecto vel plusquam perfecto, posterius perfecto *aaristico* vel præsenti historico ponitur, sed semper indicativo. Apud Sallustium hæc exempla illius constructionis invenimus, jam supra laudata : cum *imperfecto*, Jug. 101, 8; 106, 5; cum *plusquamperfecto*, Jug. 60, 6. Notandum autem est nusquam adverbia *subito, repente*, similia, ut solet, Sallustii exemplis adjuncta particulæ *cum* occurrere; sed ejus modi constructio est ea qua *cum interim* post infinitivum historicum ponitur, ut Jug. 12, 5; 49, 4. (Cf. supra, pars. III, cap. V). Restrictionis causa usurpatur *cum tamen* Jug. 98, 2, *jamque dies consumptus erat,* cum tamen *barbari nihil remittere, atque — acrius instare*, ubi insolenter infinitivus historicus positus est. Cf. tamen Liv. IV, 51 ; VI, 27, qui *cum interim* in oratione obliqua cum infinitivo struit.

Notandum quoque *cum etiam tum* in temporali enunciato quo factum quodam modo negatur, Jug. 51, 2, *itaque multum diei processerat*, cum etiam tum *eventus in incerto erat.* Cf. *cum nondum* (*haud dum*), apud ceteros scriptores.

d. — CUM...TUM, ut particulæ partitivæ usurpata, nunquam in duobus oppositis enunciatis occurrunt, ut sæpe apud alios; sed aut duo substantiva inter se jungunt, ut Jug. 9, 3, *cum virtute tum gratia viri permotus*; (cf. Jug. 49, 5; 104, 3); aut duo membra diversi generis, quorum unum substantivum, alterum totum enunciatum habet, ut Jug. 43, 5, *magna spe civium, cum propter artis bonas tum maxume quod advorsum divitias invictum animum gerebat.* (Cf. J. 89, 6). Paulo insolentius Jug. 64, 4, *quæ res Marium cum pro honore quem adfectabat tum contra Metellum vehementer accenderat*; et J. 61, 5, *cum ingenio infido tum metuenti ne...*

B. — QUANDO, temporali significatione apud Sallustium deest, ut apud Cæsarem, Livium, Tacitum et Plinium juniorem (Draeger).

C. — Ubi et postquam cum iisdem temporibus occurrunt, sed semper indicativo, exceptis locis quibusdam de quibus infra dicetur, § 7°.

1° Ac primum cum *plusquamperfecto* inveniuntur; at hic inter se differre videntur illæ particulæ, quod prior tunc tantum cum hoc tempore adhibetur, quum in enunciato primario imperfectum aut plusquamperfectum usurpatur [1], ut Cat. 24, 3, *post, ubi ætas tantum modo quæstui neque luxuriæ modum fecerat, æs alienum grande* conflaverant; 13, 4, *hæc juventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora* incendebat (cf. Cat. 6, 5; 9, 3; 16, 2; Jug. 60, 3); posterior vero, nulla temporis quod in enunciato primario est ratione habita, sæpius ponatur : cum perfecto, Jug. 11, 2, *postquam illi more regio justa magnufice fecerant, reguli in unum* convenere; 97, 1, *postquam—amiserat, ad Bocchum nuntios* misit, ubi Wirzius *mittit* ex P [1] codice optimo legit; cum præsenti historico, Jug. 102, 2. « Hanc sane rariorem structuram ibi locum habere arbitrantur Kritzius et Herzogius (ad Cat. 55, 1), ubi auctor non tam simpliciter narrantis quam judicantis et res inter se comparantis partes sustineat; Madvigius vero (§ 338, b. ann. 1), ubi non e vestigio, sed aliquo temporis spatio interposito aliquid accidisse notetur. At difficile est in tali re quam scriptor rationem secutus sit certo disquirere. » (Badstuebner).

2° Cum *perfecto*, ut apud alios scriptores, sæpissime.

3° Cum *præsenti historico*, præcipue verborum *sentiendi*, inter quos verbum *videre* notandum, cujus hanc solam structuram hic esse Badstuebner affirmat.

Postquam : Jug. 80, 1, *Jugurtha, postquam amissa Thala nihil satis firmum contra Metellum* putat, — *pervenit ad Gætulos*; Jug. 6, 2 (intellegit); Cat. 21, 5, *postquam omnium animos alacris* videt, *cohortatus — conventum dimisit*; similiter Cat. 40, 3; 57, 5; 60, 7; Jug. 15, 5; 20, 1, *postquam legati Africa* decessere *et Jugurtha* — videt, ubi duplex constructio notanda est; 53, 3; 61, 1; 76, 6; 79, 7 (vident et— metuunt); 86, 1.

Ubi : Jug. 21, 1 et 23, 2; Cat. 28, 2 (intellegit); Jug. 52, 3 (intellegunt); Cat. 20, 1, *Catilina, ubi eos quos paulo ante memoravi convenisse* videt, — *in abditam partem ædium secessit*; similiter Cat. 60, 5; Jug. 7, 1; 50, 3; 51, 3; 53, 1; 56, 1; 64, 1; 69, 1; 76, 2.

Alia tamen verba hac constructione occurrunt, cum particula *postquam :* J. 38, 4, *instruit*; 56, 6, *urgent*; 64, 3, *postquam hæc atque talia* dixit, *neque animus mari* flectitur, ubi duplex constructio notanda,

1. Sic Badstuebner, p. 35, qui tamen particulis *ubi* et *postquam* eamdem regulam assignat.

(cf. J. 35, 4); 66, 1, *incipit*; 69, 4, *expurgat*; 84, 5, *volt*; 104, 1, *redit*; Cat. 27, 3. — Item cum particula *ubi;* Cat. 27, 3, *procedit* (cf. Jug. 25, 10); 49, 4, *nequeunt*; 60, 1, *dat*; Jug. 11, 9, *quæ ubi tardius procedunt neque lenitur animus ferox*; 13, 9, *confidunt*; 14, 11, *nequit*; 27, 3, *timet*; 63, 4, *petit*.

4° Cum *præsenti logico*, Cat. 52, 23, *neque mirum, ubi vos separatim sioi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ aut gratiæ servitis, eo fit ut impetus fiat in vacuam rempublicam.*

5° Cum *imperfecto*, ubi de rebus continuatis aut sæpius factis agitur, quod arctissime cum temporis illius notione et potestate cohæret. De re enim nondum perfecta agitur his locis: Cat. 6, 3, *sed postquam res eorum civibus, moribus, agris aucta satis prospera satisque pollens* videbatur, — *invidia ex opulentia orta est;* 56, 4, *sed postquam Antonius cum exercitu* adventabat, *Catilina per montis iter facere*, ubi verbum *adventare* vim ac potestatem *appropinquandi* habet (Dietsch.); cf. Jug. 28, 2; 36, 4; 99, 1 (*ubi*). Adde Jug. 53, 7, *postquam haud procul inter se* erant (i. e. *postquam eo ventum est, ut jam propius et propius accederent*); 58, 7, *Metellus infecto negotio, postquam nox* aderat, *in castra cum exercitu revortitur*; 13, 5, *Jugurtha postquam omni Numidia* potiebatur, ubi Fabrius *potiri* idem esse vult quod *possidere*, Dietschius interpretatur « *in eo fuit ut potiretur* », Kritzius in imperfecto hunc sensum inesse censet: « *quum Jug. omnis Numidiæ occupandæ initium fecisset in eoque conatu pergeret* », Jacobsius vero, cui libenter assentior, interpretatur « *auctoritatem in aliquid habere* », conferens Tacitum, Ann. 2, 42, *rex Archelaüs quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur.* — Facile autem est videre iis enunciatis quibus imperfectum a particula *postquam* (rarius *ubi*) aptum sit, duas actiones contineri quarum posterior priorem necessario sequatur, quod clarius perspici potest ex iis locis, in quibus duæ res conjunctæ sunt, altera perfecta, altera continuata, ut Cat. 10, 1, *sed ubi labore atque justitia respublica* crevit, — *cuncta maria terræque* patebant, *sævire fortuna ac miscere omnia cœpit;* Cat. 12, 1, *postquam divitiæ honori esse* cœpere, *et eas gloria, imperium, potentia* sequebatur, *hebescere virtus — cœpit*; cf. Jug. 106, 2; 70, 5.

6° Similis ratio esse videtur imperfecti a SIMUL AC conjunctione apti Cat. 7, 4, *jam primum juventus, simul ac belli patiens* erat, *in castris per laborem usu militiam discebat*[1], ubi *simul ac* paulo insolentius de

1. Hunc locum a scribis variis modis corruptum sic restituendum censuit Gruendelius : *in castris per laboris usum*, ac *per usum* pro *usu* a Sallustio positum censet, morem suum secuto, quo *per* et accusativum pro ablativo modi sæpius adhibeat.

tempore dictum adhibuit Sallustius, fortasse prægresso vocabulo *primum* impeditus ne UBI PRIMUM usurparet, quæ quidem locutio pluribus locis occurrit, ut Cat. 39, 3; Jug. 6, 1; 41, 10; 43, 2; 62, 1; 63, 3; 63, 4; 64, 3.

7° *Conjunctivus* vero nusquam invenitur nisi ubi peculari ratione explicari possit. Namque aut in oratione obliqua occurrit, ut Jug. 15, 1 (postquam); Jug. 12, 3; 22, 4 (ubi); aut potentiali significatione ponitur, secundæ personæ singulari numero, ut Jug. 31, 28, *bonus tantum modo segnior fit, ubi neglegas*; cf. Cat. 1, 6; 3, 2; 20, 9; 51, 3 et 36; 52, 29; 55, 3. At Cat. 52, 4, *nam cetera malificia tum persequare, ubi facta sunt, hoc nisi provideris ne accidat, ubi* evenit [1], *frustra judicia implores*, perfectum aoristicum consuetudinis intelligendum est, ut in Jug. 1, 4, *sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptates corporis pessum datus est, perniciosa lubidine paulisper usus, ubi per socordiam vires, tempus, ingenium* diffluxere, *naturæ infirmitas accusatur.*

D. — UT, temporali significatione, nusquam inveni apud Sallustium; UT PRIMUM occurrit Hist. IV, 52, *exercitum dimisit, ut primum Alpis digressus est.*

E. — DUM. — 1° DUM (= gallice *tandis que*) cum indicativo semper ponitur, ut apud optimos scriptores, maxime præsenti historico, at quoque *imperfecto*, ut Hist. I, 11, *bella civilia orta sunt, dum pauci potentes, quorum in gratiam plerique concesserant, sub honesto patrum aut plebei nomine dominationes adfectabant;* cf. Hist. IV, 19, 5. Similiter *dum* (= *tamdiu quam*) cum indicativi perfecto occurrit Jug. 14, 10, *dum Carthaginienses incolumes fuere, jure omnia sæva patiebamur;* cf. Hist. I, 10. Ac tantus est apud Sallustium indicativi amor, ut eum modum etiam in oratione obliqua cum hac particula adhibuerit Cat. 58, 4, *scitis equidem, milites, — quoque modo, dum ex Urbe præsidia* opperior, *in Galliam proficisci nequiverim.*

2° *Conjunctivum* vero usurpat, secundum vulgarem usum loquendi, 1° ubi duratio actionis cujusdam definitur tempore quo altera res esse cœpit aut cœperit; tunc *dum* conjunctio cum gallica conjunctione *jusqu'à ce que* congruit, ex. gr. Hist. I, 51, 10, *an expectatis dum exercitu rursus admoto ferro atque flamma urbem invadat?* 2° ubi restrictiva significatione pro *dum modo* usurpatur, ut Cat. 5, 6, *neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat*; cf. 14, 6; 40, 4; 3° in oratione indirecta, Jug. 68, 3; Cat. 7, 6, *se quisque hostem ferire, murum adscendere, conspici, dum*

1. Cf. Matthias ad Cic. Catil. 4, 6, 11 : « Perfectum futuri exacti potestatem habet, gravius tamen affirmans, si quidem ne futuri quidem significatio adest, sed una rei præteritæ. »

tale facinus faceret, properabat; incerta significatione propter imperfectam periodum, Hist. inc. I, 65.

F. — Donec, quod apud Tacitum 138 locis notatum est (Draeger), apud Sallustium, ut apud Cæsarem, plane deest; ceterum tria tantum exempla apud Ciceronem inveniuntur.

G. — Quoad satis raro apud nostrum scriptorem invenitur; duobus tantum locis eam particulam notavi: Jug. 41, 9, cum perfecto indicativi; Jug. 110, 4, cum futuro (= *quamdiu*). Locus dubius est Jug. 110, 7, ubi Jordanus *quod* scripsit [1].

H. — Antequam et priusquam. — Hæ duo particulæ easdem regulas sequuntur; notandum tamen est multo rarius a Nostro *antequam* usurpatum fuisse quam *priusquam*, quod in veteri sermone etiamque apud Livium reperitur multo sæpius; ter tantum illam inveni: Jug. 97, 4, (perfecto historico, cum *priusquam* mixta), *et* priusquam *exercitus aut instrui aut sarcinas colligere, denique* antequam *signum aut imperium ullum accipere* quivit; Hist. I, 45, 20 (locus desperatus) et Hist. II, 33, ubi verbum deesse videtur.

Quod ad *priusquam* pertinet, cum ea particula juncti et *indicativus* et *conjunctivus* occurrunt, sed primaria tantum *indicativi* tempora usitata sunt, ut apud plerosque: 1° præsens historicum cum futuro in apodosi, Jug. 5, 3, *sed priusquam hujuscemodi rei initium* expedio, *pauca supra repetam* (cf. Cat. 4, 5, ubi conjunctivus adhibetur); 2° multo sæpius perfectum historicum, ut Cat. 51, 34, *neque prius finis jugulandi fuit quam Sulla omnis suos divitiis explevit*; Jug. 35, 8; 97, 4; Hist. III, 82, 8. Futuri primi, quod quidem priscum est, nullum exemplum esse videtur, nisi forte futurum existimes esse Cat. 4, 5, propter vim futuri quæ in primario enunciato insit: *de cujus hominis moribus pauca prius* explananda sunt, *quam initium narrandi* faciam; quod quidem sane affirmare non audeam.

Conjunctivus adhibetur: 1° in oratione indirecta, imperfecto, Cat. 32, 1; 44, 3; Jug. 25, 10; Hist. III, 77, 14; — perfecto, Jug. 4, 6, *scilicet — eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari quam virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit*; — plusquamperfecto, Jug. 44, 3, *statuit tamen Metellus — non prius bellum attingere quam majorum disciplina milites laborare coegisset*; 2° quoties in enunciando facto aliquo cogitatio aut consilium intercurrit, ita ut illud

1. Notanda est hujus incerti loci correctio a Gruendelio allata: *ac si quisque hostem ferire, murum adscendere properabat, conspici, dum tale facinus faceret, eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant,* qua *conspici* non ad verbum *properabat,* sed ad sequens enunciatum refertur: ingeniosa quidem et satis probabilis conjectura e variis codicum lectionibus eruta.

non simpliciter affirmetur, sed tantum ut cogitatione comprehensum intelligatur. Quod vero ad tempora attinet, *præsens potentialis* secunda persona singularis invenitur Cat. 1, 6, ubi præsens in primario enunciato est; *imperfectum*, Cat. 13, 3, *dormire priusquam somni cupido* esset, ubi infinitivus historicus in protasi; Jug. 54, 10, *et Numidæ, priusquam ex castris* subveniretur, *sicuti jussi erant, in proxumos collis discedunt*, ubi auxilii cogitatio tantum, non autem auxilium ipsum indicatur : Jug. 59, 1, *igitur postero die, priusquam ad obpugnandum* egrederetur, *equitatum omnem in ea parte qua regis adventus erat, pro castris agitare jubet;* quibus duobus locis perspicuum est imperfectum ideo usurpatum fuisse quod narratio temporibus relativis uti soleat.

II.

Modalia enunciata.

A. — Enunciata comparationis.

1° In *veris comparationibus*, præcipuas comparationis particulas eas esse constat :

Ut — ita (vel *sic*), aut contra; notandum vero est *ita* multo usitatiorem in summa esse quam *sic* apud Sallustium.

Sic — ut semel tantum inveni, Jug. 14, 12, *ego sic existumabam, patres conscripti, uti*[1] *prædicantem audiveram patrem meum*; *ut — sic* quater : Jug. 2, 3; 40, 5; 113, 1; Hist. III, 82. 19. — *Ut — ita* occurrit Jug. 2, 1; Cat. 45, 1; semper vero *ita ut* non separatis particulis legitur : Cat. 2, 3; Jug. 26, 2; 39, 3.

Perinde — ut, satis rara structura, legitur Jug. 4, 8, *ac non perinde habeantur, ut eorum qui ea sustinent virtus est.*

Ceteræ vero particulæ quæ in perfectis comparationibus usitatæ sunt, ut *tanquam — sic*, *quemadmodum — sic*, *quomodo — sic*, etc., apud Sallustium plane desunt. At sæpius imperfecta comparatio cum relativa conjunctione *ut* occurrit, deficiente demonstrativa particula, ex. gr. Cat. 36, 5; Jug. 18, 1; 85, 17; Hist. III, 82, 6, *nisi quia vobismet ipsi per suffragia, ut præsides olim, nunc dominos destinatis*, ubi relativum membrum ante demonstrativum, in quo particula correlativa detracta est, paulo insolentius positum fuit; etc.

Brevia comparationis enunciata, per *ut* conjunctionem cum verbo sentiendi aut declarandi in sermonem interjecta, non tam rara sunt quam quidam affirmaverunt grammatici; et apud Sallustium quidem satis fre-

1. Formam antiquiorem *uti* longe frequentiorem apud Sallustium esse quam *ut*, jam supra monuimus; illa enim etiam ante vocales satis frequenter occurrit.

quenter occurrunt, ubi accusativus et infinitivus exspectaretur; ex. gr.: *ut spero* (Cat. 20, 17); *ut ego æstumo* (Jug. 110, 5; Cat. 8, 2); *ut supra diximus* (Cat. 16, 1; Jug. 84, 1); *ut dixi* (Cat. 55, 1); *uti supra dictum est* (Jug. 96, 1); *paratis, ut videbantur, magnis copiis* (Cat. 43, 1).

In modali enunciato causa latet Cat. 31, 7, *Catilina, ut erat paratas ad dissimulanda omnia, demisso voltu voce supplici postulare*; Jug. 7, 4, *nam Jugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio*; Cat. 59, 2, *nam uti planities erat inter sinistros montis et ab dextra rupe aspera, octo cohortis in fronte constituit.* — Restrictiva significatio est Jug. 107, 6, *ea res, uti in tali negotio, probata*; Hist. IV, 2, *plures cohortes atque omnes, ut in secunda re, pariter acres invadunt.* Adde Hist. I, 92 et inc. 67, loci dubii, quum breviora ac mutila fragmenta sint.

Comparatio veritatem rei indicat J. 105, 5, *rem, uti erat, quietam nuntiant*; Jug. 69, 1, *primo, uti erat res, Metellum esse rati, portas clausere.*

Tam adverbium cum adjectivis et adverbiis jungi constat, ad quod relativum *quam* pertineat, si alterum membrum cum priori congruat. Nonnulla vero habet Sallustius exempla, in quibus, etsi duo comparationis membra non paria sunt, tamen *tam — quam* usurpantur : Jug. 31, 16, *quodsi tam vos libertatis curam haberetis quam illi ad dominationem accensi sunt*; Hist. III, 77, 10, *neque tam magnifice sumentis prælium quam postulaverant.* Constructio inversa notanda est Hist. I, 45, 24, *quibus patefactis quam formidatus est tam contemnetur*, et Hist. I, 45, 20 (locus dubius).

Tamquam imperfecta comparatione bis tantum legitur : Cat. 14, 1; Jug. 73, 1. At *quasi* innumeris fere locis substantivis, vel adjectivis, vel etiam verbis junctum occurrit. Comparatio totam pæne vim suam habere videtur Cat. 10, 6, *contagio quasi pestilentia invasit*, ubi nonnulli ablativum *contagio* esse volunt; (cf. Jug. 32, 4, *veluti tabes*); similiter Hist. I, 51, 9; Jug. 41, 10, *et dissensio civilis quasi permixtio terræ oriri cœpit*; etc.

Velut (*veluti*)[1] imperfectam comparationem instituit : Cat. 45, 4; (cf. Jug. 31, 23); Cat. 42, 2; Jug. 92, 5; majore vi Cat. 1, 1, *ne vitam silentio transeant veluti pecora;* Jug. 32, 4, *vis avaritiæ veluti tabes invaserat.*

Sicut (*sicuti*) apud Sallustium sæpissime occurrit, sed nunquam in imperfectis comparationibus.

2° In *fictis* vero *comparationibus* variæ particulæ adhibentur, ac

1. *Veluti* ante vocales legitur : Jug. 31, 28; Cat. 8, 1.

plerumque adverbium demonstrativum deest; occurrit tamen Jug. 85, 19, *verum homines conrupti superbia* ita *ætatem agunt*, quasi *vostros honores contemnant*; ita *hos petunt* quasi *honeste vixerint*; Jug. 4, 8, proinde quasi *prætura et consulatus atque alia omnia hujuscemodi per se ipsa clara et magnufica sint*; (cf. Cat. 12, 5; J. 31, 10); Hist. I, 98, sic *vero* quasi *formidine adtonitus*. Ceterum, ut par est, conjunctivus semper adhibetur.

Quasi, *tanquam*, *velut*, *sicut*, *juxta ac si*, solæ apud Sallustium usitatæ particulæ sunt in ejusmodi enunciatis; nunquam vero *tanquam si*, *ut si* (quæ Cicero frequenter usurpat), *velut si* inveniuntur. *Quasi* multo sæpius quam ceteræ particulæ occurrit; præter loca supra laudata, cum subjunctivo ac sine demonstrativo adverbio legitur : Cat. 52, 15; Hist. I, 51, 15, *alterum consulatum petis, quasi primum reddideris*; cum participio, sed semper ficta comparatione Jug. 100, 3, *simul consul, quasi nullo inposito, omnia providere*; Jug. 60, 4, *et ea* (*corpora*) *huc et illuc quasi vitabundi aut jacientes tela agitare* = *quasi vitarent aut jacerent*; (cf. 38, 1); Jug. 85, 37, *et omnis honores non ex merito sed quasi debitos a vobis repetit*; Hist. I, 45, 5, *quæ cuncta scævus iste Romulus quasi ab externis rapta tenet. Tanquam* vero semel tantum inveni, et quidem cum participio, Jug. 12, 3, *inpellitque uti tanquam suam visens domum eat.*

Si Dietschio et Jacobsio fides adhibenda esset, qui Jug. 53, 7 scribunt *velut hostes adventarent*, pro codicum scriptura *adventare*, *velut* particula hoc loco eamdem structuram haberet; sed confer ea quæ in capitulo *de historico Infinitivo* inscripto supra disseruimus. At profecto fictam comparationem instituit, cum participio structa : Jug. 38, 2, *uti veluti cedentem sese insequeretur*; Cat. 48, 1, *veluti ex servitute erepta gaudium agitabat*; Cat. 3, 2, *veluti ficta pro falsis ducit.*

Sicut (*sicuti*) [1] pro *quasi* positum apud Sallustium solum cum conjunctivo in fictis comparationibus occurrit : Cat. 38, 3, *alii, sicuti populi jura defenderent*; Jug. 60, 4, *ac, sicuti audiri a suis aut cerni possent;* — cum participio absoluto, Cat. 53, 5, *ac, sicuti effeta parente, multis tempestatibus haud sane quisquam Romæ virtute magnus fuit* [2]; — cum supino, id quod rarissimum est, Cat. 28, 1, *constituere ea nocte paulo post cum armatis hominibus sicuti salutatum introire ad Ciceronem.*

1. *Sicuti* etiam ante vocales legitur : Cat. 6, 1; 22, 2; 53, 5; Jug. 2, 2; 18, 3; 49, 6; 53, 1; 60, 4; 89, 5; multo rarius occurrit *sicut*.

2. Sic Jordanus. Plurimorum atque optimorum codicum scripturam, *effeta parentum*, frustra defendere conatus est Gronovius, *Observat.* 1, 2. Dietschius *ætate*, Jacobsius *vi* supplet, ut *parentum* servari possit.

Juxta ac si occurrit Jug. 45, 2, *juxta ac si hostes adessent vallo atque fossa munire* (*castra*); cf. J. 102, 7, *gratia* par ac si *prope adessemus*, et J. 46, 5, pariter ac si *hostes adessent.*

3° Priscorum auctorum structuram, qua *magis* vel *potius* adverbio detracto *quam* solum ponitur in comparatione, a Sallustio renovatam affirmant nonnulli interpretes, ex satis bonorum codicum fide : Cat. 9, 5, *in pace vero, quod beneficiis* [*magis*] *quam metu imperium agitabant*; at Jacobsius et Jordanus, optimos libros sequentes, *magis* restituendum censuerunt.

Brachylogia notanda est pluribus locis, ut Jug. 63, 5, *semperque in potestatibus eo modo agitabat, ut ampliore quam gerebat dignus haberetur*; cf. J. 86, 4; Hist. III, 1, 1; I, 100; III, 82, 28.

Supra quam, quod bis fere apud Ciceronem occurrit ac postea rarissimum fit, apud Sallustium legitur Cat. 5, 3, *supra quam cuiquam credibile est*, et Jug. 24, 5, *nisi tamen intelligo illum supra quam ego sum petere. Ultra quam* quod apud ceteros frequentior est in Sallustii libris non invenitur.

Potius quam et conjunctivus, consecutiva aut finali significatione, pro *potius quam ut*, invenitur Jug. 106, 3, *mansurum potius quam proditis quos ducebat, turpi fuga — vitæ parceret*; Jug. 24, 9, *nam ego quidem vellem et hæc quæ scribo et illa quæ antea in senatu questus sum vana forent, potius quam miseria mea fidem verbis faceret*; cf. Cat. 58, 21, et Tacit. ann. III, 37, *huc potius intenderet, — quam solus — malas curas agitaret.*

Quam post verbum *malle* sæpissime occurrit; post *præstat* impersonale bis tantum : Cat. 20, 9, *nonne emori per virtutem præstat, quam vitam miseram atque inhonestam — per dedecus amittere;* Jug. 31, 28, *multo præstat benifici quam malifici inmemorem esse.*

Haud multo secus quam (pro *ac*), Hist. III, 77, 1, *quibus præter speciem bello necessariam haud multo secus quam ferro noceri poterat.* — Similiter *aliter quam*, in negativis aut dubitativis enunciatis : Hist. I, 45, 1, *neque se aliter tutum putet quam si pejor atque intestabilior metu vostro fuerit*; III, 82, 8, *nisi forte G. Cotta, ex factione media consul, aliter quam metu jura quædam tribunis plebei restituit.* — Item *alius quam*, sed nunquam affirmativo enunciato, quod quidem rarissimum est; dubitativo enunciato, Jug. 82, 3, *neque tam anxie laturum fuisse, si adempta provincia alii quam Mario traderetur*; (cf. 81, 4); interrogativo Hist. I, 45, 4, *nam quid a Pyrrho, Hannibale, Philippoque et Antiocho defensum est aliud quam libertas?* cf. ibid. 15. — Paulo insolentius *contra ac*, Cat. 60, 5, *contra ac ratus erat.*

B. — Enunciata proportionis varias formas induunt.

Cum demonstrativo *ita*, *ut quisque* bis tantum a Sallustio usurpatur: Jug. 93, 7, *quorum uti cujusque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem nuntiavere*; cum superlativo in relativo membro, Jug. 81, 1, *post uti quisque opulentissimus videatur, ita Romanis hostem fore*; at sine demonstrativo multo sæpius : Cat. 4, 2; 14, 6; 51, 33; 56, 2 et 3; Jug. 26, 3; 41, 8; 44, 5; 49, 4; 60, 4; 86, 2; 97, 4; Hist. I, 11, *sed uti quisque locupletissumus et injuria validior, quia præsentia defendebat, pro bono ducebatur,* ubi superlativus et comparativus juxta positi; cum superlativo, Jug. 94, 5, *deinde uti quisque muro proxumus erat, postremo cuncti armati inermesque.*

Quo — eo, sequente comparativo, non ita frequens legitur : Cat. 54, 6, *ita quo minus petebat gloriam, eo magis illum sequebatur*; Jug. 85, 2, *nam quo pluris est univorsa res publica quam consulatus aut prætura, eo majore cura illam administrari quam hæc peti debere*; cf. Jug. 22, 3; 55, 4; *eo — quo* Jug. 31, 17. — Sæpius vero Sallustius demonstrativum detrahit, et *quo* pro *eo* initio periodi ponit ut cum prægresso jungat, velut Cat. 1, 3, *alterum nobis cum dis, alterum cum beluis commune est. Quo mihi rectius videtur ingeni quam virium opibus gloriam quærere*[1]; cf. 37, 8; 52, 35; 58, 12; Jug. 2, 4; 14, 19; 85, 6; Hist. inc. 29.

Quanto — tanto a *quo — eo* non multum differt, ita tamen ut *quanto — tanto* notionem gradus addant; cujus constructionis hæc tantum quatuor exempla inveni : Cat. 52, 18; Jug. 85, 22; 107, 1; Hist. I, 51, 17; at Hist. III, 82, 3, *neque me præterit quantas opes —, quantoque tutius factio noxiorum agat quam soli innocentes*, si oratio recta esset, *quanto* in *multo* mutaretur.

Quam — tam, sequente superlativo, auctionem relativam, ut et *quo — eo* sequente comparativo, designat, et, ut videtur, antiquioribus scriptoribus proprium fuit; (cf. Ter. Haut. V, 2, 44; Ad. III, 4, 56; Caton. de re rust. 65, 2 et 157, 8; fragm. p. 85, 9 (Jordan.); Varron. de re rust. II, 9). Postea vero ad hunc usum adhibitæ sunt *ut — ita* particulæ, quæ quidem *modi* comparationem instituunt, priores vero (*tam — quam*) comparationem gradus designant. Hoc autem unum constructio-

1. Gruendelius qui (Quæstiones Sallustianæ p. 6 sqq.) de hoc loco fusius disputavit, *quo* pro *et ea de re* vel *et propterea* positum censet, conferens cum iis locis quibus *eo* idem quod *ideo* valere perspicuum est, ut Cat. 20, 3, *sed* quia *multis et magnis tempestatibus vos cognovi fortis fidosque mihi*, eo *animus ausus est maxumum atque pulcherrumum facinus incipere*; (cf. C. 52, 11; J. 24, 10). Eodem modo explicat *quo* (vel *eo*), si unus comparativus sequatur, ut Cat. 13, 5, *animus inbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat*, eo *profusius omnibus modis quæstui atque sumptui deditus erat*. (Cf. C. 37, 8; 52, 16 et 35; 58, 12; J. 2, 4; 3, 1; 14, 19; 55, 2; 64, 6; 80, 6; 85, 6; 94, 6). Cujus equidem opinionem non possum quin amplectar.

nis hujus exemplum inveni : Jug. 31, 14, *ita quam quisque pessume fecit, tam maxume tutus est*; conferendum est tamen Hist. I, 45, 24, *quibus patefactis quam formidatus est, tam contemnetur*, ubi superlativus deest.

C. — Enunciata consequentiæ.

In *enunciatis consequentiæ* quum Sallustius vulgarem usum loquendi secutus sit, nihil est quod exempla proferamus. Hoc tantum notabimus aliquoties *ne* pro usitatiore *nedum* a Sallustio usurpari, in enunciatis pariter consecutivis et finalibus ubi, priori significatione de torta, affirmatur rem aliquam multo minus etiam quam prægressam fieri posse, ut Cat. 11, 8, *quippe secundæ res sapientium animos fatigant*, ne *illi conruptis moribus victoriæ temperarent*, ubi pauci codices *nedum* habent, et prius membrum negationem latentem continet, sed formam affirmativam. Cf. Hist. II, 14 : Donatus ad Ter. Andr. IV, 2, 23 : « *Ne* » *pro* « *nedum* » *aut adverbium est prohibentis, ut sit* « *ne non* ». *Sallustius secundo libro :* Ne illa tauro paria sint, *pro* « *nedum* ». Restrictivæ autem significationis nullum exemplum inveni.

D. — Quin in modalibus enuntiatis apud Tacitum audacissime constructum occurrit; apud Sallustium vero hæc notatione digna visa sunt : Jug. 40, 2, *quoniam aperte* resistere *non poterant quin illa et alia talia placere sibi faterentur*; Cat. 53, 6, *quos quoniam res obtulerat*, silentio præterire *non fuit consilium, quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possem, aperirem*, ubi *quin* ad verba *non præterire* tantum modo referri posse videtur, ideoque negligentia ortus pleonasmus est, et duplex constructio agnoscenda, quum *silentio non præterire* vim affirmativæ sententiæ habeat. Similiter Cat. 39, 4, *neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius ea* uti licuisset, *quin defessis et exanguibus qui plus posset imperium atque libertatem extorqueret*; adde Hist. III, 37, *non tu scis, si quas ædis ignis cepit acriter, non faciles sunt* defensu *quin comburantur proxumæ*, ubi a supino pendet sequens enunciatum.

Præterea *quin* pro *imo* legitur in Historiis : I, 45, 6; I, 46; I, 51, 8 et 20; II, 50, 3.

III.

Causalia enunciata.

A. — Cum *indicativo* sequentes particulæ junguntur:

Eo quod apud Sallustium non exstare videtur; at *ea gratia — quod* invenitur Jug. 54, 4; 80, 4; *eo magis — quod*, Cat. 4, 2; Jug. 22, 1; *eo* (et comparativus) — *quod*, Jug. 64, 4; 78, 4.

Quod — *quia*, in distinctis enunciatis : Cat. 3, 2, *primum quod facta dictis exæquanda sunt, dehinc quia*; cf. Cic. ad fam. 9, 16, 5. — *Quia* repetitum occurrit Jug. 5, 1, *primum quia* —, *dehinc quia*; Cat. 51, 22, 23 et 24. *An quia?* — *An quia?* — *Sin quia...*

Quia, sequente demonstrativa locutione inverso ordine, Cat. 18, 8, Quia *nondum frequentes armati convenerant*, ea res *consilium diremit*; Cat. 20, 3, *sed* quia — eo *animus ausus est;* (cf. 52, 11). — Contra *eo* — *quia*, J. 89, 7, *eo facilius tolerabatur, quia...*, ubi *quod* exspectaretur propter comparativum.

Quoniam cum indicativo semper ponitur, quoties nulla causa est qua conjunctivus advocetur, ut in oratione indirecta; at Jug. 31, 21, *atque ego, tametsi, — tamen vos hominibus sceleratissumis ignoscere, quoniam cives sunt, æquo animo paterer, ni misericordia in perniciem casura esset*, Sallustius, ut sæpe alias, indicativum usurpavit, ubi tamen ad verbum *paterer* cogitatione causale enunciatum referre potuit; contra Jug. 93, 1, indicativus illam explicationem admittere nullo modo potest. — *Quoniam quidem* legitur Cat. 31, 9; Hist. I, 45, 15, non sine roboris aliqua accessione. — Ad novam quæstionem nonnunquam transitio indicatur, ut apud Ciceronem et Cæsarem : Cat. 53, 6, *quos quoniam res obtulerat, silentio præterire non fuit consilium*; cf. Cat. 5, 9; Jug. 30, 4; 79, 1; 95, 2.

Quando, quæ particula apud Cæsarem deest, satis rara est apud Ciceronem, qui in transitionibus quoque eam adhibet (et quando); Sallustius autem causali tantum significatione eam usurpat : Hist. I, 51, 16, *qui quando talis es, maneas in sententia et retineas arma te hortor*; III, 1, *quid deinde — enumerem? quando res plus valet quam verba;* Jug. 102, 9; 110, 7.

Cum causale, quod initio semper cum indicativo jungebatur, jam ab aurea ætate cum conjunctivo jungi solere cœpit. Sallustium autem vidimus (ad temporalia enuntiata pag. 184 sqq.) nonnullis locis causalem cum temporali significatione ita miscere, ut difficile disjungi utraque possit, et tunc quidem indicativum antiquorum more plerumque usurpat.

B. — *Conjunctivum* in causalibus enunciatis (exceptis iis quæ *cum* particulam habeant), fere nusquam adhiberi constat, nisi in oratione obliqua, aut ut significetur causam vere non exstare; tunc sæpissime particulæ *non quod, non quia, non quo* (si sequatur comparativus), *non quin* (= *non quod non*), initio enunciati positæ sunt, quod *sed* correlativum sequitur. Ac sic plane apud Sallustium, nisi quod Cat. 34, 2, *non quo sibi tanti sceleris conscius esset, sed uti res publica quieta foret*, nullus comparativus est, quæ constructio satis rara apud Cicero-

nem tamen invenitur. *Non quin* legitur Cat. 35, 3, *non quin æs alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem, et*[1] *alienis nominibus liberalitas Orestillæ suis filiæque copiis persolveret*; *sed quod*, ubi Dietschius et Jacobsius ex nonnullorum codicum satis bonorum fide *non quia... non possem* scribi voluerunt, quod quidem verisimile videtur, quum iidem codices qui *quin* exhibent negationem *non*, maximo sensus detrimento, exhibeant, et facile A ni N mutari potuerit a scribis in vocabulo *quia* delineando.

In Hist. III, 82, 20, *qua*[2] *tamen quamvis amplą quoniam serviti pretium* ostentaretur, *cujus torpedinis erat decipi et vostrarum rerum ultro injuriæ gratiam debere*? conjunctivus in enunciati vi conditionali rationem habet, quod sic fere explicari potest : *illa, etiamsi ampla esset, tantum modo serviti pretium ostentaretur*; *quoniam igitur res ita est* etc. Aliud exemplum laudabimus, quod regulam supra positam sequitur, etsi negatio non adest : Cat. 14, 7, *sed ex aliis rebus magis quam quod cuiquam id compertum foret, hæc fama valebat*; hic enim negativus sensus ex tota periodi comprehensione cogitari potest. Indicativum in his constructionibus, cujus apud Ciceronem ipsum nonnulla exempla occurrunt, Sallustius non videtur usurpasse.

Conjunctivus etiam in affirmativis enunciatis cum *quod* conjunctione poni solet :

1° Si causa non ut vera, sed ut cogitatione tantum comprehensa proponatur, aut si non scriptoris, sed aliena opinio afferatur, ut Jug. 82, 3, *quam rem alii in superbiam vortebant, alii bonum ingenium contumelia accensum esse, multi quod jam parta victoria ex manibus eriperetur*; cf. Jug. 25, 11 ; 65, 2.

2° Cum verbis quæ vituperationem, laudem, querelam, mirationem significant, conjunctivum usurpari solere constat; Sallustius vero, quum indicativum adamet, conjunctivum semel tantum usurpavit, Jug. 1, 1, *falso queritur de natura sua genus humanum, quod imbecilla atque ævi brevis forte potius quam virtute regatur*; et hic quidem per vocem *falso* innuitur non justam esse querelæ causam, quæ negatio conjunctivi rationem in se habet. At verbum *laudo*, Hist. III, 77, 12, cum indicativo jungitur; *queror* cum conjunctivo, Jug. 15, 1, oratione obliqua explicatur; *miror* aut cum accusativo et infinitivo est, Cat. 37, 8, aut cum indicativo, Hist. I, 45, 2, ubi *qui* pro *quod ii* positum est.

1. Jordanus *at* scribit per conjecturam; Dietschius *cum scilicet;* scripturam optimorum codicum *et*, quam recte defendit Wirzius (loc. cit. p. 7), cum Jacobsio retinendam censui.

2. Hanc Faerni correctionem, pro *quæ* quod in Vaticano est et a Jacobsio multo atque inutili labore defenditur, Jordanus et Dietschius in textum jure receperunt.

IV.

Finalia enunciata.

In *finalibus enunciatis* notum est *quo* (= *ut eo*) pro *ut* adhiberi, si comparativus sequatur aut verbum vim comparativam habeat, ut Cat. 22, 2, *atque eo dictitare fecisse*, quo *inter se fidi* magis *forent*; cf. 40, 6, etc.; at Cat. 33, 1, *nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum aliis faceremus, sed uti*, nullum comparationis vestigium est; similiter Cat. 11, 5; 14, 3; 38, 3; 58, 3, *sed ego vos, quo pauca monerem, advocavi, simul uti*; Jug. 52, 6; Hist. I, 45, 1; verbum vim comparativam habet Jug. 37, 4, *quo regi formidinem adderet*; duplex constructio, Cat. 48, 4, *quo et ceterorum animos reficeret et illi facilius e periculo eriperentur*.

Demonstrativum particulam finalem prægreditur Jug. 24, 10, *sed quoniam eo natus sum, ut Jugurthæ scelerum ostentui essem*, cujus constructionis nullum aliud exemplum apud Sallustium inveni, nisi Cat. 22, 2 (Vid. supra).

Ne (= *ut ne*) finale a nostro auctore more solito adhibetur: sed *quo ne, ut ne* non usurpat. — *Quo minus*, quod in Cæsaris libris non est, et a Cicerone post verba *prohibere* vel *impedire* raro adhibetur, apud Sallustium ter tantum videtur esse : Cat. 51, 37, *neque illis superbia* obstabat *quo minus*; Jug. 38, 8, *nox atque præda hostis, quo minus victoria uterentur*, remorata sunt; cum demonstrativo, Cat. 51, 41, *hanc ego causam, patres conscripti, quo minus novom consilium capiamus, in primis magnam puto*. Tacitus contra hanc particulam frequenter usurpat.

Nedum cum negatione in prægresso enunciato ante argenteam ætatem semper usurpari notum est; Sallustius vero post affirmativum enunciatum *ne* (= *nedum*) posuit, Cat. 11, 8, ac fortasse Hist. II, 14 (Vide supra, ad enunciata consequentiæ). Restrictiva significatione *ne* (*dummodo ne*) usurpatum occurrit Cat. 52, 12, *sint sane —, sint misericordes in furibus ærarii*, ne *illi sanguinem nostrum largiantur, et — bonos omnis perditum eant;* cf. Cat. 52, 27. — *Neu* (*neve*) pro *et ne* semper ponit Sallustius, nunquam vero *nec* (*neque*), ut apud Livium ac posteriores scriptores. — *Neve* repetitum, etsi rarum est apud omnes, invenitur tamen Hist. inc. 15, *neu quis miles neve pro milite*.

V.

Enunciata conditionis.

A. — *Indicativi usus.*

Indicativus usurpatur, quoties conditionali enunciato factum ut verum proponitur, et tunc primarium enunciatum indicativum aut potentialem conjunctivum habet. Varia autem tempora occurrunt, quæ antequam enumerentur, exemplum notandum laudabimus, Cat. 52, 33, *verum parcite dignitati Lentuli*, si *ipse pudicitiæ*, si *famæ suæ*, si *dis aut hominibus umquam ullis pepercit. Ignoscite Cethago*, nisi *iterum patriæ bellum fecit*, ubi per ironiam dictum; paulo aliter Hist. I. 51, 19, *hæc si placent, si tanta torpedo animos obrepsit, — quid opus decretis*? Cf. Hist. II, 50, 8.

1° *Præsens* in conditionis enunciato est.

Præsens in primario quoque enunciato haud raro est apud Nostrum. ut Cat. 51, 3 et 8; Hist. IV, 82, 21; Jug. 10, 7 (*etiam si*); J. 85, 17 (*quod si*); Jug. 31, 22 (*nisi*), etc.; — *imperativus*, Cat. 52, 5; Jug. 24, 10; Hist. I, 51, 20 (sin); — *futurum*, Jug. 31, 19; Cat. 40, 3 (restrictiva significatione, *si modo*); 58, 9; quæ constructio apud aureæ ætatis scriptores satis rara est, quum futurum apud eos futuro respondere soleat. — *Nisi*, H. III, 1, 10; Cat. 20, 6, *cum considero quæ condicio vitæ futura sit, nisi nosmet ipsi vindicamus in libertatem.*

2° *Perfectum*, Cat. 51, 12, *siquid iracundia deliquere, pauci sciunt;* cf. Jug. 1, 4; 85, 4; Cat. 51, 15; quibus exemplis præsens in primario enunciato est, et rem repetitam aut consuetam designat. Adde Hist. II, 50, 8 et I, 51, 19, ubi perfectum et præsens juxta occurrunt, et Cat. 52, 33 (supra laudatum), ubi imperativus in primario, sed peculiari significatione.

3° *Imperfectum* et *plusquamperfectum* rem consuetam aut repetitam significant, verbumque primarii enunciati imperfecto aut infinitivo historico ponitur, ut Jug. 50, 6, *si ab persequendo hostis deterrere nequiverant, disjectos — circumveniebant*; *sin opportunior fugæ collis quam campi fuerat, ea vero consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere*; J. 101, 4, *ceteri — corpora tegere, et, siqui in manus venerant, obtruncare*; cf. J. 97, 5; 94, 2; Cat. 14, 3; 16, 3. At duobus his exemplis, vis conditionalis major asservata est, res autem in præterito ut vera a scriptore proponitur, et in primario enunciato futurum in præterito est : Jug. 14, 3, *vellem —, secundum ea, si desideranda*

erant, uti debitis uterer; Hist. III, 82, 11, *quæ profecto in cassum agebantur, si prius quam vos serviundi finem, illi dominationis facturi erant.* Restrictiva significatione, Cat. 51, 37, *si modo proba erant*, — *Quod si*, Cat. 14, 4.

4° *Futurum I* in conditionis enunciato apud Sallustium non ita frequens :

a. Cum præsenti in primario, Jug. 10, 6, *equidem ego vobis regnum trado firmum, si boni eritis, sin mali, inbecillum*, ubi sane futuri notio inest, quum ita cogitatio explicanda sit : *regnum quod futurum est firmum, si boni eritis*, etc.; — *b.* cum futuro, Hist. III, 82, 17, *et, si pertinaciter retinebunt, — censebo*; Hist. IV, 19, 3, *atque ea, — si vera existumare voles, maxume hortabuntur.*

5° *Futurum II* in conditionis enunciato multo sæpius reperitur :

a. Cum futuro I in primario, Cat. 52, 18, *si paululum modo vos languere viderint, jam omnes feroces aderunt*; cf. Jug. 4, 4; 10, 5; 110, 8; Hist. III, 82, 28; futurum supplendum, Hist. III, 82, 7, *itaque concessere illuc omnes : at mox, si vostra receperitis, ad vos plerique.* — *Nisi*, Cat. 52, 4; Jug. 31, 2; Hist. I, 45, 17; III, 82, 13 *fin.*; — *b.* cum præsenti in futuro, Hist. IV, 19, 2; — *c.* cum imperativo (*quod si*), Cat. 58, 21 — *d.* Cum præsenti quod notionem futuri comprehendit, Hist. III, 82, 13, *quo jam ipso frui, si vera et honesta flagitium superaverit, non est condicio.*

Futurum II in utroque enunciatio apud Sallustium non exstare videtur.

B. — *Conjunctivus in oratione directa.*

Conjunctivus usurpatur, non solum in oratione obliqua, sed etiam in directa, quoties scriptor rem quæ per particulas *si, nisi, ni*, etc., exprimitur, non vere factam esse, sed tantum fieri posse affirmat.

1° *Præsens* conjunctivi conditionem suppositivam exprimit; tunc vero aliquoties, ut apud Ciceronem sæpe, in primario quoque idem tempus occurrit, ut Jug. 42, 5, *si singulatim aut pro magnitudine parem disserere, tempus quam res maturius me deserat*; (cf. Jug. 31, 29, ubi *potentialis* secunda singularis persona in primario); præsens vero indicativi legitur Cat. 58, 7, *diutius in his locis esse, si maxume animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet*, ubi *si* = *etiam si*, et negatio in cogitatione est; cf. Jug. 31, 1, *multa me dehortantur a vobis, ni studium — superet*; præsens conjunctivi supplendum est Jug. 85, 29, *non possum fidei causa imagines — ostentare, ut, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona, præterea cicatrices advorso corpore* (scil. *ostendam*).

2° *Imperfectum* in utroque enunciato, more solito : Cat. 20, 7, *qui-*

bus, si respublica valeret, formidini essemus; cf. 52, 20 et 35; Jug. 14, 16; 85, 50; imperfectum indicativi in primario, propter impersonale verbum, ut fieri solet, Jug. 85, 48, *quæ si dubia aut procul essent, tamen omnis bonos rei publicæ subvenire decebat*; cf. J. 14, 7; Hist. III, 82, 1. Unicum exemplum est Jug. 47, 2, *huc consul, simul temptandi gratia et si paterentur opportunitates loci, præsidium inposuit*[1], ubi *si* idem quod *si forte* valere videtur (gallice : *pour le cas où, pour voir si*); cf. Cæs. b. civ. III, 56, *omnibus deinceps diebus Cæsar exercitum in aciem æquum in locum produxit, si Pompeius prælio decertare vellet*; Tac. Ann. IV, 49, *exercitum ostendit, si barbari prælium auderent*; et Liv. (passim). — *Nisi*, Hist. Inc. 61, ubi deest apodosis. — *Ni*, cum imperfecto conjunctivi in primario, Cat. 7, 7; cum plusquamperfecto in primario, Jug. 59, 3, *neque diutius Numidæ resistere quivissent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent*, ubi profecto in secundario quoque enunciato plusquamperfectum exspectaretur; cum imperfecto conjunctivi in futuro. Jug. 31, 21, *æquo animo paterer, ni misericordia in perniciem casura esset*. — *Quod si*, cum imperf. conj. in primario : Cat. 2, 3; Jug. 1, 5; 31, 16.

3° *Plusquamperfectum* in utroque enunciato, ut solet, Cat. 52, 34, *quibus si quicquam umquam pensi fuisset, non ea consilia de republica habuissent*; cf. Cat. 20, 2 (*ni*); 39, 4; Jug. 21, 2; 27, 2; 53, 7; 56, 5; Hist. III, 1, 1; III, 82, 13; cum imperfecto conjunctivi in primario : Jug. 14, 16, ubi quoque plusquamperfectum in conditionali enunciato; Jug. 14, 24, *utinam emori fortunis meis honestus exitus esset, neu vivere contemptus viderer, si defessus malis injuriæ concessissem*.

4° *Perfectum*, quod apud omnes in oratione directa rarum est, apud Sallustium occurrit, cum conjunctivo potentiali in primario, Hist. II, 50, 5, *pro quibus beneficiis vix satis gratus videar, si singulis animam, quam nequeo, concesserim*. Similiter in comparativis enunciatis *quasi* : Hist. I, 51, 15, *alterum consulatum petis, quasi primum reddideris*; Jug. 85, 19, *verum homines conrupti superbia ita ætatem agunt, quasi vostros honores contemnant; ita hos petunt, quasi honeste vixerint*, ubi perfectum præsenti respondet.

C. — *Conjunctivus in oratione indirecta*.

Conjunctivus, ut supra diximus, in *oratione indirecta* semper usur-

1. Locum difficilem et a scribis variis modis corruptum sic scribit Jordanus, Parisinum codicem optimum secutus; Jacobsius vero, mutato sensu : *simul temptandi gratia, si paterentur, et opportunitatis loci p. i.*, et ante *opportunitatis*, vocem *gratia* supplendam censet; alii : *et ob opportunitates loci*.

patur; tunc vero aut ab infinitivo historico, aut ab accusativo et infinitivo aliove infinitivo, aut a conjunctivo conditionale enunciatum pendet.

1° *Præsens* occurrit, si aut a præsenti conjunctivi pendeat, aut ab infinitivo qui ex præsenti ipse aptus sit : Jug. 85, 10, *quæso, reputate cum animis vostris, num id mutare melius sit, siquem ex illo globo nobilitatis ad hoc aut aliud tale negotium mittatis*; Jug. 33, 4, *producto Jugurtha verba facit, — si verum aperiat, in fide et clementia populi Romani magnam spem illi sitam*; *sin reticeat, non sociis saluti fore sed se suasque spes conrupturum*; cf. Cat. 34, 1; 40, 1; 52, 14; Jug. 33, 4; 103, 3; Hist. I, 45, 19; Jug. 35, 4 et 46, 4 (*sin*).

2° *Imperfectum* aut ab imperfecto conjunctivi pendet, aut ab infinitivo futuri qui ipse ex imperfecto aut perfecto aptus est, ut Jug. 112, 3, *ceterum Bocchus si ambobus consultum et ratam pacem vellet, daret operam ut* (cf. 61, 5; 65, 2); Cat. 43, 3, *querebatur de ignavia sociorum : illos — conrumpere — seque, si pauci adjuvarent, languentibus aliis impetum in curiam facturum*; cf. Jug. 8, 2; 14, 18; 26, 2; 38, 9; 64, 5; 83, 2; 88, 4; 102, 14; 106, 3 (*etiam si*); Jug. 77, 1 (*ni*); 33, 3 (*ni*); Cat. 23, 3 (*ni*); Cat. 48, 6 (*nisi*). Perfectum infinitivi in primario enunciato, Hist. I, 45, 18, *quod quidem scelerum illius vel maxumum est, non me neque quemquam omnium satis tutum fuisse, si recte faceremus*; futurum exactum, Jug. 82, 3, *nobis satis cognitum est — neque tam anxie laturum fuisse, si adempta provincia alii quam Mario traderetur*. Futurum infinitivi supplendum est Cat. 37, 6, *deinde multi — sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat* (sc. *futura*).

3° *Perfectum* usurpatur, ubi in oratione directa futurum exactum positum esset, ut Cat. 52, 27, *ne vobis ista mansuetudo et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam convortat*; cf. Jug. 22, 4; 56, 4; Hist. I, 45, 1. Participium futuri, aut (si aliis fides adhibeatur) futuri infinitivus, detracto verbo *esse*, occurrit Jug. 35, 10, *fertur — postremo dixisse : « O urbem venalem et mature perituram, si emptorem invenerit »*, ubi Jordanus ex codice Parisiensi optimo restituit : *postremo dixisse urbem venalem et mature perituram*. Cf. Liv. Epit. 64, qui *o urbem*, etc. habet.

4° *Plusquamperfectum* aut ab imperfecto conjunctivi pendet, aut ab infinitivo futuri qui ipse ex imperfecto perfectove aptus est, ut Jug. 10, 1, *parvom ego, Jugurtha, te — accepi, existumans non minus me tibi quam liberis, si genuissem, ob benificia carum fore*; Jug. 6, 3, *ex quibus, si talem virum dolis interfecisset, nequa seditio oriretur anxius erat*; cf. Cat. 17, 7; 26, 1; 48, 4; 50, 4; 56, 4; Jug. 8, 1; 10, 1; 14,

1; 28, 2 (*nisi*); 35, 9; 61, 4; 65, 3; 75, 2; 81, 3; 97, 3; 111, 1; Hist. IV, 55; inc. 57. Futurum infinitivi supplendum ex verbi expressi significatione, Jug. 97, 2, *ipsique Mauro* pollicetur *Numidiæ partem tertiam, si aut Romani Africa expulsi aut integris suis finibus bellum conpositum foret*; item Cat. 30, 6, et Jug. 25, 7, *timebat iram senatus, ni paruisset legatis*, ubi ellipsis notatione digna. Cf. Cic. : *Nisi statuas restituissent, graviter minatur*. Infinitivus historicus in primario, Jug. 58, 3, *sed tela eminus missa remittere, pauci in pluribus minus frustrari*; sin *Numidæ propius adcessissent, ibi vero virtutem* ostendere, ubi, si oratio directa institueretur, plusquamperfectum indicativi poni deberet, quum actio repetita significetur. Præsentis infinitivus in primario pro futuro exacto quod in passivo deest, Cat. 23, 6, *pollui consulatum credebant, si eum quamvis egregius homo novos adeptus foret.*

D. — *Conditionalis enunciati variæ formæ.*

Restrictiva significatione *si modo* usurpatur Cat. 40, 3; 51, 37; *si quidem, si tamen* apud Sallustium non inveniuntur.

Sin adversativa particula, præcedente *si*, satis frequens; sine *si* præcedente Jug. 1, 4, *qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur, — est neque fortuna eget —. Sin captus pravis cupidinibus — pessumdatus est*, etc.; Cat. 51, 24, *An quia —? An quia —? Sin quia*; Jug. 35, 4, *sin id parum procedat* (cf. 46, 4).

Si non apud Sallustium non esse videtur, cujus particulæ vicem *nisi* et *ni* supplent.

Si minus (= *si non*) occurrit semel, Cat. 16, 3, *si causa peccandi in præsens minus suppetebat, nihilo minus insontis sicut sontis circumvenire, jugulare*. At in Ciceronis libris frequentissime reperitur.

Nisi cum indicativo et conjunctivo occurrit, et easdem quas *si* particula constructiones præbet. Satis frequenter pro *si non* usurpata est a Sallustio hæc particula, ut Jug. 31, 22, *nam et illis — parum est inpune male fecisse, nisi deinde faciundi licentia eripitur* (cf. Jug. 31, 26 etc.); cujus constructionis satis raræ Cicero non amplius tria vel quatuor exempla habere videtur : in Verr. IV, 85, pro Cluentio, II, 6, de Officiis, II, 40.

Forma antiquior *ni*, cui ab initio sensus negativus tantum inerat, sed postea particulæ *si* adjuncta est ad corroborandum conditionalem sensum, a Sallustio sæpissime, aliquoties pro *si non*, sæpius pro *nisi*, adhibita est.

Nisi forte semper cum indicativo, ut apud classicos auctores; tamen Jug. 14, 10, *læti pacem agitabamus, quippe quis hostis nullus erat,*

nisi forte quem vos jussissetis, conjunctivus occurrit, ubi non, ut semper alias, per ironiam dictum, sed pronomen *is* (= *talis*) supplendum, ita ut *quem* pro *is quem* positum intelligamus, et totum orationis nexum sic explicemus : *nisi forte is quem vos jussissetis nos habere.* — *Nisi vero*, eodem sensu, apud Sallustium deest.

Nisi tamen cum indicativo aliquid oppositum priori enunciato significat ac per ellipsim enucleandum est, ut Jug. 24, 5, *plura de Jugurtha scribere dehortatur me fortuna mea, et jam* —. *Nisi tamen intellego*, ubi tota sententia sic explicari potest : *nisi tamen hoc* (vel *hoc unum tamen*) *addo, me intellegere*, ita ut *nisi* exceptionem indicet, *tamen* oppositionem cogitationi verbis prægressis expressæ (*nihil addo ad hæc quæ scripsi*). Cf. Jug. 67, 3, *id misericordiane hospitis an pactione aut casu ita evenerit, parum comperimus; nisi, quia illi in tanto malo turpis vita integra fama potior fuit, improbus intestabilisque videtur*, ubi *tamen* deest et sic intelligendum : *nisi* (*hoc constat*), *illum, quia ei* — *fuit, improbum intestabilemque videri*; Jug. 100, 5, *quod multi per ambitionem fieri aiebant, pars a pueritia consuetam duritiam et alia, quæ ceteri miserias vocant, voluptati habuisse : nisi tamen res publica pariter sævissumo imperio bene atque decore gesta*, ubi sententiarum nexus hic est : *quæstionem non dirimo, hoc unum pro certo dico, rem publicam* — *gestam.* Quæ constructio apud antiquos scriptores (cf. Plaut. Pseud. 1102, Pœn. IV, 2, 66, Stich. 269, Trin. 928, Aul. II, 7, 3; IV, 10, 75, Cist. I, 1, 43) satis frequens, apud alios scriptores aliquoties, ac præcipue in Ciceronis epistolis invenitur (cf. ad Att. II, 23; V, 14; XI, 6, 23; ad fam. 13, 1; 43, 73). At hoc in primis notandum, apud comicos *nisi* vim adversativam habere atque per *sed* particulam suppleri posse, apud Sallustium vero, ut apud Ciceronem aliosque, tantum post negationes scriptas aut supplendas legi, ita ut in hac constructione antiquorum imitatio non sit admittenda.

Nihil aliud nisi [1], *quid aliud nisi* plane deficiunt; (at *quid aliud* QUAM occurrit Hist. I, 45, 4; cf. ibid. 15, *estne viris reliqui aliud* QUAM).

Nihil — *nisi* legitur Jug. 85, 33, *nihil metuere nisi turpem famam*; Hist. I, 45, 8; I, 51, 15; IV, 82, 17; — *quid* — *nisi* Jug. 85, 16, *quid responsuros creditis, nisi sese liberos quam optumos voluisse?* Jug. 24, 8; 31, 26; Hist. IV, 82, 19; — *nullus nisi* Hist. III, 69, *locum nullum nisi quo armati institissent ipsis tutum fore*; cf. *nequis* — *nisi* Jug. 14.

1. Tamen *neque aliud* — *nisi* legitur Jug. 3, 3, *neque aliud se fatigando nisi odium quærere.*

18, *postremo Massinissa nos ita instituit*, nequem *coleremus* nisi *populum Romanum*; — *nemo* — *nisi* (inverso ordine), Cat. 13, 1, *nam quid ea memorem quæ* nisi *eis qui videre* nemini *credibilia sunt?* Similis inversio notanda cum *non* — *nisi*, Jug. 54, 5, *bellum renovari, quod nisi ex illius lubidine geri non posset.* — *Neque* — *nisi* : Jug. 13, 5 (*neque usquam* — *nisi*); 61, 1; Hist. I, 45, 15 (*neque quisquam nisi*); IV, 82, 12.

Nisi pro *præter* positum videtur Jug. 17, 6, *plerosque*[1] *senectus dissolvit, nisi qui ferro aut bestiis interiere*; 71, 3, *omnium consiliorum nisi novissumi particeps*; (cf. 75, 3); Hist. II, 85; paulo aliter Hist. I, 9, *omni Gallia cis Rhenum atque inter mare nostrum et Oceanum, nisi quæ a paludibus invia fuit.*

Nisi quod, restrictiva significatione, Jug. 89, 6; 95, 3; — *nisi quia*, eodem sensu, Hist. III, 82, 6.

Quod si satis frequens (Cat. 2, 3; 14, 4; 39, 4; 58, 21; Jug. 1, 5; 31, 16; 85, 17); *quod ni*, Cat. 18, 8.

E. — *Conditionis enunciata quæ formam conditionalem non habent.*

Ut ne, *ut non*, *ut ne*, conditionem optatam indicantia, apud Sallustium desunt. — Has tantum particulas, conjunctivo semper ea significatione positas, usurpavit :

Dum (= gallice *pourvu que*) occurrit satis raro, Cat. 5, 6; 14, 6; 40, 4, quibus omnibus locis oratio indirecta est; at conjunctivum tunc solum adhiberi posse constat, etiam in recta oratione; Hist. inc. 65, primarium deest enunciatum. — *Quod modo*, relativum conditionis enunciatum introducit Cat. 39, 6 et Jug. 64, 5, *neque facto ullo neque dicto abstinere, quod modo ambitiosum foret.* — *Modo, dummodo* nusquam inveni.

VI.

Enunciata concessionis.

A. — *Concessiva enunciata* apud Sallustium per has particulas in orationem inducuntur :

Etiamsi, qui modum conditionalium enunciatorum habere solet, bis tantum usurpatum fuisse videtur : cum indicativo Jug. 10, 7, cum conjunctivo Jug. 106, 3.

Quamquam, semper cum indicativo, ut apud aureæ ætatis scriptores solet : Jug. 39, 5, *postquam eo venit, quamquam persequi Jugur-*

1. Cf. *plerumque* — *nisi cum* Jug. 44, 4; item Hist. I, 95, ubi deest primarium enunciatum.

tham et mederi fraternæ invidiæ animo ardebat,— statuit; cf. Jug. 17, 7; 44, 3; 64, 1; 94, 3, etc.; exceptis tamen locis quibusdam, ubi propter orationem obliquam conjunctivus usurpatur : Jug. 33, 4; 83, 1; adde Jug. 3, 2, *nam vi quidem regere patriam aut parentes, quamquam et possis et delicta corrigas, tamen inportunum est*, ubi conjunctivus potentialis est; cum adjectivo, Jug. 43, 1, (*Metello*) *acri viro et quamquam advorso populi partium, fama tamen æquabili et inviolata*; cf. Hist. I, 51, 2. — *Quamquam* correctionem affert Jug. 85, 15; Hist. III, 82, 5. In Catilina vero nusquam particulam hanc inveni.

Quamvis nec cum conjunctivo, secundum vulgarem loquendi usum, nec cum indicativo, sed tantum primitiva significatione (= *quantumvis*) cum adjectivo, Cat. 23, 6, *et quasi pollui consulatum credebant; si eum* quamvis egregius *homo novos adeptus foret*; cf. Hist. III, 62, 20.

Cum adversativa et concessiva significatione, semper cum conjunctivo, ut apud Ciceronem et Cæsarem : Cat. 3, 5, *ac me*, cum *ab reliquorum malis moribus dissentirem*, nihilo minus *honoris cupido eadem qua* [2] *ceteros fama atque invidia vexabat*; Cat. 36, 4, *cui* cum *ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent, domi otium atque divitiæ, quæ prima mortales putant, adfluerent, fuere* tamen *cives qui seque remque publicam opstinatis animis perditum irent*; sine adverbio opposito in primario enunciato, Hist. III, 77, 2, *ægra parte militum autumni gravitate neque ex postrema fuga, cum severo edicto juberentur, ullis ad signa redeuntibus* [1].

Tametsi (pro *etsi* quod plane deest) frequentissime usurpatur, semper cum indicativo : Cat. 3, 2 et 4; 20, 1; Jug. 6, 2, etc., etc.; excepto uno loco, Jug. 38, 9, ubi propter orationem obliquam conjunctivus positus est.

Licet, quamlibet, quantumlibet, quantumvis, etsi apud Sallustium deesse videntur.

B. — In enunciatò primario oppositio significatur his verbis :

Tamen, quæ particula usurpatur quoties *tametsi* in primario est (Cat. 3, 2 et 4; 20, 1; 21, 1; 48, 5; 52, 9; Jug. 6, 2; 11, 1; 13, 3;

1. Interdum tamen accidit ut apud Sallustium *cum temporale* cum indicativo structum vim adversativam aut concessivam accipiat, ut Cat. 20, 12, *cum tabulas, signa, toreumata emunt, nova diruunt, alia ædificant, — tamen summa lubidine divitias suas vincere nequeunt.*

2. Scripturam *quæ* codicis Sorbonici nº 500 longe optimi ac nonnullorum aliorum, quam defendit Gruendelius (*De locis aliquot Sallustianis*, p. 2), ut nimis contortæ explicationis egentem respuimus, et ceterorum codicum scripturam cum Jordano et Jacobsio admittimus.

16, 3, 20, 5; 25, 11; 26, 2; 29, 2; 31, 21, etc.), excepto Cat. 31, 4, *at Catilinæ crudelis animus eadem illa movebat, tametsi præsidia parabantur*, eo quod primarium enunciatum prius positum est, ac præterea Jug. 14, 7 et 16; 85, 48, ubi *si* particulæ oppositum; Jug. 10, 7, ubi particulæ *etiamsi*. — *Tamen* etiam invenitur plerisque locis quibus *quamquam* particulæ opponitur, ut Jug. 31, 25; 75, 2; 102, 3, etc. His tantum deesse adverbium videtur: 1° Jug. 33, 3; 35, 9, *igitur quamquam in priore actione ex amicis quinquaginta vades dederat, — clam in Numidiam Bomilcarem dimittit*; 39, 5, quibus quidem locis concessivum enunciatum prius est, quod satis rarum est; cf. tamen Jug. 106, 3, ubi post *etiamsi* particulam initio periodi positam nullum oppositum adverbium est 2° sed in his quæ sequuntur primarii enunciati pars aliqua prægreditur, quod *tamen* adverbii detractionem necessario affert: Jug. 84, 3, *neque illi senatus, quamquam advorsus erat, de ullo negotio abnuere audebat;* cf. Jug. 44, 3.

Tum vero, particulæ *quamquam* oppositum occurrit Jug. 94, 3, *Marius, ubi ex nuntiis quæ Ligus egerat cognovit, quamquam toto die intentos prælio Numidas habuerat*, tum vero *cohortatus milites — succedere*.

Nihilo minus, oppositum *cum* concessivo, Cat. 3, 5; *si* concessivo oppositum, Cat. 13, 3, *si causa peccandi in præsens minus subpetebat*, nihilo minus *insontis sicut sontis circumvenire, jugulare*; — post ablativum absolutum, Cat. 26, 1, *his rebus conparatis, Catilina* nihilo minus *in proximum annum consulatum petebat*; — concessiva significatio ex totius periodi sententia apparet Hist. I, 51, 19, *si tanta torpedo animos obrepsit, ut obliti scelerum Cinnæ, cujus in urbem reditu decus ordinis hujus interiit*, nihilo minus *vos atque conjuges et liberos Lepido permissuri sitis*.

CAPUT IV.

DE ENUNCIATIS QUORUM VERBUM NOMINALEM HABET FORMAM.

I.

Participialia enunciata.

Grammaticorum communem sententiam esse constat participium esse *adjectivum relativum*, quod ita differat ab adjectivo vulgari, ut non continuatam quandam rei condicionem vel statum indicet, sed tantum-

modo singulare aliquid temporis terminatione definitum. Sciendum tamen est sæpe alterum in alterum mutuo transire, ita ut et participia, temporis significatione sublata, in meram adjectivorum vim abeant designentque rei statum aliquem vel condicionem perpetuam ac constantem, et adjectiva, propria natura deposita, actionem aliquam indicent eamque non perpetuam, sed temporis finibus circumscriptam (cf. Haasius, in annot. ad Reisigii schol. de ling. Lat., pag. 741). Quæ quum ita sint, duo omnino participiorum genera accurate sunt disjungenda: alterum propriam verbi vim retinet, perdit alterum vim verbi et ad nomina transfertur, cujus quidem duæ species iterum distingui possunt. Itaque tria participiorum genera observanda sunt: primum eorum participiorum, quæ, licet verbum habeant ad quod referantur, tamen omni conjunctione cum verbo finito destituta sunt, ita ut eodem modo quo nomina adjectiva qualitatem vel rei vel personæ denotent; deinde eorum quæ, quum ab omni re vel persona segregata ipsa notinem rei vel personæ induant, pro nominibus substantivis ponuntur; denique eorum quæ propriam verbi naturam retinent, ideoque permultum faciunt ad sensum totius sententiæ moderandum [1]. His positis, singula genera participiorum apud Sallustium considerabimus, ac deinde de ablativo absoluto disseremus.

A. — Participia adjectivorum naturam imitantia. — Primum monendum est interdum difficillimam esse participiorum quæ adjectivorum, et participiorum quæ verborum vim habeant, distinctionem, ut Cat. 52, 14, *videlicet timens ne, si Romæ sint, aut a popularibus conjurationis aut a multitudine* conducta *per vim eripiantur*; Jug. 46, 6, munito *agmine incedere* (cf. J. 100, 1), quibus locis participia adjectivi significatione posita esse videntur, at diligentius perspicienti apparet statum participiis indicatum tantum temporis modo durare, quantum actio verbi finiti expleat, ideoque « relationem quamdam inter participia et verbum finitum intercedere, quæ qualis sit facile intelligemus, si aliam orationis formam posuerimus: ex gr. Cat. 52, 14, poterat præpositio omitti, ut ablativus absolutus esset; poterant etiam separari sententiæ hoc modo : *timens ne multitudo conduceretur, et ab hac ipsi eriperentur.* » (Lilie). Hic vero ea tantum exempla afferemus in quibus nulla dubitatio relicta sit.

a.—Participium quod est pro adjectivo semper in sententiam relativam solvi potest; quod ubi fit, induit iterum propriam verbi naturam. Nam is verbi modus tunc eligendus est, qui conveniat rationi quæ intercedit

1. Sic Lilie (*Quæstiones grammaticæ in Sallustium*), quem in hoc primo paragrapho (A) tractando sæpius adhibuimus, interdumque ad verbum expressimus.

inter loquentis cogitationem, et ipsum illud quod participio declaratum erat; item temporalis nexus, quo sententia relativa cum primaria sententia conjungitur, accurate denotandus est. Et quidem, ut diximus, relativum enunciatum semper adhiberi potest, sive singularis actio sive continuatus status denotandus est; participium autem adjectivi vi positum non nisi ita adhiberi potest, ut constantem statum significet, unde fit ut non semper pro relativis enunciatis poni possit.

1° Ubi pronomen relativum præter demonstrativam vim adciscit conditionalem significationem, ita ut omnes res, quæ cadunt in certam speciem, denotentur, enunciatum relativum adhibendum est : ex gr. Cat. 1, 1, *omnis homines*, qui sese student *præstare ceteris animalibus, summa ope niti decet*, ubi sententia relativa nihil sibi vult nisi ut nomen ipsum cui apposita est accurate et distincte definiatur, ita ut certæ speciei notio oriatur. Si participium adhibemus (*studentes*), duplex interpretatio locum habere potest : si adjectivum esse statuimus, eamdem vim ei tribuere debemus atque sententiæ relativæ; sin vero participium pro adjectivo non habemus, debemus locum aliter interpretari. Nam participium, quod propriam verbi vim retinet, non nomen ipsum artius definit, sed continet totum nomen, id est omnes homines. Itaque non alterum genus hominum alteri opponitur, sed de omni genere hominum pariter agitur, in omnes homines pariter cadit, quod verbo finito enunciatur, attamen ea conditione ut studeant [1].

Jam vero singulas sententiarum relativarum species quæ huc pertinent persequamur. Primum notum est participia *dictus, vocatus, memoratus*, ad denotandam certam rem vel personam cum adverbiis *supra, infra, sic*, similibus, non posse conjungi, ubi Græci articulum ponerent, sed hanc orationis formam adhiberi : *quem* vel *de quo supra dixi*, vel *memoravi*; et sic quidem apud Sallustium, ex. gr. Cat. 5, 7, *utraque his artibus auxerat, quas supra memoravi*; Cat. 26, 3. *Q. Curius, de quo paulo ante memoravi*; cf. Cat. 20, 1; 57, 1; Jug. 25, 4; 28, 4 [2].

Deinde « sententia relativa omnino adhibenda est, ubi ad participium, si poneretur, ablativus personæ alicujus cum præpositione *a* conjunctus accederet necesse esset. Nam addito proprio et naturali subjecto, a que actio, cujus effectus participio indicatur, effluxit, specialis redditur participii causa, ita ut non nisi certam rem significare possit, id quod abhorret a propria ejus vi ac natura, ut Jug. 5, 1. *bellum scripturus sum, quod populus Romanus cum Jugurtha rege Numidarum gessit* [3]. »

1. Lilie, (*l. l.* p. 6-7), quem fere ad verbum expressimus.
2. Lilie, p. 14.
3. Lilie, p. 15.

Nec magis ea, quæ ex participio præsentis orta sunt, adjectiva ita adhiberi possunt, ut certam rem sive personam indicent, sed totum modo rerum genus significare possunt. Huc autem pertinent ejusmodi sententiæ relativæ : Cat. 14, 7, *scio fuisse nonnullos qui ita existimarent, juventutem, quæ domum Catilinæ frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse*; Jug. 16, 1, *vicit tamen in senatu pars illa, quæ vero pretium aut gratiam anteferebat* (cf. Cat. 6, 1); 55, 1, *consul optumum factu ratus noctem* quæ instabat *antecapere*, cui opponendus est hic locus, Hist. III, 65, *M. Antonius perdundæ pecuniæ genitus vacuusque a curis nisi* instantibus, ubi non de certis curis agitur, quæ tunc revera instabant, sed totum genus curarum intelligendum est [1].

« Item semper sententia relativa adhibetur, ubi situs locorum ita describuntur, ut inde simul eluceat, qui locus intelligendus sit : Jug. 92, 5, *namque haud longe a flumine Muluccha, quod Jugurthæ Bocchique regnum dijungebat, erat — mons saxeus* (cf. J. 16, 5). At contra quum in describendo situ vel natura loci alicujus vel fluminis, non id agitur, ut de quo loco vel flumine sit sermo intelligatur, sed tantummodo quasi narrando additur descriptio, participium quoque adhibetur, ita quidem ut appositionis locum teneat, veluti Jug. 48, 3, *erat in ea parte Numidiæ quam Adherbal in divisione possederat, flumen* oriens *a meridie, nomine Muthul, a quo aberat mons; sed ex eo medio quasi collis oriebatur, in immensum* pertingens, *vestitus oleastro* [2]. »

Sed quod de sensus discrimine inter participium et sententiam relativam statuimus, imprimis cadit in nomina collectiva. Quæ cum multitudinem vel personarum vel rerum comprehendant, facile intelligitur ambitum eorum non nisi sententiis relativis definiri posse. Quare Cat. 16, 1, *sed juventutem, quam, ut supra diximus, inlexerat, multis modis mala facinora edocebat*, multum differt ab illo « *sed juventutem illectam*, » ubi non opponitur juventutis altera pars alteri, sed simpliciter de juventute Romana agitur, quæ nota ea, quæ participio indicatur, insignis est; ii tantum juvenum Romanorum respiciuntur qui illecti sunt, nulla prorsus ratione habita eorum qui non illecti sunt. Simili modo Sallustius nomina terrarum usurpat, ita ut relativum non ad universam terram spectet, sed tantummodo ad certam partem quæ toti terræ opponitur, velut Jug. 61, 2, *ceterum exercitum in provinciam, quæ proxuma est Numidiæ, hiemandi gratia conlocat*, ubi non de tota provincia agitur, sed tantum de ea parte provinciæ quæ Numidiæ proxima erat (cf. Jug. 89, 7) [3].

1. Cf. Lilie, *l. l.* p. 15.
2. Lilie, p. 15.
3. Cf. Lilie, p 15-16.

Hæc vero quæ sequuntur exempla specie, non re ipsa repugnant regulæ quam supra posuimus, scilicet participia adhiberi non posse, ubi certæ singulæ res demonstrari videantur : Cat. 48, 4, *eadem fere quæ Volturcius de* paratis *incendiis*, — *docet;* Jug. 80, 5, *quam rem opportunissimam* incepto *bello pauci impediverant cæci avaritia*; (cf. Jug. 15, 5; 22, 1; 25, 7; 47, 2; Hist. II, 50, 3; III, 1, 6); quibus omnibus locis participia suam vim ac significationem retinent, ita ut constituant certum genus rerum, quod quidem fieri non potest, nisi initium actionis, qua res in statum participio indicatum pervenit, modo narratum est, ita ut in ejus effectu ii qui legunt adhuc defixam teneant mentem. Hoc in primis exemplum peropportunum est ad perspiciendum istud, quod inter participium et sententiam relativam statuimus, discrimen : Jug. 113, 3, *sed nocte ea, quæ proxuma fuit ante diem colloquio* decretum. « Quo quidem in loco id agitur, ut unum tempus definiatur ex altero. Jam vero nox illa, quæ definienda est, adhuc ignota est ideoque sententia relativa denotatur ; dies autem, ex quo nox illa definienda est, aliquo modo notus sit necesse est, et propterea quidem notus est, quod jam supra narratum est eum colloquio decretum esse. Quam ob rem quum antea jam injecta sit ejus diei mentio, scriptor per participium redintegrare potest ejus rei memoriam [1]. »

2° Item participia *attributiva* non respondere possunt relativis enunciatis quibus res aliqua vel persona ita monstratur ut possit ab aliis ejusdem generis dignosci, quo in genere pronomen relativum propriam ipsius vim retinet, id est respondet pronomini demonstrativo, sive id positum est, sive cogitatione supplendum, velut Cat. 5, 7, *utraque his artibus auxerat quas supra memoravi.* Præterea in ejusmodi sententiis relativis temporis notationem non subjungendam esse verbo finito primariæ sententiæ, sed sui juris esse posse notandum est, ut Jug. 70, 1, *cujus inpulsu Jugurtha deditionem, quam metu deseruit, inceperat*, vel Cat. 51, 5, *bello macedonico, quod cum rege Perse gessimus, Rhodiorum civitas infida atque advorsa nobis fuit*, ubi, si Sallustius temporis notationem verbo finito in sententia relativa subjungere voluisset, non perfectum historicum, sed imperfectum adhibere debuit. Sed hæc hactenus, cetera brevius persequamur.

b. — Participia, adjectivorum loco posita, duobus sententiarum relativarum generibus respondere possunt :

1° Respondent iis quibus incertæ res certæ cujusdam speciei describuntur, ut Jug. 2, 4, *cum præsertim tam multæ variæque sint*

1. Lilie, *l. l.* p. 17.

artes animi, quibus summa claritudo paratur, ubi certa species artium nota aliqua addita describitur, neque vero certæ artes denotantur. Et hic quidem « multo latius patet usus participii perfecti passivi quam præsentis activi; quamquam hic quoque usus apud Sallustium æque atque apud Cæsarem magis circumscriptus est quam apud Ciceronem et Livium, apud quos etiam comparationem admittunt ejusmodi participia [1] », quod quidem Sallustio non plane ignotum est: *suspectiores* (Cat. 7, 2; cf. Cic. Orat. 2, 4); *purgatiores* (Hist. II, 87); *inconsultius* (Jug. 35, 6; cf. Cæs. b. g. I, 45; Liv. 41, 7; Plin. jun. Paneg. 83); *promptior* (Jug. 44, 1; cf. Cic. Off. I, 24). « Eorum vero participiorum quæ vulgo futuro passivi adscribuntur, revera autem præsenti passivi attribuenda sunt, apud nostrum auctorem nullum invenio exemplum, quod sit non ad verbum finitum, sed ad aliam sententiæ partem ita relatum, ut adjectivi attributivi locum obtineat. Omnia enim hujusmodi participia, aut retinent propriam verbi significationem, cum oppositionem contineant rei verbo finito indicatæ, velut Cat. 10, 2, optanda *alias*, aut vim prædicati habent, velut Jug. 3, 1, *minume mihi hac tempestate* cupiunda *videntur*. » — « Usus participii futuri activi, si discesseris ab uno loco, Jug. 27, 3, ubi participium *futurus* adjectivi significatione positum est, apud Sallustium nullus est, atque omnino scriptores inferioris demum ætatis participio futuri activi hoc liberiore modo usi sunt [2]. » Deponentium autem verborum participia, quoniam effectum actionis significant, qui ita a propria sua causa et fonte remotus cogitatur, ut ipse novæ actionis naturam ab alio subjecto proficiscentis induat, non aliter nisi propria verbi significatione ex verbo finito pendentia auctor inducere potest, nisi forte deponentia ipsa passivo usu usurpantur, id quod Sallustio usitatissimum est [3]. »

Participia perfecti passivi quæ huc pertinent sunt talia : Cat. 3, 2, *arduum videtur res* gestas *scribere*; 11, 6, *tabulas* pictas, *vasa* cælata *mirari*; 56, 3, *alii* præacutas *sudis portabant*; Jug. 12, 5, *scrutari loca* abdita, clausa *effringere*; 48, 2, *per tramites* occultos; 58, 7, *in loca* munita *se recepit*; 75, 4, *quam plurumum potest* domiti *pecoris*, quibus omnibus locis participium et substantivum artissime inter se cohærent, quum id agatur ut audientium animo certæ speciei cogitatio offeratur. Itaque ad ea participia ablativus personæ alicujus accedere non potest; nam effectus ejusque causa tali ratione inter se continentur

1. Lilie, *l. l.* p. 7.
2. *Futurus* pro adjectivo positum apud Ciceronem nonnisi in locutionibus *res futuræ, futura* (= *ea quæ posteriori tempore futura sunt*) invenitur. (Vid. Kühnast. *Die Hauptpunkte der livianischen Syntax*, p. 267).
3. Lilie, p. 7-8.

ut in unam significationem coire non possint, at necesse est omnia additamenta, quæ ad participia attributiva fiant, iis tam arte adhærescere ut fere unam notionem efficiant.

Præterea, quum participia attributiva semper constantem et perpetuam rei conditionem significent, elucet causativorum tantum verborum participia pro attributis poni posse, scilicet ea quæ actionem talem significent, qua objectum aliquod afficiatur aliquo modo et mutetur, veluti *cœlare*, *pingere*, *armare*, *munire*, etc. Ceterorum verborum participiis necesse est addi aliquid, quo denotetur quo modo actio effecta sit, ut Cat. 12, 3, *operæ pretium est, cum domos atque villas cognoveris* in urbium modum exædificatas, *visere templa deorum, quæ nostri majores, — fecere*, ubi participium *exædificatas* solum poni non potuisset [1].

Usurpantur etiam vi adjectivi participia nonnullorum verborum, quorum actione objectum tantum tangitur, ita ut non immutetur. Quod ubi fit, scriptor non tam statum vel condicionem, quæ actione aliqua effecta est, spectari vult quam actionem ipsam, ut Hist. I, 45, 25, *adnuite legibus inpositis*, et cum ablativo personæ, Hist. I, 51, 7, *nunc est pro consule cum imperio non empto sed dato a vobis*. Denique verbi *mittere* participium aliquoties in significationem adjectivorum in *ilis* exeuntium transit, ut Jug. 57, 6, *nam plerosque jacula tormentis aut manu emissa volnerabant;* 58, 3, *sed tela eminus missa remittere*. (Cf. 101, 4) [2].

Quod ad participium præsentis activi attinet, « si adjectivi vice fungatur, genus tantum actionis significat, quod tanquam continuata conditio nomini adhærescit; quare, quum opus est ut talis actionis notio objecto aliquo addendo compleatur, genitivus eligendus est, qui casus solus accommodatus est ad nomina inter se conjungenda [3] », ut Jug. 44, 1, *neque periculi, neque laboris patiens* (cf. J. 17, 6; 28, 5; 63, 3; Cat. 5, 3; 7, 4); nota tamen exemplum Hist. I, 45, 16, *verum ego seditiosus, uti Sulla ait, qui præmia turbarum queror, et bellum cupiens qui jura pacis repeto*, ubi genitivus *belli* expectaretur. Contra notio universi generis personarum constituitur Jug. 38, 1, *missitare supplicantis legatos*, quod idem valet ac si dixerit : *missitare legatos qui supplicarent*.

Apud Latinos notum est participia activa significatione perraro iis nominibus apposita esse quibus res intelligendæ sint, cujus rei satis memorabilis inde causa repetenda est quod apud eos res inanimæ non ita

1. Cf. Lilie, *l. l.* p. 9 10.
2. Cf. Lilie, p. 10 11.
3. Lilie, p. 11.

inducantur, ut viventium instar et anima fruentium habeantur, ideoque non subjecti locum teneant. Sallustius vero hunc participiorum usum omnino evitat, ita ut ne prædicati quidem locum apud eum alia participia teneant, nisi quorum subjectum persona aliqua est, velut Jug. 11, 3. Excipiendum est substantivum *animus*, quod, quia persæpe pro homine ipso a Sallustio ponitur, in regulam supra positam redit, ut Jug. 1, 3, *qui* (*animus*), *ubi ad gloriam virtutis via grassatur*, *abunde* pollens potens*que et clarus est* (cf. Cat. 5, 4, etc.); similiter nomina rerum, quæ in personarum locum succedunt, ut Jug. 89, 4, *erat inter ingentes solitudines oppidum magnum atque* valens, *nomine Capsa*. Ceterum hæc regula non cadit in participia verborum, quæ, licet forma eorum sit activa, tamen non actionem significant, sed statum aliquem, velut Jug. 83, 1, *neu florentis res suas cum Jugurthæ* perditis *misceret*; 93, 4, *modo* eminentibus *saxis nisi;* 105, 3, *Volux — in campis* patentibus *cum mille non amplius equitibus sese ostendit* [1].

2° Præterea participia attributiva relativis enunciatis respondere possunt, in quibus memoria rei modo memoratæ ita revocatur, ut ei quasi narrando et per appositionem annectatur aliquid, et tunc quidem ex nativa relativi pronominis significatione nihil restat nisi vis quædam copulativa vel epexegetica, ac nonnunquam particulæ *quasi*, *tanquam*, *ut*, *quippe* participio adjiciuntur. Quorum participiorum usus aliquanto latius patet quam ejus generis quod primo loco posuimus. « Nam primum quidem huic usui non modo accommodata sunt ea participia quæ aliquid denotent, quod proprium sit vocabuli eique semper adhærescens, sed etiam ea quæ aliquid significent, quod sit insiticium magis et extrinsecus illatum, veluti Jug. 108, 1, *ibi cum Boccho Numida quidam Aspar nomine multum et familiariter agebat*, præmissus *a Jugurtha*, *postquam Sullam accitum audierat*, *orator et subdole speculatum Bocchi consilia*; Jug. 71, 4. *epistolam super caput in pulvino temere positam sumit ac perlegit*. Deinde hoc in genere videmus cum participio alia additamenta liberiore modo conjungi posse, quum participiis ejus generis, quod primo loco posui, non nisi talia additamenta apponere liceat, quæ cum participio ipso coalescere quasi possint, veluti Jug. 94, 1, *super terga gladii et scuta*, *verum ea Numidica ex coriis ponderis gratia simul et* offensa *quo levius streperent;* 94, 3, *in castellum perveniunt* desertum *ab ea parte*, *quod omnes sicut aliis diebus advorsum hostis aderant* [2]. »

Ea vero participia non adhiberi possunt, nisi quum actio, quæ par-

1. Plura lege apud Lilie, *l. l.* p. 12-13.
2. Lilie, p. 18.

ticipio indicatur, aut eo tempore quod in verbo finito continetur existit, aut, licet ante jam exstiterit, tamen non plane absoluta est, sed talis cujus effectus usque ad alteram verbo finito declaratam pertineat ac duret, veluti Jug. 19, 7, *Mauris omnibus rex Bocchus imperitabat, præter nomen cetera ignarus populi Romani, itemque nobis neque bello neque pace antea* cognitus; Cat. 55, 3, *est in carcere locus circiter duodecim pedes humi* depressus; cf. Jug. 44, 1; Hist. I, 51, 7.

« Contra ea, participio uti non licet, si actio illa, aut post alteram verbo finito declaratam exstitit, aut ita ante eam exstitit, ut ejus effectus eo tempore quod in verbo finito continetur præteritus planeque absolutus cogitandus sit, » (Lilie), ut Cat. 31,6, *tum M. Tullius consul, sive præsentiam ejus timens, sive ira conmotus, orationem habuit luculentam atque utilem rei publicæ,* quam postea scriptam edidit; cf. Cat. 22, 3; Jug. 35, 2; Hist. II, 50, 7. Nec magis, si verbum activum sit et actionem significet, ut Cat. 58, 19, *præterea necessitudo, quæ etiam timidos fortis facit*; cf. Cat. 51, 25; 58, 16; Jug. 6, 3; Hist. I, 51, 8; III, 82, 4. Sin vero statum designat, participium adhiberi potest; huc pertinent ea imprimis participia, quæ situm locorum describunt, veluti Jug. 48, 3[1].

Hoc etiam observandum est « omnibus locis, ubi uni nomini plura per appositionem addantur, licet cetera proferantur participiis, tamen id quod, si participio proferretur, cum ablativo personæ e præpositione pendente esset conjungendum, mutata structura enunciato relativo addi », veluti Jug. 65, 1, *erat præterea in exercitu nostro Numida quidam nomine Gauda, Mastanabalis filius, Masinissæ nepos, quem Micipsa testamento secundum heredem scripserat, morbis confectus et ob eam causam mente paulum inminuta* (cf. Cat. 23, 1; Jug. 85, 30), ex quibus exemplis perspici potest ea additamenta, quæ artius cum re ipsa cohæreant eique sint propria, per participium proferri, ea vero quæ sint magis extrinsecus illata per pronomen relativum adjungi. « Item ubique observare licet a Sallustio structuras ad internam indolem rerum accommodari, semperque mutata structura certum ordinem et seriem rerum, modo exemplum aliquod rei per participium in universum tantum indicatæ, modo consecutionem alicujus rei ex altera denotari », ut Jug. 8, 1, *fuere complures novi atque nobiles — factiosi domi, potentes apud socios, clari magis quam honesti, qui Jugurthæ non mediocrem animum pollicitando accendebant,* ubi tamen adjectiva in participiorum locum succedunt (cf. Cat. 18, 4), et Jug. 101, 6, *simul gladium sanguine oblitum ostendere, quem in pugna satis inpigre occiso pedite*

1. Cf. Lilie, *l. l.* p. 18-19.

nostro cruentaverat, ubi per sententiam relativam scriptor assurgit ad causam ejus rei quam per participium indicavit [1].

Etsi hoc in genere liberiori modo cum participio alia additamenta conjungi possunt, tamen nonnullas ejusmodi conjunctiones Sallustius prorsus evitat, ut obscurum et impeditum sermonem fugiat. « Ac primum quidem, si a nominativo casu discesseris, accurate respuere videtur hanc orationis formam, ut duo participia, quorum alterum habeat adjectivi, alterum verbi significationem, eodem casu posita juxta collocet », veluti Hist. IV, 19, 13, *abnuente Tigrane, qui mea dicta sero probat* (cf. Jug. 39, 5); at contra Jug. 49, 5. Item sententiam relativam adhibet, ubi cavendum est ne ad participium accedant substantiva vel adjectiva eodem casu posita; excipiuntur tamen nominativus et accusativus: Jug. 103, 2, *ab aliis amicis, quos inconruptos Jugurtha reliquerat*; cf. Hist. IV, 19, 9; I, 45, 24; at contra Cat. 24, 2, *pecuniam sua aut amicorum fide sumptam mutuam Fæsulas ad Manlium quendam portare* (cf. Jug. 47, 1); quæ exceptio inde rationem habet, quod his duobus casibus legitime ponuntur duo nomina quæ inter se per oppositionem aggregantur. « Denique participium non adhibetur, quum nomen quod describendum est comparatur cum altero nomine, veluti Hist. I, 45, 9, *itaque illa quies et otium cum libertate, quæ multi probi potiusquam laborem cum honoribus capessebant, nulla sunt* [2]. »

B. — Participia pro substantivis habita [3].

Quem ad modum adjectiva, saltem ea quæ, præter notæ significationem, simul certum aliquod rerum aut hominum genus quod illa nota insigne est comprehendunt, item satis sæpe adhibet Sallustius participia pro substantivis, qui usus, apud Ciceronem nequaquam infrequens, apud Livium et imprimis apud Tacitum latissime patet. Nec verum est id quod Draegerus (Hist. Synt. p. 41) docuit, ab auctore nostro participia *masculina* substantivorum loco non poni, ut ex exemplis liquet quæ sequuntur; attamen de singulari numero illud affirmari posse videtur [4].

a. — Participia *masculina* pluralis numeri.

1° Participium præteriti passivi occurrit : Cat. 18, 8 et Hist. III, 69, armati; Jug. 94, 5, *cuncti* armati; Jug. 26, 3, armatis (*dat.*); Jug.

1. Sic fere Lilie, *l. l.* p. 19-20.
2. Cf. Lilie, p. 22.
3. Cf. Anschuetz. *Selecta capita de Syntaxi Sallustiana*, p. 27 sqq. cujus indices, accurate quidem recognitos, et aliqua ex parte auctos hic referimus.
4. Unus fortasse locus excipiendus est, Cat. 36, 5, *namque duobus senati decretis ex tanta multitudine neque præmio* inductus *conjurationem patefecerat, neque ex castris Catilinæ quisquam omnium discesserat*, ubi tamen, licet insolita constructione, participium ad sequens pronomen *quisquam* referri possit.

110, 6, *advorsum* armatos; — Jug. 102, 6, coactis (*dat.*); — Cat. 36, 2, condemnatis (*dat.*); Cat. 51, 39, *de* condemnatis; — Jug. 10, 3, *sanguine* conjunctos; — Cat. 52, 17, *de* conjuratis; — Cat. 51, 40, damnatis (*dat.*); — Cat. 6, 6, delecti; Jug. 51, 5, *cum* delectis; — Cat. 59, 3, evocatos; — Cat. 60, 4, *cum* expeditis; — Jug. 54, 1, meritos; — Jug. 94, 6, occisorum; — Jug. 32, 3, *ex* pacatis; Cat. 51, 33, proscriptorum (cf. Hist. I, 36; I, 45, 18); Hist. I, 51, 6, proscriptos; Hist. III, 3, *ex* proscriptis; — Hist. IV, 19, 19, *procul juxta* sitos; — Jug. 38, 5, territos; — Cat. 11, 7, victis (*dat.*); cf. 12, 4; 51, 9; 52, 4.

2° Participium præsentis occurrit: Hist. IV, 19, 4, florentibus (*dat.*); — Jug. 18, 12, imperantium; — Jug. 113, 5, insidiantibus (*dat.*); — Cat. 60, 4, laborantibus (*dat.*); — Jug. 100, 3, merentis; — Jug. 12, 5, occursantis (cf. J. 85, 3); — Jug. 3, 2, parentis (cf. Jug. 102, 7); — Jug. 93, 7, *ex* præsentibus; — Jug. 93, 2 et 4, præliantibus (*dat.*); — Jug. 102, 6, volentibus (*dat.*).

3° Participium futuri: Hist. I, 45, 6, *in post* futuros.

b. — Participia *neutrius generis*, maxime plurali numero, apud Sallustium haud rara sunt:

1° Singulari numero.

Nominat. et Accusat: Jug. 17, 2, compertum; — Cat. 53, 1, decretum (cf. Cat. 51, 36; Jug. 16, 2; 25, 2); — Cat. 24, 1, factum (cf. 51, 32); — Jug. 4, 9, inceptum (cf. 7, 6; 11, 9; 25, 6; 37, 4; 42, 5; 61, 1; 93, 1). — Genit.: Cat. 52, 8, delicti (cf. Jug. 27, 3; 104, 5); — Jug. 27, 1, facti (cf. J. 29, 5; 35, 8); — Dativ.: Cat. 52, 21, delicto; — Jug. 37, 4, incepto; — Cat. 52, 35, peccato. — Ablat.: Jug. 92, 5, *natura velut opere atque* consulto *præceps* (quæ vox pro adverbio posita est Jug. 60, 5; 64, 5); — Cat. 30, 3, decreto (cf. Jug. 28, 3; Hist. inc. 62); — Jug. 39, 2, *ex* delicto (cf. 102, 12); — Jug. 64, 5, *neque* facto *ullo neque* dicto *abstinere*; — Cat. 4, 2, incepto (cf. Jug. 55, 8; 90, 3; Cat. 7, 7); — Hist. III, 48, rapto.

Fatendum est tamen pleraque ex his participiis, propter apud omnes frequentissimum usum, pro veris substantivis haberi solita esse.

2° Plurali numero.

Nominat. et Accusat. sæpissime: Hist. I, 45, 25, *pax et* conposita; — Jug. 11, 1, ficta; — Jug. 62, 3, imperata (cf. J. 77, 3); — Jug. 113, 3, occulta *pectoris*; — Jug. 31, 17, parta; — Jug. 83, 3 postulata; — Hist. inc. 20, *ad* requisita *naturæ*; — et hæc tritissima: acta, consulta, decreta, delicta, deserta, dicta, errata, facta, incepta, jussa, mandata, merita, præcepta, promissa, secreta. — Partic. præsentis: Hist. I, 10, præsentia; — Hist. IV, 56, volentia *plebi facturus habebatur* (*id est*

exoptata); cf. Tac. Ann. 15, 36; Hist. 3, 52. — Partic. futuri : Jug. 1, 5, *nihil* profutura.

Genit. : Jug. 79, 6, gignentium (cf. 93, 4); — Hist. i, 51, 3, decretorum.

Dat. : Hist. iv, 58, cupitis; — Hist. ii, 50, 1, decretis; — Cat. 17, 6, inceptis; — Jug. 31, 19, jussis.

Ablativus sæpius legitur : decretis, dictis, factis, mandatis, præceptis, promissis (passim).

c. — Sæpe autem a Nostro adjectiva neutralia ita usurpantur ut ex præpositionibus pendeant, quod genus dicendi Livio præter ceteros omnes scriptores familiarissimum est. Cf. Drakenb. ad Liv. 28, 3, 9.

Jam plura exempla laudavimus; hæc præterea addenda sunt : Hist. ii, 62, ex composito; — Cat. 16, 3, in præsens; (cf. Hist. iv, 19, 19; iv, 72).

d. — Participia pro substantivis habita cum adverbio pariter et adjectivo posse conjungi constat, Sallustius adjectivum tantum cum participio *facta* plurali numero adhibet : Jug. 85, 21, *eorum fortia facta* (cf. Cat. 59, 6; Jug. 53, 8; 85, 4); Jug. 85, 31, *turpia facta;* Jug. 63, 7, *novos nemo tam clarus neque tam* egregiis *factis erat;* Hist. i, 45, 12, *pro multis et* egregiis *factis*; at singulari numero, vi verbi servata, Cat. 1, 6, mature *facto opus est.* — Contra participium *acta* nonnisi cum adverbio occurrit : Jug. 71, 5, *lacrumans obtestatur per amicitiam perque sua* antea fideliter *acta*; Cf. infra § 4.

C. — Participia quæ vim verbi retinent.

Quum Sallustius in iis participiis usurpandis plerumque vulgarem usum secutus sit, pauca tantum quæ, aut nostro scriptori peculiaria sunt, aut notatione digna videntur, hoc loco ponemus; ad rationem vero eorum participiorum quod attinet, ad grammaticos remittemus, præsertimque ad Madvigium et F. Küttnerium [1].

1° Participium præsentis notum est ad nullum finitum temporis momentum pertinere, sed tempus designare quod cum actione primarii enunciati congruit, nulla consecutionis temporum ratione habita. Aoristica significatione Sallustius præsentem adhibuit Jug. 113, 1, *hæc Maurus secum ipse diu volvens tandem promisit,* quæ constructio apud Tacitum et posteriores scriptores frequentissima, apud classicos rarissima est.

1. *F. Küttner.* Syntaxe de la langue latine à l'usage des classes moyennes du collége royal français. Leipzig, 1861. Cf. etiam *Petrenz.* De participiorum latinorum ratione atque usu.

2° Participium futuri activi, quod a Cicerone semper fere pro substantivo aut adjectivo (cum verbo *esse* expresso vel neglecto) adhibetur, raro autem pro secundario enunciato, id quod Livio usitatissimum est, apud Sallustium hoc sensu invenitur Hist. inc. 16, *graviore bello, qui prohibituri venerant, socios regere*, ubi finem et consilium participium indicat; paulo aliter Jug. 106, 3, *potius quam — incertæ ac forsitan post paulo morbo interituræ vitæ parceret*, ubi vis conditionalis inest. At ablativo absoluto ejusdem participii nullum exemplum inveni, quæ quidem constructio apud Livium primum esse videtur.

3° Participium perfecti nonnullorum verborum deponentium, (raro passivorum), ab optimis scriptoribus aoristi significatione, temporum consecutionis ratione neglecta, usurpatur, quo in usu imitatio Græcorum admitti potest, quanquam classici, qui dicuntur, auctores nonnulla verba ita adhibent. Hæc autem apud Sallustium præcipue inveni; *Arbitratus*, Jug. 69, 1, (cf. Cic. et Cæs.); — *ausus*, Hist. I, 45, 15; — *locutus*, Jug. 91, 1, (cf. Jug. 29, 6, ubi præsenti historico respondet); — *moratus*, J. 76, 1 (cum imperfecto), ubi *morando* expectaretur; J. 54, 1 (cum præsenti historico); —*persecutus*, Jug. 95, 2, ubi pro *persequendo* positum videtur; — *ratus*, Cat. 55, 1 (cum præsenti historico); Jug. 69, 1 (cum perfecto aoristico); (cf. 71, 4; 97, 3, etc., etc.); quod verbum primum a Sallustii ætate pro deficiente participio præsentis usurpari cœptum est;—*usus*, Jug. 25, 4; Cat. 49, 2;— *veritus*, Jug. 15, 5; 50, 1; et cum præsenti historico : Jug. 35, 9; 52, 6; 79, 4.

4° Perfecti passivi participium cum concretæ significationis nomine, pro significationis abstractæ nomine verbali positum, satis raro apud Sallustium occurrit, sed apud Livium et Tacitum multo sæpius, quippe quod ad brevitatem nervosam et ad vividam rei repræsentationem assequendam maxime valeat, ideoque præcipue historicorum sit. Cujus constructionis hæc exempla laudare possumus, ex quibus patet nominativum omnino apud Sallustium, ut apud Cæsarem, deesse, accusativum vero et ablativum, ubi cum præpositionibus jungantur, satis frequenter inveniri :

Accusativo : Jug. 59, 3, *ita expeditis peditibus suis hostis pæne victos dare*, ubi *victos dare* plus valet quam verbum simplex *vincere*, et poetarum antiquiorumque scriptorum more usurpatur; (cf. Ter. Heaut. V, 1, 77, 78; Phorm. V, 8, 81; Plaut. Cist. II, 2, 51; Pers. IV, 1, 9, etc). Cetera locutionum vulgarium cum verbis *volo, habeo, reddo*, etc. exempla consulto negligimus.

Ablativo : Cat. 31, 7, *ne existumarent sibi patricio homini, — perdita re publica opus esse.*

Cum præpositionibus : ab, Cat. 47, 2, *ab incenso Capitolio;* — ante, Jug. 110, 2, *ante te cognitum*; — cum, Jug. 77, 1, *pariter cum capta Thala*; — de, Cat. 48, 4, *de paratis incendiis*; — inter, Cat. 43, 3, *inter hæc parata atque decreta*; Hist. iii, 31 (Arusianus, p. 237) : « Inter illud » pro « cum illud » agitur. Sallustius : *Inter recens domitos Isauros Pisidasque*; — ob, Jug. 55, 2, *ob ea feliciter acta*; 79, 7, *ob rem conruptam*; — post, Cat. 18, 8, *post conditam urbem Romam.*

Idem participium solum Sallustius adhibet neutro genere, ubi cum verbo impersonali *opus est* jungitur, veluti Cat. 1, 6, *et priusquam incipias consulto, et ubi consulueris mature facto opus est*; cf. Cat. 20, 10; 43, 3; 45, 1; 46, 2.

D. — Participium absolutum.

1° Participium absolutum ablativo casu positum, (sicut alia participia), sive præsentis activi, sive perfecti passivi sit, non solum *tempus*, sed etiam *causam*, *modum* vel *conditionem* significare constat, et sic apud Sallustium, ex. gr. : Tempus, Cat. 60, 1, *sed ubi omnibus rebus exploratis Petreius tuba signum dat, cohortis paulatim incedere jubet*; — causa, Hist. iv, 19, 14, *frumentum defuit nullo circum adnitente*; — modus, Jug. 55, 4, *neque post insidias Jugurthæ effuso exercitu prædari*; Jug. 101, 6, (*gladium*) *quem — occiso milite nostro cruentaverat*; — conditio, Jug. 62, 1, *caveat ne illo cunctante Numidæ sibi consulant.*

Notandum est tamen rariorem esse apud Sallustium hanc constructionem quam apud ceteros scriptores præsertimque apud Tacitum, quum ille conjunctiones temporales vel causales frequentissime usurpet.

2° *Subjectum logicum* actionis quæ participio absoluto exprimitur idem plerumque est quod primarii enunciati, cujus verbum activum esse solet; ea vero conditio non omnino necessaria est. Sallustius participium ad objectum primariæ enunciationis retulit Jug. 10, 1, *parvum ego, Jugurtha, te amisso patre, sine spe, sine opibus, in regnum meum accepi.* Cf. Cæs. b. g. 2, 4.

Nonnunquam subjectum primarii enunciati inter duos ablativos ponitur, ut majorem inde vim habeat, quæ constructio apud Cæsarem frequentissima ab aliis quoque scriptoribus, sed præsertim cum pronomine *quisque*, usurpata est. Præsentis vero participium apud Sallustium primum invenitur, Jug. 18, 3, *exercitus ejus conpositus ex variis gentibus, amisso duce ac passim multis sibi quisque imperium petentibus, brevi dilabitur*; cf. Hist. i, 51, 6, *sibi quisque opes aut patrocinia quærundo consilium publicum conruperunt*, ubi eadem construc-

tio gerundivo aptatur, ut sæpe apud Livium, qui etiam participium perfectum passivi sic adhibet.

3° Participium perfecti nonnullorum *deponentium* verborum cum activo sensu usurpari ablativo absoluto notum est, sed ita tantum ut objectum nullum adhibeatur. Sallustius tamen hanc regulam neglexit Jug. 103, 7, *dein Sulla omnia pollicito docti, quo modo —verba facerent, — ibidem opperiuntur.*

Eorum participiorum cum passiva significatione usus, qui apud posteriores tantum scriptores frequens est, apud Sallustium nonnunquam occurrit, veluti Cat. 7, 3, *adepta libertate*, ad quem locum Dietschius docet his obsoletis formis usos esse scriptores in talibus tantum locutionibus, quæ vulgo multum usurpatæ consuetudine ex antiquitate traditæ essent; quapropter hic archaïsmum non admittendum esse. Kritzius vero, qui copiose de hac re disseruit, Zumptio assentiri se posse negat, statuenti non plane passivam esse talium participiorum vim, eoque a probatis scriptoribus structuram ablativorum absolutorum evitari, neque emendate a Sallustio dici *adepta libertate*, et a Livio 37, 8, 17 *classe partita*, et 28, 19, 9 *partito exercitu;* (sed cf. Cæsar. b. g. 66, 33, et Sall. Jug. 43, 1, *consules — provincias inter se partiverant*). Cujus rei ut per se probabilis causa intelligi non potest, ita contrarium demonstratur ex iis locis, quibus aliud quam præteritum tempus legitur, velut Plaut. Trin. 2, 2, 88, *non ætate, verum ingenio adipiscitur sapientia;* Q. Fab. apud Priscian. VIII, 4, 16 (veter. histor. fragm., ed. Frotscher II, 3, p. 365), *amitti quam apisci* (id est *adipisci*). — Adde *dilargitus*, Hist. I, 36, *venditis proscriptorum bonis aut dilargitis* (cf. C. Gracchum, Prisciano teste lib. VIII.)

Notandum est tamen sæpius ea participia a Sallustio alia atque ablativi absoluti constructione usurpari, ut in prima parte hujus operis vidimus.

4° Ablativus absolutus vim substantivi neutrius generis frequenter habet apud Ciceronem, præsertimque apud Livium et Tacitum; Sallustius contra semper fere (Cæsar vero semper) hanc formam participii pro adverbio usurpat, ut *consulto* (Jug. 60, 5; 64, 5). Hæc tamen apud Sallustium exempla notavi, quibus participium absolutum enunciatum secundarium pro subjecto habet : Hist. V, 14, *legiones Valerianæ* comperto *lege Gabinia Bithyniam et Pontum consuli datum, sese missos esse*; (cf. Tac. Hist. IV, 36); Hist. V, 12, *at Lucullus*, audito *Q. Marcium Regem proconsulem — tendere.*

5° Ablativus absolutus, cujus subjectum in primario enunciato versetur, apud Sallustium, ut apud ceteros bonos scriptores, rarus est.

Invenitur tamen Cat. 48, 7, *quo facilius appellato Crasso per societatem periculi reliquos* illius *potentia tegeret*, ubi pronomen subjectum logicum absoluti enunciati est; Cat. 46, 1, *quibus rebus confectis*, omnia *propere per nuntios consuli declarantur*; (cf. Cæs. b. g. 4, 21).

E. — Unum exemplum inveni PARTICIPII IN INTERROGATIVO ENUNCIATO POSITI et a subjecto alterius enunciati pendentis, quæ quidem constructio, utique satis rara, apud Ciceronem tamen aliquoties invenitur : Cat. 33, 5, *ut quæramus quonam modo maxume* ulti *sanguinem nostrum pereamus*. Cf. Cic. in Catil. IV, 9, *cogitate quantis laboribus* fundatum *imperium*, *quanta virtute* stabilitam *libertatem una nox pæne delerit*, ubi ad objectum participium refertur, et Orat. 2, ubi in relativo enunciato versatur participium. (Vid. Madvig, Gramm. lat, § 424, not. 3).

F. — PARTICIPIA PRO ADJECTIVIS IN BILIS DESINENTIBUS POSITA. — Nonnulla adhibet participia Sallustius ita ut, præteriti temporis significatione deposita et adjectivorum natura induta, proxime accedant ad sensum adjectivorum in *bilis* exeuntium, ut Jug. 76, 1, *sed rex*, *nihil jam* infectum *Metello credens* (de quo loco vide Kritzium); cf. invictum (J. 43, 5); coercitum (J. 91, 7); incorruptus (J. 2, 3).

II.

Gerundium et Gerundivum.

1° ACCUSATIVUM *gerundivi* sine præpositione adhiberi notum est cum verbs iquæ *accipiendi* aut *committendi* notionem habeant; sic Sallustius : Jug. 6, 1, *non se luxui conrumpendum dedit*; Hist. III, 82, 6, *cum interim more pecorum vos multitudo singulis habendos fruendosque præbetis*. Paulo aliter Hist. I, 51, 3, *se e contempto metuendum effecit*.

Cum præpositione accusativus *gerundivi*, sequente accusativo objecti apud Sallustium sæpius invenitur :

AD — Cat. 27, 4, *docet se Manlium præmisisse ad eam multitudinem quam ad capiunda arma paraverat*; Jug. 63, 2, *ad quem capiundum præter vetustatem familiæ alia omnia abunde erant;* Hist. I, 45, 25, *tradite exemplum posteris ad rempublicam suimet sanguinis mercede circumveniundam;* Hist. inc. 59, *ad mutandum modo in melius servitium*; (cf. Jug. 95, 3; Hist. I, 45, 3; Hist. III, 82, 7, etc.).

OB — Jug. 89, 2, *existumans Jugurtham ob suos tutandos in manus venturum;* (cf. 102, 12). Nunquam vero *gerundium* cum accusativo

objecti usurpasse videtur, cujus constructionis, teste Gellio, Cicero plura exempla veterum more habet.

2° Genitivus pronominis personalis, qui cum GENITIVO *gerundivi* apud omnes scriptores plerumque invenitur, rarissimus est apud Sallustium, et, ut videtur, tantum in tertia persona usurpatus, ex. gr. Cat. 31, 5, *postremo dissimulandi causa aut sui expurgandi*; Jug. 89, 6, *ejus potiundi Marium maxima cupido invaserat.* — Accusativus pronominis personæ, qui apud Cæsarem, Livium, Velleium omnino deesse videtur et a Cicerone nonnunquam adhibitus est, apud Sallustium cum genitivo gerundii junctus est Jug. 24, 2, *quem tanta lubido extinguendi me invasit.* — Accusativus substantivi, quod apud Ciceronem nonnisi concinnitatis causa exstare videtur, apud Sallustium occurrit Jug. 50, 4, *neque contra feriundi aut conserundi manum copia erat.* Accusativus substantivorum aut adjectivorum neutro plurali etiam satis rarus: Hist. inc. 63, *more humanæ cupidinis ignara visundi* (cf. Jug. 93, 3).

Notandum est hic substantivum *copia*, quod cum genitivo gerundii jungi solet (cf. Jug. 18, 5; 50, 4, etc.), cum infinitivo inveniri Cat. 17, 6, *quibus in otio magnifice vel molliter vivere copia erat.* — Similiter *necessitudo* non nisi cum infinitivo occurrit : Jug. 102, 5, *simul nobis demeres acerbam necessitudinem pariter te errantem atque illum sceleratissumum persequi.* — *Tempus* cum genitiv. gerundivi est Jug. 97, 1, at cum *ad* et accusativo Jug. 12, 2, *itaque tempus ad utramque rem decernitur, sed maturius ad pecuniam distribuendam.*

GENITIVUM gerundivi cum genitivo substantivi junctum, et ex verbo *esse* expresso vel supplendo aptum ad qualitatem designandam, apud Sallustium haud rarum esse supra demonstravimus (Vid. ad genitivum, p. 130).

Cum genitivo gerundivi adjectivum *avidus* primus junxisse videtur Sallustius, Jug. 35, 3, *avidus consul belli gerundi.*

3° DATIVUS gerundii cum accusativo objecti apud Sallustium non inveni; dativus gerundivi et substantivi multo rarior est apud eum quam apud Ciceronem ac præsertim apud Livium : Jug. 42, 1, *alterum triumvirum coloniis deducundis* [1]; Hist. inc. 58, *quæ causa fuerat novandis rebus.* — Adjectivum *utilis* nunquam cum dativo gerundivi, sed cum *ad* præp. et accusativo jungit Sallustius Jug. 111, 4.

4° ABLATIVUS gerundii instrumentalem plerumque significationem habet : Hist. I, 45, 1 bis, *quo — aut, si provideritis, in vitandis periculis magis quam* ulciscendo *teneamini* (cf. Jug. 13, 6; Cat. 54, 3, etc.);

1. In ejusmodi locutionibus dativum per detractionem verbi *creatum* (vel *dictum*) recte explicat Jordanus, *Kritische Beitraege zur Geschichte der lat. Sprache*, p. 286.

cum accusativo objecti, præsertim neutro adjectivorum Cat. 59, 6, *ea commemorando militum animos accendebat*; Jug. 85, 36, *hæc atque talia majores vostri faciundo seque remque publicam celebravere;* Jug. 27, 1, *idem illi ministri regis, interpellando ac sæpe gratia interdum jurgiis trahendo tempus, atrocitatem facti leniebant*; cf. Jug. 85, 21; 103, 2; Hist. I, 45, 1; I, 51, 6, etc.

Ablativus gerundii cum præpositionibus junctus, quæ constructio apud classicos auctores satis rara est, apud Nostrum occurrit passim :

a. — Cum *in* sine objecto, Cat. 52, 21, *animus in consulundo liber*; Jug. 6, 1, *pleraque tempora in venando agere;* Hist. III, 88, *et forte in navigando cohors una — a ceteris deerravit.*

b. — Cum *ab*, Jug. 50, 6, *ab persequendo hostis deterrere nequiverant.*

Ablativus gerundivi cum substantivo juncti instrumentali significatione occurrit Cat. 6, 5, *magisque dandis quam accipiundis beneficiis amicitias parabant.*

Ablativus gerundivi cum substantivo et præpositione juncti, etsi frequentior utique est, tamen apud Sallustium non ita creber. *In* occurrit Hist. I, 45, 1 *bis* et 21 ac Cat. 20, 11.

5° Verba intransitiva aut impersonalia gerundio cum eo quem regant casu jungi solere constat, at tamen verba *utor, fruor, fungor, potior, lætor*, quæ apud nonnullos auctores cum accusativo jungantur, passivi gerundivum habere. Ejus constructionis hæc tantum exempla apud Sallustium inveni :

Fruor : Hist. III, 82, 6, *vos multitudo singulis habendos fruendosque præbetis.* — *Lætor* : Jug. 14, 10, *lætandum magis quam dolendum puto casum tuum* (cf. Cat. 51, 29, *ea populus lætari*).—*Potior* : Jug. 37, 4, *aut cupidine cæcus ob thesauros oppidi potiundi, vineas agere* (cf. Jug. 89, 6); at Hist. inc. 91, *cuncta potiundi*, cum accusativo objecti gerundium est, priscorum more ac præsertim Sisennæ, qui duo exempla accusativi habet, nullum autem ablativi. — *Fungor* et *utor* vacant.

Falso autem impersonale *pœnitet* a Klotzio aliisque laudatur Jug. 85, 28, *reputate num eorum pœnitendum sit*, quum gerundium passiva vi omnino carere nostra ætate demonstratum sit. Nec magis passiva vis inest in his exemplis : Jug. 62, 8, *Jugurtha — cum ipse* ad imperandum *Tisidium vocaretur*; Jug. 5, 3, *quo* ad cognosce *omnndumia inlustria magis magisque in aperto sint*, ut nonnulli voluerunt; cujus erroris Romani ipsi ansam dederunt, cum minus diligenter gerundium aut ad aliud quam quod enun-

ciati est subjectum referrent, aut substantivi verbalis instar ponerent quod in genitivum potissimum cadat. (Cf. Kritz., Dietsch., Jacobs., ad Jug. 62, 8). Ad Jug. 62, 8 quod attinet, locutionem *ad imperandum* ex usu quotidiani sermonis quasi in solemnem formulam abiisse recte docet Kritzius, neque Sallustius contra ætatis suæ consuetudinem scripsisse videtur. Ambiguitate hujus constructionis abusus Cicero, ad Fam. IX, 25,3, jocose dixit : « *nunc ades* ad imperandum *vel* ad parendum *potius*; *sic enim antiqui loquebantur*, » quod quidem Bœtticherum (Lex. Taciti p. 243) in absurdum errorem induxit, qui nostro et Ciceronis loco effici putat verbum *imperare* prisco more plane idem valuisse quod *parere* [1].

6° Verbis *decernere*, *statuere*, similibusque quæ consilium significant, Sallustius haud raro pro nudo infinitivo accusativum cum gerundivo junxit, quo consilium ex ejus, qui illud ceperit, sententia e necessitate quadam profectum esse indicetur, ex gr. : Jug. 39, 5, *ex copia rerum statuit nihil sibi agitandum* (cf. 54, 5); Cat. 50, 4, *supplicium sumundum decreverat*. Hanc structuram etsi rariorem esse Dietschius dicit, Bremio adversante qui (ad Nep. Eum. 8, 4, *statuit aliquid sibi consilii novi esse capiendum*) verba *decernendi*, etc. frequentius adjunctum habere gerundivum cum *esse* copulatum pro infinitivo præs. activi monet, tamen inter utramque, præterquam quod gerundivo magis judicium quid necessarium sit quam consilium significatur, nihil fere discriminis interesse vel inde patet, quod de eadem re legimus Jug. 4, 3, *quia decrevi procul a re publica ætatem agere*, et Cat. 4, 1, *mihi reliquam ætatem a re publica procul habendam decrevi*.

III.

Supinum.

A. — Supini accusativus.

1° Verba diversa numero 179 supino, 57 autem infinitivo futuri passivi usurpata fuisse Draegerus docet, inter quos hæc præsertim supina, a Sallustio adhibita, notanda judicavi :

Aquatum egressus (Jug. 93, 2; cf. Liv. 31, 42, 2); — *auctum* (Hist. III, 82, 16), a solo Sall. usurpatum; — *cognitum* misit (Jug. 93, 7); — *deditum* (Jug. 28, 2); — *evorsum* profecti sunt (Hist. I, 45, 23); — *excubitum* mittere (Jug. 100, 4); *exploratum* (Jug. 54, 2; 105, 5), quod apud Cæsarem deesse videtur, sed a Nepote et Livio frequentius usurpatum est; — *obsessum* (Jug. 103, 1); — *postulatum* (Jug. 83, 1);

1. Sic fere Kritzius ad Jug. 62, 8, apud quem plura lege, si velis.

— *questum* (Jug. 20, 5), quod Cæsar, Cicero, Justinus semel adhibuerunt, Livius autem sexies (Draeger); — *rogatum* (Jug. 77, 2); — *speculatum* (Jug. 108, 1); cf. Plaut. (semel) et Livium (undecies); — *altum* apud Sallustium primum est Jug. 68, 1; cf. Hist. III, 22, 17, Liv. 2, 6, 3, et posteriores scriptores; — *visum* (Jug. 94, 5).

2° Ceterum « verborum motum significantium maximeque *ire* verbi cum supino structura, qua conatus studiumque aut voluntas aliquid faciendi indicetur, satis frequens est apud Sallustium » (Badstuebner). *Ire* [1] cum supino pluribus locis legitur : Cat. 52, 12, *ne — et, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnis perditum eant* (cf. Cat. 36, 4; Jug. 31, 27); Jug. 85, 42, *bonorum præmia ereptum eunt* (cf. Liv. 28, 41, 2); Jug. 68, 1, *cum maxuma cura ultum ire injurias festinat.* « Quæ dicendi ratio, inquit Badstuebner, quantum ex frequenti comicorum usu conjici licet, in quotidiana vita latissime videtur patuisse; quam ob rem Zumptius § 669 et Madvigius § 411, 1 supinum cum *ire* verbo junctum nihil aliud esse censent quam ejus verbi circumscriptionem, a quo supinum derivatum sit, ut *perditum ire* fere idem valeat quod ipsum *perdere*, *ereptum ire* quod *eripere*, etc. » Quam sententiam Kritzius, (cui equidem assentior), non probat, et ad Ger. J. Vossium remittit, de analog. 3, 17, p. 81 ita disserentem : « Nec dissimulare possum in hujusmodi circumlocutione etiam inesse notionem *futuri*. Quum dico ire perditum, indico quid fiat et quid futurum; nempe hoc agi, ut perditio alicujus consequatur. » (Cf. Liv. 3, 63, 5, ed. Drakenb., Tac. ann. 14, 1; Horat. od. I, 2, 15, et Græcorum verbum μέλλειν, gallice *aller*).

Eodem modo ad verbi *ire* analogiam *properare* cum supino junctum legimus Hist. III, 82, 16, *ultroque licentiam in vos auctum atque adjutum properatis*; cf. Hist. V, 18. Multo audacius Hist. III, 22, 17, *neque ego vos ultum injurias hortor*, ubi Badstuebner, quem probat Schultzius, ellipsin statuendam esse censet, nisi *ire* vocem librariorum negligentia excidisse putemus; falso equidem, cum motus notio in verbo *hortor* latere perspicuum sit. Cf. quæ Fabri ad Hist. III, 82, 16 ait : « Das Supinum findet sich zwar ausser dieser Stelle nirgends bei *properare*, ist aber bei diesem Verbum, mit dem sich der Begriff der Bewegung verbindet, nicht befremdlich. Auffallender erscheint es bei *hortor*. Doch ist es vielleicht unnœthig eine Ellipse von *ire* anzunehmen, denn

1. Cæsar et Cicero plerumque post verba *mittere* et *venire* supinum ponunt; Cicero rarissime *ire* cum supino habet, Cæsar autem nunquam; hic præterea post verba *collocare* et *progredi* supinum usurpat; Livius et Tacitus multo liberiores in eo adhibendo sunt.

die *ältere* Sprache scheint überhaupt das Supinum in grœsserer Ausdehnung als die spætere gebraucht zu haben. »

3° Objecta supinorum varias formas exhibent :

a. Substantivi, veluti Jug. 93, 7, *Marius cum Ligure promissa ejus cognitum ex præsentibus misit* (cf. Jug. 28, 2; 77, 2; Hist. III, 82, 16, etc.).

b. Substantivi enunciati cum *ne*, Jug. 83, 1, *legatos ad Bocchum mittit postulatum ne sine causa hostis populo Romano fieret.*

c. Obliquæ interrogationis, Jug. 54, 2, *tamen interim transfugas et alios opportunos, Jugurtha ubi gentium aut quid agitaret, cum paucisne esset an exercitum haberet, ut sese victus gereret exploratum misit.*

B. — Supinum in u.

1° « De altero supino in *u* desinenti, quod plerumque ablativus ac nonnunquam dativus nominis verbalis est (cf. Prisc. 9, 9), pauca adjicere eo minus inutile esse videtur, quod interpretes pluribus locis, ubi illa verbi forma a scriptore usurpata est, in statuendo illo quod verum est parum consentiunt. Kritzius enim et Herzogius ex nonnullorum codicum fide participium perfecti passivi *factum* pro supino *factu* scripserunt Cat. 32, 1, *optumum factu credens exercitum augere*, itemque Cat. 55, 1; 57, 5; Jug. 107, 5. Kritzius discrimen quod inter utramque structuram intercedit sic statuit, ut participio perf. pass., quod rem perfectam significet, tantummodo singulare aliquid notari existimet; supinum autem, quo generalis contineatur verbi notio, universe rem agendam exprimere et latius patere. Ad quam sententiam stabiliendam laudat Bentleium ad Ter. Andr. I, 5, 1, *hocinest factu humanum aut inceptu?* Cic. off. I, 3, 7, *honestumne factu sit an turpe dubitant id quod in deliberationem cadit*, quam sententiam Horatius, ut poeta, ad singulam rem revocaverit Sat. I, 4, 124, *sive vetabat, an hoc inhonestum et inutile factum necne sit, addubites.* Eamdem rationem affirmat Sallustianorum exemplorum esse, ubi, quæ adhuc peragenda sint, quasi jam facta in unum comprehendantur, quo artificio et Græci et Romani haud parum perspicuitatis et elegantiæ orationi concilient. Fabrius contra, optimorum librorum auctoritate nisus, altèramque locutionem ullo alius scriptoris exemplo satis muniri defendique negans supinum retinuit, quod idem quamvis invitus Dietschius fecit. Is enim participium, quippe in quo major vis insit, quum quod futurum sit jam perfectum cogitetur, Sallustii ingenio magis convenire concedit, qui quidem pari modo *opus est* semper cum ablat. participii perf. pass. junxerit. Quibuscum si comparaveris quæ Herzogius ad Cat. 32, 1 de ea re sta-

tuit, facile in eam opinionem adduceris, ut nulla alia ratione utra locutio probanda sit diju icari posse existimes, quam si, quibus potissimum libris fides habenda sit, exploratum fuerit. » Sic Badstuebner, p. 49-50; nos vero opinionem Fabrii amplexi Jordani scripturam *factu* admittendam censemus.

2° Notatione digna videtur hæc locutio, quæ quasi formula apud Sallustium occurrit : Cat. 6, 2, *hi postquam in una mœnia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alii alio more viventes*, incredibile memoratu *est quam facile coaluerint*, ubi subjectum logicum initio protasis positum est, et verba *incredibile memoratu est* anacoluthon quodam modo efficiunt; cf. locutionem græcam θαυμαστὸν ὅσον, et apud Nostrum *immane quantum* (Hist. II, 7, 6). Similiter Cat. 7, 3 et Jug. 40, 3. — Ad constructionem quod attinet, cf. Madvig, § 476 *d*.

CAPUT V.

DE PARTICULARUM USU.

I.

Copulativæ particulæ (*et, quæ, atque, nec*).

1° *Et*.

Et nomina consulum conjungit Cat. 17, 1, *L. Cæsare et C. Figulo consulibus*, item C. 38, 1, etsi particulam classici auctores nunquam usurpant, nisi ubi prænomina desunt (cf. Cic. de Sen. 10; 24; 50). Similiter Tacitus (Ann. IV, 68) : *Junio Silano et Silio Nerva consulibus.*

Ante duo substantiva per particulam *et* juncta plerumque præpositio non repetitur; nonnullis tamen locis apud Sallustium repetita occurrit : Cat. 52, 17, *quare cum de P. Lentulo ceterisque statuetis, pro certo habetote vos simul de exercitu Catilinæ et de omnibus conjuratis decernere* (cf. J. 102, 2; 111, 1); Jug. 81, 1, *secum et cum aliis gentibus*; J. 85, 40, *ex parente meo et ex aliis sanctis viris.*

Et, ad conjungendum negativum enunciatum cum affirmativo, rarum esse satis constat; quæ constructio invenitur his fere locis : Cat. 51, 27, *ab dignis et idoneis ad indignos* et nor *idoneos*, ubi sensus affirmativus est (cf. J. 84, 4; 85, 37); J. 21, 2, et *quia diei extremum erat prælium* non *inceptum;* J. 31, 20; 64, 6, *et animo cupienti nihil satis festinatur*; J. 110, 4, *sume, utere et, quoad vives, numquam tibi reddi-*

tam gratiam putaveris; (cf. J. 95, 4, *atque — numquam;* H. II, 50, 9, *atque ego — non deprecor*); item sæpe apud Tacitum et posteriores; Cæsar vero et Livius eam structuram non habere videntur. — *Et non* invenitur etiam, ubi notio tanquam falsa indicata per particulas *quasi, tanquam*, etc., in sequenti enunciatione corrigenda est, ut Cat. 52, 15, *quasi vero mali atque scelesti tantum modo in urbe, et non per totam Italiam sint*; similiter *ac non* legitur J. 4, 8, *proinde quasi — sint, ac non perinde habeantur, ut eorum qui ea sustinent virtus est* (cf. Ciceronem). Particula contra deest Jug. 31, 10, *proinde quasi ea honori, non prædæ habeant.*

Sin vero primo loco negativum enunciatum positum sit, *que* particulam libentius adhibet Sallustius, et tunc vim adversativam habet particula, ex. gr. Jug. 1, 2, *neque majus aliud neque præstabilius invenias, magisquè naturæ industriam hominum quam vim aut tempus deesse*; Cat. 48, 4, *qui Catilinæ nuntiaret ne eum Lentulus et Cethegus — terrerent, eoque magis properaret;* (cf. J. 70, 5; H. I, 45, 26; III, 82, 26); — *ac* legitur J. 107, 3, *ille lacrumans orare ne ea crederet;nihil dolo factum ac magis calliditate Jugurthæ*; cf. Cic. pro Rosc. Am. 4, 10 (*et*).

Et vi explicativa apud Sallustium, præsertim cum *is* pronomine conjunctum, sæpius occurrit, ut Hist. IV, 19, 5, *una et ea vetus causa bellandi est;* Jug. 85, 3, *bellum parare —, domi forisque omnia curare, et ea agere inter invidos, occursantis, factiosos, opinione, Quirites, asperius est*; similiter cum *idem*, J. 31, 12, *homines sceleratissumi, — nocentissumi et eidem superbissumi*; (cf. J. 14, 11, *fratre meo* atque eodem *propinquo suo interfecto*). — *Que* vim explicativam quoque habet, ut J. 2, 3, *postremo corporis et fortunæ bonorum ut initium sic finis est, omniaque orta occidunt et aucta senescunt*; 9, 3, *et Jugurtham beneficiis vincere aggressus est, statimque eum adoptavit et — heredem instituit.* — Item *atque*, sed plerumque majore vi addita, ut J. 89, 6, *Capsenses uno modo atque ea intra oppidum jugi aqua, cetera pluvia utebantur*; 94, 2, *denique multis locis potitur ac plerisque exercitu incruento* (cf. 14, 11; 101, 2, etc.).

Similiter *et* post verba *multus* et *plurumus*, ante adjectivum qualitatis, ut solet, vim explicativam habet: Jug. 32, 2, *pluruma et flagitiosissuma facinora facere*; Cat. 20, 3, *multis et magnis tempestatibus*; 51, 35; J. 5, 4; H. I, 45, 12; IV, 19, 7; cf. *atque*, J. 102, 10, *multa atque opportuna habes*; *que* J. 2, 4; 28, 5; 62, 9; 78, 5, *multi vastique loci erant.* At non minus sæpe apud Sallustium particula omittitur, ut J. 14, 17, *ubi non majorum meorum hostilia monumenta*

pluruma sint; C. 15, 1, *multa nefanda stupra fecerat* (cf. C. 19, 5; 51, 6); H. II, 50, 14, *multi ingentes labores*. Adde Jug. 30, 3, *multa superba et crudelia facinora nobilitatis ostendere*, ubi duo adjectiva qualitatis occurrunt per particulam *et* juncta. Quæ constructio satis rara est; confer tamen Cic. Acad. I, 6, 23; ad fam. V, 17, 3, ubi inter *multus* et alterum adjectivum deficit *et* particula.

Et præterea (Cat. 50, 4) propter omnium bonorum codicum consensum servandum videtur; (cf. Cic. ad fam. III, 10, 1).

Et alii (*alia*), variis casibus, quod apud Livium solum frequentissimum est, apud Sallustium multo sæpius quam apud æquales occurrit : Cat. 51, 32; J. 40, 2; 44, 5; 54, 2 et 6; 67, 1; 75, 3; 100, 5; H. I, 26; 45, 5; 51, 19 et 22; II, 29, 2; III, 22; III, 77, 15; IV, 18; inc. 56. Contra *aliique*, etc., legitur minus sæpe : Cat. 51, 40; J. 13, 7; 27, 5; 72, 1; 97, 1; 104, 4; 105, 3; H. II, 29, 2. — *Et ceteri* : Cat. 30, 7; 51, 7; H. I, 10; I, 51, 22; J. 43, 3; at *ceterique* totidem fere locis.

Et particulæ hæc præsertim adverbia junguntur : *et postea* (J. 73, 7; 77, 2; H. IV, 82, 19); *et jam* (J. 52, 3); *et jam antea* (J. 11, 3; 24, 4). Adde *et tum* (H. III, 77, 10; cf. *ac tum*, Jug. 46, 1; 102, 14; H. III, 89); *et sane* (J. 42, 2; 100, 5); *et profecto* (J. 85, 23 et 48); *et forte* (J. 93, 4; H. III, 5 et 88).

Et pro *atque* post adjectivum *par* ponitur : Cat. 3, 2, *tametsi haud quaquam par gloria sequitur scriptorem et auctorem* [1] *rerum*; Hist. III, 1, 6, *itaque meo et hostium exercitui par conditio est*; item cum adverbio *pariter* J. 88, 2; cum pronomine *idem*, Cat. 58, 10; Jug. 83, 1; 85, 1 et 33.

Et pro *etiam*, quod apud Cæsarem semel tantummodo legitur et apud Ciceronem satis frequens est, raro a Sallustio adhibitum est. Hæc tamen exempla laudantur : Jug. 20, 1, simul et *illorum pollicitationibus accensus*; (cf. 25, 5; 84, 5; 97, 1); Cat. 35, 3, *non quin æs alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem*, (*et* [2] *alienis nominibus liberalitas Orestillæ suis filiæque copiis persolveret*), *sed quod*..., quo loco solo Jacobsius *et* pro *etiam* positum esse admittit; tamen in locutione *simul et* non negari potest particulam *et* vim pro-

1. Sic Charisius (p. 215), Gellius, IV, 15, et codex Parisinus optimus cum plurimis aliis; Dietschius vero *actorem*, scripturam nonnullorum bonorum codicum præfert. Cujus sententiam Gruendelius (De locis aliquot Sallustianis, p. 1-2) optime refellit, docens *auctorem* eum esse quo res aliqua proficiscatur, *actorem* vero eum qui rem studiose persequatur; cf. Vell. II, 10 *facinoris auctor*; Suet. *Aug.* 28, *auctor optimi status*.

2. Inutilem correctionem *at* Jordanus in textum admisit; Kritzius scribit *quum et*, nos vero in prima parte periodi Jordanum, in secunda parte (id est in adhibenda parenthesi et particula *et* pro *at*) Jacobsium sequi maluimus, optimorum codicum fide.

priam habere, ac si non idem omnino quod *etiam* valeat, tamen ad hujus adverbii sensum propius accedere.

Et pro *cum* in temporalibus enunciatis apud Sallustium primum invenitur Jug. 97, 4, *igitur simul consul ex multis de hostium adventu cognovit, et ipsi hostes aderant*, ut apud Vergilium, ac præsertim Tacitum et posteriores : quæ constructio ex hac altera oriri videtur qua *et* post *idem* (*eodem tempore — et*) ponitur; cf. Cæs. b. g. I, 37.

Rarior est tertii vel quarti membri per particulam *et* adjunctio, nisi propria significatio addatur, ut Jug. 14, 11 (*me*) *extorrem patria domo, inopem et coopertum miseriis effecit*; J. 41, 9, *invadere, polluere et vastare omnia*; attamen his locis :J. 85, 41, *sudorem, pulverem et alia talia relinquant nobis*; J. 95, 3, *facundus, callidus et amicitia facilis*; item Hist. I. 10; I, 45, 25; III, 82, 18; IV, 19, 16; IV, 51, nihil tale admitti potest. Ceterum *que* tunc sæpius occurrit.

Et in polysyndetis duorum membrorum adhiberi solere constat; et apud Sallustium sæpissime ita usurpatum invenitur : Cat. 1, 6; 3, 1; 5, 1, etc.; Jug. 3, 2; 4, 4; 7, 5, etc.; Hist. I, 45, 19; II, 50, 11; III, 77, 5. — *Que*, quod in hac constructione a priscis auctoribus tantum et poetis usurpari solet, apud Nostrum satis frequenter occurrit, sed semper cum pronomine (plerumque personali) in priori membro : Cat. 9, 3, *seque remque publicam curabant*; (cf. C. 36, 4; J. 10, 2; 79, 9; 85, 36); Jug. 85, 26, *cum meque vosque male dictis lacerent*; (cf. J. 21, 4; 85, 47; 110, 8); Jug. 100, 5, *illoque aliisque temporibus.* [1] — Item post unum pronomen in posteriori membro : Cat. 35, 3, *sed quod non dignos homines honore honestatos videbam, meque falsa suspicione alienatum esse sentiebam*; cf. J. 25, 5; C. 27, 4; 43, 3; 60, 7; — duo pronomina sunt Cat. 58, 4, *quantam* ipsi nobis*que cladem attulerit.*

2° *Que.*

Sallustius primus esse videtur qui *que* particulam cum præpositione junxerit, ubi jam non expressa sit eadem præpositio, ut Cat. 6, 1, *habuere initio Trojani cumque eis aborigines*; 48, 5, *deque ea re postulant uti referatur*; cujus constructionis Cæsar tria tantum exempla habere videtur, Livius vero et posteriores eam sæpius adhibent. —Post *per* bis repetitum, Jug. 58, 5, *per amicitiam perque rem publicam obsecrat*; J. 71, 5, *per amicitiam perque sua antea fideliter acta.*

Que in formulis duo substantiva jungit ut *oneri miseriæque* (C. 10, 2); cf. *nobis sumptui onerique* (H. III, 1, 9); *nomen gloriamque* (J. 18, 12); *senatus populusque Romanus* (J. 21, 4), cujus apud Sallustium duæ multo rariores aliæ formæ occurrunt : *senatus et populus*

1. Livius duo relativa enunciata per *que* bis repetitum jungere solet. (Dræger.)

Romanus (J. 9, 2; 104, 5; 111, 1), *populus et senatus Romanus* (J. 41, 2). Tertia forma addenda sit, si scripturam Kritzii ex Cortii conjectura ortam accipias, Jug. 112, 3, *tum fore uti jussu senatus atque populi Romani fœdus fieret*, ubi tamen plurimi et optimi codices *senatus aut populi* exhibent, alii vero *sen. aut pop. Romani*; quapropter Dietschius glossemate admisso verba *senatus aut* et *Romani* uncis inclusit, et scribendum censuit *jussu populi fœdus fieret*; ego vero cur codi cum scriptura optimorum non asservaretur plane non video, et cum Jordano et Jacobsio *aut* servandum existimo, eo tutius quod nullum apud alium scriptorem hujus structuræ exemplum inveniatur. — Adjectiva quæ per particulam *que* junguntur plerumque aut synonyma sunt, ut *carus acceptusque* (J. 12, 3; 70, 2; 108, 1); *dies festus celebratusque* (J. 66, 2); *incerti ignarique* (J. 67, 1); *par similisque* (C. 14, 5); *boni honestique* (J. 85, 49), etc.; aut opposita, ut *novi veteresque* (J. 87, 3); *malæ secundæque res* (H. II, 50, 1), etc. — Item verba nonnisi fere in formulis per *que* junguntur, ut *fugant funduntque* (J. 21, 2); *fusi fugatique* (J. 52, 4; 79, 4; 99, 3); *pulsi fugatique* (J. 74, 3); *celebratus auctusque erat* (J. 86, 3); *voveo dedoque* (H. II, 50, 10); *moneo hortorque* (J. 31, 25; H. IV, 19, 23); *moneo quæsoque* (H. III, 1, 8; 82, 13); *moneo obtestorque* (J. 10, 3); *rebus paratis conpositisque* (J. 43, 5; cf. J. 94, 1), etc.

Interdum a privata notione ad communem per particulam hanc transitur, ut Jug. 14, 2, (*me*) *regno fortunisque omnibus expulit.*

Que pronominibus relativis adjungitur, ut sæpe apud Livium : Cat. 9, 4, *qui— pugnaverant, quique tardius revocati prœlio excesserant*; 14, 2; Jug. 40, 1 ; H. III, 82, 3.

Que (nunquam *et*) post interrogativum pronomen cum adverbio *ubi* jungitur : Jug. *quid* ubique *hostis ageret explorare* (cf. J. 54, 2, inverso ordine: ubi *gentium* aut quid *agitaret*); audacius Cat. 21, 1, *quid* ubique *opis aut spei haberent* (cf. C. 27, 1, *quem ubique*). Similiter duo interrogativa pronomina junguntur Cat. 23, 4, *quæ quoque modo audierat*, et Cat. 5, 9, *quo modo rem publicam habuerint quantamque reliquerint* (cf. C. 47, 1, *quid aut qua de causa consili habuisset*), quibus locis posterior interrogatio ad priorem levi quadam attractione ita refertur ut, si utramque distinguere velis, demonstrativum in altero membro sit supplendum hoc modo : *quæ et quo modo* ea *audierat*; paulo aliter Jug. 30, 1, *postquam res in Africa gestas quoque modo actæ forent fama divolgavit*; — more solito : Jug 17, 7; 31, 2; 33, 4; 40, 3 ; Cat. 58, 4.

Atque, ad majorem vim addendam, sine adverbio sequente : Cat.

52, 35, *alii intra mœnia atque in sinu urbis sunt hostes*; Jug. 98, 2, *cum tamen barbari nihil remittere atque, uti reges præceperant, noctem pro se rati, acrius instare.*

3° *Atque.*

Atque opposita inter se jungere solet, ut Jug. 8, 1, *novi atque nobiles*; Jug. 31, 12 et 80, 5, *honesta atque inhonesta;* C. 20, 7, *nobiles atque ignobiles*; C. 37, 7, *privatis atque publicis largitionibus*; sæpius vero synonyma, et tunc plerumque, ut diximus, alterum membrum majorem vim habet, ex. gr. : *monet atque obtestatur* (J. 49, 2; 62, 1); *dubias atque asperas res* (C. 10, 2); *violentia atque crudelitate* (C. 33, 1), etc.. Ceterum multis locis fatendum est, ut apud ceteros scriptores, hanc particulam idem valere quod *et* vel *que*.

Pariter ac legitur J. 100, 5; *pariter ac si*, J. 46, 6; 102, 7; *pariter atque*, J. 100, 1; 113, 3.— *Juxta ac*, C. 37, 8; *juxta ac si*, J. 45, 2; (cf. Cic. Post red. in sen. 8, 20); *juxta atque*, J. 95, 3, ubi correctionem a Jordano propositam *juxta atque doctissumi* (pro *doctissume*), et a Jacobsio probatam accipiendam censeo [1]. — *Contra ac*, quæ constructio apud Ciceronem primum (in Verr. 4, 6; pro Sulla 24, etc.), exstare videtur, apud Nostrum est Cat. 60, 5, *contra ac ratus erat*, et postea rarior fit. — *Haud secus atque*, J. 79, 6, 100, 4; 105, 2. — *Alius ac*, J. 15, 1; *aliter ac*, J. 7, 3; *alius atque*, C. 37, 10; *aliter atque* (J. 72, 1).

In formulis interdum ad arbitrium, particula mutata, *atque* adhibet Sallustius, ex. gr. : H. I, 51, 10, *dum — ferro atque flamma urbem invadat*, pro *ferro ignique*; C. 53, 2, *mari atque terra*, pro *terra marique*, sine dubio quia verba *domi militiæque* prægrediuntur, ne particula *que* repeteretur; nam *terra marique* occurrit C. 13, 3.

Atque pro *aut* positum videtur Cat. 52, 8, *qui mihi* atque *animo meo* nullius *unquam delicti gratiam facissem.*

4° *Neque.*

Formam *nec* magis vim negativam, formam vero *neque* magis vim copulativam habere contendunt Klotzius et Georgius, Kruegerus contra et Madvigius nullam inter duas formas discrimen admittunt, quod veri similius est. Nam Sallustius nunquam fere formam *nec* adhibuit, nisi Jug. 107, 1, *nec quemquam decere* (at Jug. 85, 47 legitur *neque quemquam*), et H. II, 50, 7, *nec minus Italiæ marituma,*

1. Hic Draeger, qui codicum testimonio *doctissume* scribit, *atque* idem valere quod germanice *und zwar* contendit. Vogel vero Ὁμοιότητες Sallustianæ, p. 51, scribendum censet : *Sulla — litteris Græcis atque Latinis juxta eruditus*, argumentum afferens quod Hegesippus, Sallustii devotissimus sectator, simillimo loco, omissis verbis *atque doctissume*, hæc dicit : I, 38, 11, *eruditi Latinis juxta et Græcis litteris.*

ubi tamen *neque* bis in prægresso periodo inest; cf. *neque minus* (J. 98, 4).

Explicativa significatio exstat J. 112, 3, *tum fore uti jussu senatus aut populi Romani fœdus fieret, neque hominem nobilem relictum iri;* H. I, 45, 24, *neque aliter rem publicam et belli finem ait, nisi*, etc..

Pro adversativa particula positum est Jug. 20, 5-6, *qui* (*Adherbal*) —, *prius tamen omnia pati decrevit, quam bellum sumere, quia temptatum* (*bellum*) *antea secus cesserat. Neque eo magis cupido Jugurthæ minuebatur*; (cf. J. 31, 27; 57, 3; 105, 2; H. I, 89); C. 24, 3, *post ubi ætas tantum modo quæstui neque luxuriæ modum fecerat.*

5° *Quoque.*

Quoque apud Sallustium satis rarum est; bis enim tantummodo inveni : J. 79, 2 et H. inc. 45.

6° *Que etiam.*

Notanda est rarissima conjunctio *que etiam*, Jug. 1, 5, *multaque etiam periculosa petunt*; (cf. Suet. *Vesp.* 14). — *Etiam* cum negativo adverbio, ubi *ne— quidem* exspectaretur, H. I, 51, 6, *nusquam etiam tum Lepidum progressum aiebant.*

7° *Copulativarum particularum inter se variæ conjunctiones.*

a — Que et, in polysyndetis, quæ conjunctio apud Ciceronem, Cæsarem ac Nepotem deest, et veterum poetarum est, sæpius a Sallustio in Jugurtha usurpata sunt, sed semper ita ut *que* pronomini aut adverbio demonstrativo adjunctum sit, ut J. 26, 1, *uti seque et oppidum Jugurthæ tradat* (cf. J. 55, 1 ; 91, 2); J. 104, 1, *illosque et Sullam*; (cf. J. 76, 6, *que et — et*); J. 89, 7, *ibique et in omni Africa*; cf. Tac. Hist. IV, 2 et 42 et Livium, qui duo substantiva præcipue sic jungit. — Similiter *que — que* Sallustio usitatiorem constructionem esse supra demonstravimus. — *Atque — que* occurrit Jug. 95, 4, *atque illi — numquam super industriam fortuna fuit, multique dubitavere.*

In trium membrorum conjunctione plerumque occurrit — *queet* : Jug. 71, 3, *fidus acceptusque et omnium consiliorum nisi novissumi particeps*, ubi notandum est duo priora membra in unum comprehendi posse et inter se, ut solet, alia particula copulari atque tertium membrum ; similiter Jug. 21, 3; 34, 2; 62, 1 ; 78, 3 ; 80, 1 ; 81, 2; 94, 3; Hist. II, 50, 3 et 8; III, 1, 1 ; III, 77, 10 etc.; dubius videtur locus Jug. 62, 8, *ubi armis virisque, et pecunia spoliatus est.* Aliæ conjunctiones hæ fere sunt : *atque et* (*et — atque*) : Jug. 76, 6, *aurum* atque *argentum* — et *alia quæ prima ducuntur* (cf. J. 4, 8; 41, 1; 85, 10; Hist. I, 45, 3; I, 51, 19; III, 77, 11 ; etc.); — *que — que* (rarius) : Jug. 66, 3, *centuriones tribunos*que *militares — ipsum*que *præfec-*

tum oppidi — invitant; — *et — que*. Cat. 48 4, *ne eum Lentulus* et *Cethegus* | *alii*que *ex conjuratione deprehensi terrerent* (cf. Jug. 5, 1, etc.); adde Jug. 53, 5, *quamquam itinere* atque *opere castrorum* | et *prælio fessi lassique erant*, ubi tamen duo priora membra parum arte cohærent, et auctor jam ad libertatem Livianæ constructionis tendere videtur. Hi vero loci vulgari constructioni repugnare videntur, qua tria (aut plura) similia membra per eamdem particulam conjungenda sunt : Hist. inc. 38, *Ænum* et *Maronem viam*que *militarem* (Dietschius), ubi tamen Kritzius *et viam militarem* scribit; Jug, 43, 4, *socii nomen*que *latinum* et *reges ultro auxilia mittundo* (cf. 84, 2, *auxilia a populis* et *regibus sociis*que *arcessere*); Hist. I, 46, *lenones* et *vinarii lanii*que ; at secundum vulgarem loquendi usum, Hist. III, 16, *castra — capta*, et *prælium* —, et *dux hostium — deleti, satis clara vobis sunt*; cum quatuor membris : Hist. I, 45, 4, *quid a Pyrrho, Hannibale, Philippoque* et *Antiocho defensum est aliud quam libertas*? (cf. Hist. I, 10, *at discordia* et *avaritia* atque *ambitio* et *cetera secundis rebus oriri sueta mala*, ubi forsam in tria membra per *et* copulata quatuor membra distribui possint). — Plerumque vero, ut solet, ubi quatuor membra occurrunt, in duo globos aggregantur, sive membrorum numero pares, ut Jug. 67, 2, *juxta boni mali*que | *strenui* et *inbelles inulti obtruncari* (cf. J. 7, 4; 9, 4), sive dispares, ut Jug. 58, 3, *uti vero virtutem ostendere* | et *eos maxuma vi cædere, fundere* atque *fugare*; Jug. 87, 2, *armis libertatem, patriam parentes*que | et *alia omnia*.

b. — *Neque — neque*, ut solet, innumeris fere locis occurrunt; at sæpius apud Sallustium, id quod ante Livium rarius est, prima particula *neque* ad membrum prægressum referendum est; simulque cum altera congruit, ut Cat. 2, 3, *æquabilius atque constantius sese res humanæ haberent, neque aliud alio ferri neque mutari ac misceri omnia cerneres*; cf. C. 11, 3; 58, 1 et 10; J. 61, 1; 85, 23.

Et neque — neque notanda conjunctio est, J. 89, 7, *quia — vescebantur, et neque solem neque alia inritamenta gulæ quærebant*. — *Non — neque* apud Sallustium satis frequens est; *non — neque — aut* (J. 85, 29); *non — neque — et* (H. I, 45, 5); *non — neque — neque* (C. 58, 1); *non — aut, neque — neque* (C. 13, 3); *neque — neque — aut* (J. 18, 2; H. I, 98); *neque — aut neque — neque — aut* (J. 72, 2); *neque — neque — neque — aut* (J. 99, 2); *neque — et* (J. 1, 5; 20, 5; 31, 16; 49, 5; 69, 1; 71, 5; 74, 1; 84, 3; 85, 6; 86, 3; 95, 2; 107, 4; H. III, 82, 19; 77, 2; IV, 61, 2).

8° *Temporalium particularum inter se conjunctiones*.

Cum — tum : J. 9, 3; 43, 5; 49, 5; 61, 5; 64, 4; 89, 6; 104, 3; *tum — tum* nusquam invenitur, nisi quod H. II, 29, 3 pro *cum — tum* Dietschius *tum — tum* scribendum censuit.

Modo — interdum (J. 42, 1; 55, 8; 62, 9; 74, 1) Sallustio adamatum esse videtur; (cf. Hor. Sat. I, 9, 9; Suet. Aug. 75); at *modo — modo* sæpius occurrit; — *modo, modo — sæpe*, J. 45, 2; (cf. Hor. Sat. I, 10, 11, et Tac.).

Primo — deinde — rursus (J. 69, 1); *rursus — post* (J. 55, 8).

II.

Adversativæ particulæ (*sed, at, autem, verum, vero.*)

1° *Sed* pro *autem* sæpius a Sallustio initio periodi ponitur, ut narrationis continuatio indicetur, ut Cat. 23, 1, *sed in ea conjuratione fuit Q. Curius*; (cf. C. 3, 3; 7, 1; 16, 1; 25, 1; 36, 1; 44, 1; 49, 1; 53, 2; 60, 1; 61, 1; Jug. 39, 1; 44, 1; 77, 1; 78, 1 etc.

Mera transitio significatur J. 42, 5.

Post *non solum* (vel *non modo*), *sed* apud Sallustium occurrit sine particula *etiam* : Cat. 18, 7, *non consulibus modo, sed plerisque senatoribus* (cf. H. II, 29, 4); Cat. 37, 1, *neque solum illis aliena mens erat, qui conscii conjurationis fuerant*; sed omnino *cuncta plebes — Catilinæ incepta probabat* (cf. 39, 6). Adde H. inc. 26, *non repugnantibus modo*, sed ne *deditis* quidem. De qua constructione Kritzius ad Cat. 18, 7 hæc ait : « Romani ita usu distinxerunt inter *sed etiam* et simplex *sed*, ut illud ponerent, si utrumque membrum pari esse vi vellent, hoc, si posteriori membro majorem quandam vim tribuerent, ita ut præ altero quasi emineret; hoc autem imprimis fiebat, si latius pateret quam antegressum, idque eo contineretur. »

Post *non modo*, pro *sed etiam*, *verum etiam* invenitur J. 89, 4; H. III, 1, 9.

2° *At*, cujus prisca forma *ast* apud Sallustium non invenitur, priori significatione, ut apud Lucretium, gravissimam oppositionem indicat : Cat. 12, 5, *verum illi — decorabant, neque — eripiebant. At hi contra ignavissumi homines*; J. 4, 7, *at contra quis est omnium*; (cf. J. 2, 2, 15, 3; 36, 2; H. II, 50, 2); quæ vis adversativa levior videtur esse, si simpliciter notionem priori oppositam particula designet, præsertim ante proprium nomen aut pronomen personale, ut Cat. 55, 1, *ceteri verbo alius alii varie adsentiebantur. At M. Porcius Cato*; 40, 3, *at ego;* J. 20, 2, *at is*; 20, 5, *at ille*, etc..

Sæpius vero *at*, ut *autem* ac præsertim *sed* apud Nostrum, ad narrationem continuandam usurpatur, ut J. 28, 1; 35, 8; 38, 1 etc.

Oppositum inducitur, ut solet, post interrogationem Cat. 51, 22, *an quia lex Porcia vetat? At aliæ leges item — jubent;* ficta oppositio est Cat. 51, 25, *at enim quis reprehendet?* (cf. H. I, 45, 18); ironia adjecta H. I, 51, 5, *at scilicet eos — gratiam ab eo peperisse.*

3° *Autem* distinguit et conjungit res dissimiles, ut Cat. 19, 5, *sunt qui ita dicant —; alii autem equites illos — Pisonem adgressos;* (cf. C. 43, 2; J. 10, 8; 31, 20, etc.). Quum autem hæc particula magis ad disputationem quam ad narrationem pertineat, nihil mirum si Sallustius minus sæpe quam ceteras eam adhibuit.

4° *Verum* majorem vim habet quam *sed*, et a Sallustio sæpe usurpatum est. — *Vero* (Vide ad *adverbia*, p. 45).

II

Particulæ disjunctivæ.

1° *Aut*, quod Sallustio usitatissimum est, proprie veram differentiam notat. Nunc duas partes opponit quæ inter se pugnant, ut Jug. 17, 1, *bellum aut amicitia;* 73, 4, *bona aut mala sua* (cf. H. IV, 62); 88, 2, *quid boni utrisque aut contra esset;* nunc post negativam conditionem ponitur, ut H. I, 45, 7, *nisi speratis tædium aut pudorem esse;* sæpe etiam simpliciter differentiam significat, præsertim in distributivis enunciatis, ut J. 17, 2, *sed quæ loca et nationes ob calorem aut asperitatem, item solitudines minus frequentata sunt;* J. 49, 4, *uti quemque ob militare facinus pecunia aut honore extulerat;* cf. J. 60, 4; 93, 7; C. 14, 3; 56, 3.

Nonnunquam vero, ut Diomedes animadvertit, a majoris momenti notione ad leviorem transitur per *aut* particulam, velut C. 39, 4, *quod si primo prælio Catilina superior aut æqua manu discessisset;* J. 56, 5, *profecto cuncti aut magna pars Siccensium fidem mutavissent;* cf. C. 14, 3, etc.

In interrogativa enunciatione : Jug. 54, 2, *ubi gentium aut quid agitaret;* H. II, 50, 13, *quis mihi vivo cruciatus satis aut quæ pœna mortuo?* (cf. J. 14, 17, etc.); in negativa : Cat. 7, 5, *non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus;* H. I, 99, *at inde nulla munitionis aut requie mora processit ad oppidum;* J. 14, 11, *nihil minus quam vim aut bellum expectantem.* — *Neque — aut*, passim.

Aut repetitum duas notiones inter se repugnantes opponit, ut J. 23,

1, *aut per vim aut dolis*; (cf. J. 25, 9; 21, 1, etc), aut duas notiones simpliciter varias, ut J. 97, 5, etc.

Aut bis positum est in trium membrorum conjunctione Jug. 36, 1, *uti — armis aut deditione aut quovis modo*; (cf. Hist, I, 8; III, 82, 5 et 12); in quatuor membrorum conjunctione ter occurrit Cat. 59, 6, *quod amplius annos triginta tribunus aut præfectus aut legatus aut prætor cum magna gloria — fuerat.*

2° *Vel*, semel positum, apud Sallustium non videtur esse, nisi ubi intentionem significat, ut Jug. 53, 8, *in victoria vel ignavis gloriari licet* (cf. H. I, 45, 15 et 18). Repetitum contra frequenter invenitur, et tunc, ut solet, differentiam ex cogitatione aut voluntate ortam indicat.

3° *Ve* semel invenitur : H. I, 45, 11, *nam quid ultra? quæve humana superant aut divina inpolluta sunt?* ubi vim majorem quam *aut* habere videtur, sane contra solitum loquendi usum.

4° *Sive — sive* nonnisi Cat. 31, 7 occurrit, ubi ante participia positum est. — Item *seu* = *seu*, Jug. 103, 2; et ante substantiva, Cat. 49, 4. — *Sive*, pro *aut* positum, nec apud Sallustium nec apud Cæsarem legitur.

III

Causales particulæ.

1° *Nam* parenthesim inducit, ut Jug. 63, 6, *tamen is ad id locorum talis vir (nam postea ambitione præceps datus est), adpetere non audebat.*

Frequenter vero per brachylogiam ita usurpatur, ut non referatur ad id quod in antecedentibus est dictum, sed ad omissam sententiam, ex. gr. Jug. 19, 2, *hæque (urbes) brevi multum auctæ, pars originibus suis præsidio, aliæ decori fuere.* Nam *de Carthagine tacere melius puto*, ubi ante *nam* particulam tale quid supplendum est : *hæc de illis urbibus sufficiant; sed Carthaginem consulto non nominavi; nam de ea tacere melius puto* (Kritz); J. 28, 5, *interim Calpurnius — legat sibi homines nobilis, factiosos, quorum auctoritate quæ deliquisset munita fore sperabat. Nam in consule nostro multæ bonæque artes animi et corporis erant*, ubi hoc fere suppleas : *quam pravitatem* consulis, *mature delictis præsidium quærentis, jure mireris*; nam *in* eo; cf. J. 31, 2; 82, 2; 88, 5; 102, 11; C. 52, 34; 58, 20; H. IV, 19, 10.

Hæc etiam exempla notatione digna videntur : Cat. 49, 2. *Sed iisdem temporibus Q. Catulus et C. Piso neque pretio neque gratia Ciceronem inpellere quivere, uti per Allobroges aut alium indicem C. Cæ-*

sar falso nominaretur. Nam *uterque cum illo gravis inimicitias exercebant*; Jug. 24, 9, *quid est reliquum nisi vis vostra, quo moveri possit?* Nam *ego quidem vellem et hæc quæ scribo et illa quæ antea in senatu questus sum vana forent, potiusquam miseria mea fidem verbis faceret.*

Nam particula post accusativum et infinitivum posita, novum enunciatum infinitum inducit, audaciori sane structura : Jug. 76, 1, *ceterum proditionem timebat, quam vitare posse celeritate putabat*; nam *talia consilia per otium et ex opportunitate capi* (cf. J. 85, 2); item *namque* post verbum *comperior* Jug. 45, 2, *sed in ea difficultate Metellum fuisse comperior :* — Namque *edicto primum adjumenta ignaviæ sustulisse*, etc..

2° *Namque*, quod apud Ciceronem semel tantum aut his ante consonantes invenitur, apud Sallustium viginti duobus fere locis exstat, quorum quindecim particulam ante vocales, ut solet, positam exhibent, septem vero ante consonantes. Quod si litteram primam vocabuli sequentis inspicias, hanc fortasse regulam ex exemplis Sallustianis eruere licet, eum *namque* aut ante vocales, aut ante *tenues* consonantes ponere. Nam ante *c* litteram occurrit ea particula J. 41, 5 (*n. cœpere*) et 85, 35 (*n. cum*); ante *p*, H. IV, 21 (*n. primum*) et H. IV, 19, 18 (*n. pauci*); ante *st*, H. III, 1, 7 (*n. stipendium*). Præterea legitur ante *d* C. 36, 5 (*n. duobus*), quod exemplum regulam supra positam infirmare videtur, et ante *r* H. IV, 19, 5 (*n. Romanis*). Apud Tacitum quoque ante consonantes interdum occurrit, sed ita ut nulla regula ex illius usu erui possit.

3° *Enim*, post primam vocem enunciati, ut solet, positum, apud Sallustium non ita frequens. Post negationem : *non enim* (J. 14, 23); *neque enim* (J. 95, 2; H. III, 82, 25); — post interrogativum pronomen, in parenthesi, C. 51, 17, *verum sententia ejus mihi non crudelis* (*quid enim in talis homines crudele fieri potest?*) *sed aliena a re publica nostra videtur*; — post aliud vocabulum, H. I, 51, 11; III, 82. 7; IV, 19, 4. — Adde *at enim* per *occupationem* cum ellipsi positum C. 51, 25 (cf. *nam*, supra); *enimvero* (C. 2, 9; 20, 10).

4° *Etenim* bis tantum legitur: J. 85, 49, et Cat. 20, 11, ubi interrogationi vim aliquam addit.

IV

Conclusionis particulæ.

1° *Ergo* apud Sallustium non ita frequens, et nunc initio periodi, ut

J. 63, 4; 85, 18; H. inc. 62, nunc post primam vocem positum est, ut J. 14, 9, et 85, 41, *quin ergo quod carum æstimant id semper faciant*, ubi cum imperativo conjunctivo *quin* conjungitur, eodem sensu quo indicativus ponitur in interrogativæ formæ hortationibus, ut Cat. 20, 14, *quin igitur expergiscimini?*

2° *Igitur* particulam nunquam secundo loco, si interrogationes excipias, ponit Sallustius [1], sed semper primo loco. In qua collocatione eum antiquos scriptores secutum esse falso affirmaverunt Gerlachius et Dietschius; nam in secundo quoque loco hanc particulam posuere veteres, præsertim in conclusione, in qua duo judicia ratione conjunguntur (cf. Holtze, Synt. prisc. script. II, p. 365 et 366), et apud Ciceronem ipsum primum locum *igitur* occupat multis locis (de fin. I, 18; II, 27; IV, 18 et 19; V, 30; Tusc. I, 6; III, 7; IV, 18, etc., etc.). Rectius vero Schultzius (l. l. p. 36) hanc collocationem particulæ *igitur* tam sæpe usurpasse Sallustium docet, « ut oratio brevior, simplicior, clarior, videretur. » Satis probabilem etiam causam affert Lawsius, (l. l. ch. VII): « Equidem cognovi, inquit, hanc conjunctionem, quia conclusionem infert, ante conclusionem, itaque primo loco enuntiati a philosophis et rerum scriptoribus qui in philosophiam incubuerint, ut a Sallustio, rectissime poni. Ii soli scriptores, qui ambitui condendo student, hanc fere uni aut duobus vocibus subjiciunt, ut subjectum primo loco ponere possint. » Duo autem exempla quæ in fragmentis Catonis occurrunt non sufficiunt ut opinionem Bruennertii amplectamur, qui hunc scriptorem imitatum esse Sallustium putat.

Post digressionem, ut ad rem ipsam auctorem accedere significetur, *igitur* usurpatum occurrit: Jug. 19, 7 (post Africæ descriptionem); J. 96, 1 (post digressionem de Sulla); cf. 95, 3.

1. Nota tamen unum locum: Hist. III, 4, *hunc* igitur *redarguit Tarquitius*, ub propter fragmenti brevitatem rem in dubio relinquere licet.

amore exquisitior videretur, quod veterum vituperationem acerbam explicare potest.

Nunc vero quo usque pateat apud Sallustium priscorum auctorum imitatio paucis exquiramus. Gerlachius cogitato consilio archaïsmos quam plurimos Sallustio attribuere tentavit, multaque colorem antiquum redolere contendit, quæ sane hac explicatione nullo modo egent Contra Schultzius quam paucissima archaïsmo Sallustio tribuit, ac nescio an in contrarium studium inciderit [1]. Nam ubi aliquod verbum apud Ciceronem aut Livium aut alium bonum scriptorem vel semel occurrit, illud jure *priscum* nominari posse negat; item (sed rectius, mea sententia) inter archaïsmos non numerat veteres legum, aut juris dicendi, aut reipublicæ administrandæ formulas. Ipsos vero archaïsmos quum suo quosque loco notaverimus, hic enumerare non necesse est.

b. — Ad Catonis imitationem quod attinet, hæc tantum exempla Schultzius admittit: *frustra esse* (et alia adverbia cum verbo *esse* juncta), *auxisse* (H. I, 51, 6), pro *auctum esse*, *benefacere*, denique formam *ere*, pro *erunt*, in tertia persona pluralis numeri perfecti activi.

Magis Catonis imitationi tribuit Bruennert (l. l. p. 7 sqq.); nam verbis et locutionibus supra laudatis hæc verba addit : *prosapia*, *luxus*, *benefactum* [2], *nequitur*, *strenuissimus*; item constructionem verbi *ire* cum supino, et verborum *deliberandi* cum verbis *cum animo*, præterea particulæ *igitur* in principio enunciati collocationem, quæ omnia tamen non Catonis tantum aut Sallustii sunt.

Deltourius vero, etsi nonnullas constructiones formasque non unius Catonis, sed aut totius antiquitatis, aut Græcorum consuetudinem loquendi referre cognovit, tamen non pauca parum recte Catonis imitationi tribuit, ut *mortales*, *artes bonæ* vel *malæ*, *bene* vel *male evenire*, *consulere*, *ætatem agere per*, *festinare*, *niti pro aliquo*, *facinus* (bono et malo sensu), *locus* (occasionis vel status significatione), *vero* (in locutionibus *ea vero*, *quasi vero*, *verum enimvero*), *me dius Fidius*, præterea copulativæ particulæ *atque* frequentem usum, quæ pleraque apud omnes omnium ætatum scriptores in usu fuerunt.

Ad totum vero dicendi genus et ad totam historiæ scribendæ rationem quod attinet, in eo præsertim vestigia Catonis secutus esse videtur Sal-

1. Suam opinionem Schultzius sic collegit (*l. l.* p. 10) : « Mea quidem sententia Sallustius archaïsmos usurpavit, qui tamen injuria ita augebantur, ut cum multa, quæ in optimis scriptoribus etiam nunc sunt, prisca haberentur, tum justi græcismi in archaïsmis adnumerarentur. » Et paulo infra : « Sed archaïsmis Sallustiani *elegantiores* et *recentiores* sunt et magna cum sollertia orationi implicati. »

2. Hoc verbum a Catone usurpatum apud Plautum etiam invenitur, ideoque ad priscorum imitationem referri potest; idem de vocibus *strenuissimus*, *nequitur* dici potest.

lustius, quod sæpius rebus gestis *digressiones*, imprimis *geographicas*, et morum gentium *descriptiones* inserere solet. Quod autem Deltourius (p. 52, 56, 68) summam Sallustii in describendis præclarorum virorum moribus et ingeniis artem ad Catonis imitationem refert, Bruennertio minime probabile videtur[1].

Multo rectius idem vir doctus in membrorum æqualitate et oppositione atque oratoriis figuris, item in ipsis sententiis (præsertim in oratione illa Memmii, Jug. 31, quæ tota antiquitatem et Catonis imitationem redolet, et in oratione Marii ad populum, Jug. 85), Sallustium vestigia Catonis secutum esse affirmavit. Quæ quidem quum a quæstione instituta paululum recedant, ad libellum nostratis Deltourii sane omni laude dignum, et ad recentius Bruennertii Germani opus remittemus.

II

De varietate.

Stili varietas apud Sallustium non in summa (nam sæpissime easdem locutiones repetit), sed in ejusdem periodi complexione eminet[2]. Quam quidem Gerlachius non vanum ornatum esse putat. « Sed ipsum, inquit (vol. III, p. 328), varietatis studium non magis ad certam quamdam elegantiam et concinnitatem referendum, quam quod Sallustius et in ipsis verbis et in eorum structura proprietatis est studiosissimus, et tam presse et subtiliter loquitur, ut merito incertum dixeris verba sententiis an sententiæ verbis illustrentur. Quare variæ verborum structuræ non pro inani ornamento habendæ, sed rectius eas dicendi formas scriptorem elegisse putaveris, quæ cogitatis optime convenirent. » Quidquid id est, non negari potest summam in vocabulis præsertimque in locutionibus et constructionibus adhibendis varietatem in Sallustii scriptis eminere. Exempla dabo :

1° Singulæ voces permutantur : *secus* (Hist. II, 29, 1) et *sexus* (H.

1. « Quum enim, inquit, *loc. laud.* p. 16), Catonem originibus suis nomina imperatorum detraxisse Nepotis et Plinii (Nat. hist. 8, 5) testimoniis constet, vix fieri potuit ut in describendis virorum ingeniis et moribus diutius versaretur. Atque ne iis quidem locis, quibus ad viros describendos adducitur, artis illius speciem invenio, qua Sallustius virorum et mulierum mores, ut Catilinæ (Cat. 5), Curii (23), Semproniæ (25), Cæsaris et Catonis (54), Masinissæ (Jug. 6), Marii (J. 63), Sullæ (J. 95), Pompeii (H. inc. 41), expressit. Quapropter Sallustium in hac re potius Thucydidis vestigia secutum esse arbitror, cujus virtus in eo maxime cernitur, quod summa arte summoque acumine virorum excellentium mores, virtutes, ingenia celebrat. »

2. Cf. Teuffel, (Real Encyclopœdie der classichen Alterthum Wissenschaften VI, p. 696 sqq.), qui frequentissimam particulæ *igitur* initio periodi collocationem varietati contrariam esse ait.

IV, 12); *vocabulum* (C. 52, 11; H. II, 4) et *nomen* (C. 2, 1; 6, 6, etc.); *materies* (C. 10, 3) et *materia* (J. 18, 5); *plebis* (C. 33, 3; J. 40, 5, etc.) et *plebei* (H. III, 82, 15); *plebi* (J. 31, 8, etc.) et *plebei* (H. I, 51, 14); *inermos* (J. 66, 3; 94, 2; 107, 1; H. I, 51, 18) et *inermes* (*inermis*) (C. 59, 5; J. 54, 10; 94, 5; 103, 6); *quibus* et *quis; possum* et *queo*; *non possum* et *nequeo*, etc..

2° Permutantur casus substantivorum [1] : Jug. 86, 3, *alii* inopia *bonorum*, *alii* per ambitionem *consulis* (cf. 7, 1; 23, 1); Jug. 89, 8, *cibus illis* advorsus famam atque sitim, *non* lubidini *neque* luxuriæ *erat*; Hist. I, 45, 17, *bona civium miserorum quasi Cimbricam prædam* venum *aut* dono *datam*; Cat. 17, 6, *incerta* pro certis, *bellum* quam pacem *malebant;* C. 33, 1, *plerique* patriæ, *sed omnes* fama *atque* fortunis *expertes sumus*; J. 84, 2, *plerosque* militiæ, *paucos* fama *cognitos accire;* J. 74, 3, *Romani signorum et armorum* aliquanto numero, *hostium* paucorum *potiti*; C. 46, 2, *pœnam illorum sibi* oneri, *impunitatem* perdundæ rei publicæ *fore*, ubi Kritzius falso dativum in utroque membro vidit, etc..

3° Adverbium in altero membro, in altero substantivum : C. 51. 4, *quæ majores nostri* — recte *atque* ordine *fecere* (cf. C. 42, 2; J. 22, 4); J. 83, 3, *ille probare* partim, alia *abnuere* (cf. J. 89, 1); J. 101, 1, *se a patre Boccho* obviam *illis simul et* præsidio *missum;* J. 88, 2, *cognoscere* quid boni *utrisque aut* contra *esset*, etc.. Participium in altero membro est J. 31, 2, *quam* fœde *quamque* inulti *perierint*.

4° Adjectivum in altero membro, in altero substantivum et adjectivum attributivum : J. 6, 1, pollens *viribus*, decora facie, *sed multo maxume ingenio* validus; C. 39, 4, *quodsi primo prælio Catilina* superior *aut* æqua manu *discessisset*; cf. J. 17, 6; 20, 2; 61, 5; 70, 2; 81, 1; 89, 4; 95, 3, etc..

5° Varius ejusdem verbi usus aut significatio invenitur, J. 100, 2, *in sinistra parte A. Manlius* cum funditoribus et sagittariis, *præterea* cohortis *Ligurum* curabat; J. 54, 2, *Jugurtha* ubi *gentium aut* quid *agitaret*.

6° Substantivum in altero membro, in altero subjunctum enunciatum : Cat. 33, 1, *nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum aliis faceremus* (cf. C. 9, 3; J. 82, 3; 89, 6); C. 47, 1, *interrogatus de itinere, de litteris, postremo quid aut qua de causa consili habuisset* (cf. J. 29, 5; 30, 1; 65, 2); J. 108, 1, *præmissus ab Jugurtha — orator et subdole speculatum Bocchi consilia*; C. 5, 9, *ac*

1. Cf. *Marcou*. Etude sur le style et la langue de Salluste (in fine edit. Sall.). Paris, 1876.

paucis instituta majorum domi militiæque, quo modo rem publicam habuerint, quantamque reliquerint, ut — facta sit disserere, ubi a verbo *disserere* primum accusativum objecti (*instituta majorum*) pendet, deinde conjunctivus orationis obliquæ, vocibus *quo modo, quantam, ut* a verbo aptæ ; cf. Jug. 84, 4, *sese quisque præda locupletem fore, victorem domum rediturum, alia hujuscemadi animis trahebant.*

7° Varia ejusdem verbi objecta occurrunt, (substantivum et gerundium aut infinitivum) : J. 7, 2, *sperans vel ostentando virtutem vel hostium sævitia facile eum occasurum*; (cf. J. 7, 4; 66, 1; 89, 1); C. 10, 4, *pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit*; C. 25, 2, *hæc mulier, — litteris Græcis et Latinis docta, psallere, saltare elegantius quam necesse est probæ, multa alia quæ instrumenta luxuriæ sunt.*

8° Ad varietatis studium referendæ etiam videntur constructiones quibus infinitivus historicus cum finitis temporibus miscetur, et constructiones *ad sensum*. Item ἀνακόλουθα quorum audacissima referre placet : J. 35, 3, *avidus consul belli gerundi movere quam senescere omnia malebat*, ubi Jacobsius paucorum eorumque deteriorum codicum fide *moveri* scribit; J. 71, 5, *perque sua antea fideliter acta*, pro *sua acta fidelia præterita* vel *a se antea fideliter acta*; J. 66, 2, *igitur Vagenses — principes civitatis inter se conjurant*, ubi nominativum absolutum vident nonnulli [1]; item J. 1, 4, *sin captus* (*animus*) *pravis cupidinibus ad inertiam et voluptates corporis pessumdatus est*, perniciosa lubidine paulisper usus, *ubi per socordiam vires, tempus, ingenium diffluxere, naturæ infirmitas accusatur*, Cortius, Kunhardtus, Muellerus, alii, nominativum absolutum vident, Lehnerus vero, quem Jacobsius sequitur, verba *perniciosa lubidine paulisper usus*, non ad sequentia, sed ad prægressa verba refert, ita ut nulla ἀνακολουθία sit. Adde C. 22, 1, *fuere ea tempestate qui dicerent Catilinam — humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse, inde — aperuisse consilium suum, atque eo* dictitare *fecisse quo inter se fidi magis forent*, ubi Marcou *dictitare* pro *dictitarent* positum putat, qui locus sane corruptus ab interpretibus variis modis correctus est, sed non ita ut nulla dubitatio supersit.

9° Denique ad varietatis studium referemus satis Sallustio usitatum morem verborum ordinem in oppositis invertendi, quam rationem grammatici χιασμόν vocant, ut Cat. 5, 9, *ut paulatim inmutata ex pul-*

1. Jacobsius tamen, non sine veritatis specie, verbum *principes* sensum prægressi subjecti *Vagenses* restringere docet, ita ut sententiarum nexus hic sit, *Vagenses — inter se conjurant; principes civitatis dico, nam volgus* etc, et confert Jug, 101, 4. Similis constructio gallice notari potest.

cherrima atque optuma pessuma ac flagitiosissuma facta sit; 14, 3, *ad hoc quos manus atque lingua perjurio aut sanguine civili alebat*; Jug. 7, 5, *et prælio strenuus erat et bonus consilio*; (cf. 2, 5; C. 20, 10; 61, 9 etc.). Qua constructione, sicut et *anaphora*, eximia arte utitur noster, ut varia membra vivide ac dilucide inter se conjungat; cf. Cat. 3, 3, *nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute audacia, largitio, avaritia vigebant*, ubi utraque occurrit figura. (Vid. Jacobs ad hunc loc.).

III.

De brevitate.

In Sallustii scriptis adeo eminet brevitas ut maxime mirum sit eam virtutem a doctissimo ac sagacissimo viro Julio Cæsare Scaligero in dubio positam esse. Ille vero hæc scribit : « A Sallustio autem brevitatem illam peti debere, quam scribis, neque quid velis intelligo, neque tam vulgi animo conceptam, adeo persuasam, adeo decantatam in illo viro brevitatem umquam comprehendi. Nam si, quod frequentibus asyndetis utitur, aut quod non longis periodis ambit argumenta rerum, properare sibi videtur, isto tibi quoque pacto brevibus atque interceptis saltibus centum miliariorum iter minus longum videbitur quam unius modo stadii intervallum, quod uno spiritu confeceris. Ac contra videmus Sallustium ipsum, cum quid semel dicendum assumpsit, adeo perstare ut sæpe numero egredi videatur. » Sed illa magis speciosa quam vera esse docent et recentiorum opiniones et veterum testimonia, præsertim Gellii, qui Noct. Att. III, 1 eum « *subtilissimum brevitatis artificem* » dicit, ac Quintiliani, qui brevitatem Sallustii magnopere laudat; cf. Inst. orat. X, 1, *neque illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius*, et paulo infra : *immortalem illam Sallustii velocitatem*; adde Macrob. Sat. V, 1; Sen. Ep. 114, 16; Sidon. Apoll. Paneg. Anth. 190 sqq.; Stat. Silv. IV, 7.

Et hæc quidem brevitas in asyndetis, in zeugmate et in ellipsi præcipue versatur :

A. — *Asyndeta* sæpissime inveniuntur, præsertim ubi oratio concitata est, deinde in enumeratione et ubi aut contraria aut certe disjungenda inter se opponuntur: in enumeratione, Jug. 60, 6, *lapides, ignem, alia præterea tela ingerunt*; (cf. J. 31, 20); — cum plenis enunciatis, J. 62, 1, *omnibus prœliis sese victos, agrum vastatum, multos mortales captos aut occisos, regni opes conminutas esse*; Cat. 31, 7,

ea familia ortum, ita se ab adulescentia vitam instituisse; Cat. 51, 9, *quæ belli sævitia esset, quæ victis acciderent, enumeravere : rapi virgines, pueros, divelli liberos a parentum complexu, matres familiarum pati quæ victoribus collibuissent, fana atque domos spoliari, cædem, incendia fieri, postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri*; (cf. J. 51, 1; 14, 1 etc.); — cum verbis: Cat. 37, 3; Jug. 24, 2 etc.; — in oppositione: Cat. 49, 3, *quod is privatim egregia liberalitate, publice maxumis muneribus grandem pecuniam debebat*; C. 39, 1, *plebis opes imminutæ, paucorum potentia crevit*; cf. J. 31, 25 etc.. Quem loquendi usum præcipue ad Catonis dicendi genus referendum censet Bruennertius.

Nonnunquam vero, si res postulet, *anaphoram* adhibet Sallustius, velut Cat. 52, 33, *verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiæ, si famæ suæ, si dis aut hominibus umquam ullis pepercit.*

Item *synonyma*, si necesse sit, interdum adhibet, ut Cat. 4, 1, *non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere*; 11, 2, *dolis atque fallaciis*; 48, 1, *gaudium atque lætitiam*, etc., id quod fortasse opinionem Scaligeri de falsa brevitate Sallustiana movit; sed cavendum est ne idem omnino valere hæc substantiva putemus : nam ubique aut sententiarum gradatio in verbis observatur, aut saltem aliqua differentia notari potest, ita ut non vera synonyma sint, sed variæ ejusdem status vel actionis facies significentur.

B. — *Zeugma* sæpius invenitur, cujus constructionis hæc exempla laudare satis erit : Jug. 14, 4, *quibus — cogor prius oneri quam usui esse*, ubi *cogor* non potest ad nomen *usui* referri, quo potius *posse* verbum cogitatione referendum est (Kritz); J. 14, 9, *semperne in sanguine, ferro, fuga vorsabitur* (id est *ferro armata erit*); cf. J. 3, 1; 14, 23; 38, 9; 42, 4; 85, 28; Cat. 17, 2; 51, 7, etc..

C. — *Ellipsis* usus quam late pateat apud Sallustium ad augendam orationis brevitatem, nemo est quin videat : cujus varia exempla ordine volvere libet, omissis tamen iis quæ apud omnes scriptores frequentissima sunt :

1° Indicativus verbi substantivi *esse* in indicativo perfecti deponentium vel passivorum verborum omittitur, non solum, ut solet, in primario, sed etiam, quod multo rarius est, in secundario enunciato, ut Jug. 79, 4, *postquam utrimque legiones, item classes sæpe fusæ fugatæque et alteri alteros aliquantum attriverant* (cf. 109, 2; 91, 3); Jug. 77, 3, *ubi ea inpetrata* (cf. J. 75, 7; 91, 4); Jug. 71, 1, *sed cum eæ litteræ adlatæ*; exempla vero satis multa, quæ Marcou profert (l. l.

p. 288), nescio qualium codicum fide, pleraque maximam dubitationem afferunt, cum fere omnes, aut saltem plurimi atque optimi manuscripti verbum *esse* exhibeant. In enunciato autem primario hæc tantum exempla laudabo : Jug. 102, 6, *ad hoc populo Romano jam a principio melius* visum *amicos quam servos quærere, tutiusque* rati *volentibus quam coactis imperitare*; J. 25, 3, *ita bonum publicum — privata gratia* devictum, etc.. Præterea hoc conspicuum verbi *est* cum adjectivo prædicativo omissi exemplum laudare liceat : Jug. 17, 5, *mare sævom, inportuosum, ager frugum fertilis, bonus pecori, arbori infecundus, cœlo terraque penuria aquarum.* — *Erat* supplendum esse videtur Jug. 91, 1, *denique sexto die, cum ad flumen ventum est, magna vis utrium effecta.*

2° Item infinitivus verbi *esse* sæpissime omittitur, non solum, ut solet, cum participio in infinitiva enunciatione, sed etiam cum adjectivo prædicativo, ex. gr : Cat. 3, 2, *quæ delicta reprehenderis, malivolentia et invidia dicta putant*; Jug. 4, 2, *cujus de virtute quia multi dixere, prætereundum puto* (cf. J. 14, 22; 85, 50; 110, 4, etc.), et sic semper cum verbo *puto*: Cat. 2, 2, *maxumam gloriam in maxumo imperio putare* (cf. C. 19, 2; 43, 4; J. 53, 3), et cum duplici accusativo, Jug. 85, 21, *eorum fortia facta memorando clariores sese putant*; (cf. J. 15, 1; 19, 2; 44, 3; 80, 1; C. 7, 6; 36, 4; 48, 2; 51, 41). Adde J. 46, 6, *Metellus — illa deditionis signa ostentui credere*; J. 25, 1, *fuere qui exercitum in Africam mittundum censerent, et quam primum Adherbali subveniundum ;* J. 112, 3, *ceterum Bocchus, si ambobus consultum et ratam pacem vellet, daret operam* (cf. J. 110, 6; H. I, 45, 21); ac præcipue Jug. 81, 1, *tum sese, paulo ante Carthaginiensis, item regem Persen, post, ubi quisque opulentissimus videatur, ita Romanis hostem fore,* ubi primum *esse*, deinde *fuisse* (quod rarissimum), rursus *fuisse* ex sequente *fore* supplenda sunt.

3° Aliæ formæ ejusdem verbi cum participio perfecti desiderantur, ex. gr. : *fore*, J. 88, 4, *ita Jugurtham aut præsidiis nudatum, si ea pateretur, aut prælio certaturum*, ubi *fore* in priori membro omittitur insolentius, fortasse propter futurum infinitivi, quod sequitur, *certaturum* [*esse*]; H. I, 45, 1, *præsertim cum illi spes omnis in scelere atque perfidia sit, neque se aliter tutum putet, quam si pejor atque intestabilior metu vostro fuerit*; ibid. 24, *neque aliter rem publicam et belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebes*; — item *sit*, J. 88, 6, *id simulaveritne —, an mobilitate ingeni pacem atque bellum mutare solitus, parum exploratum est*; J. 113, 1, *hæc Maurus — tandem promisit*; *ceterum dolo an vere cunctatus parum comperimus*, ubi

Dietschius *cunctatus* participium esse et *promiserit* ex *promisit* supplendum censet, quæ constructio apud Tacitum frequentissima est, etiam ubi *sit* (*sint*) solus sine participio adjuncto usurpatum sit. Similiter *esset* omissum est J. 53, 7, *et pæne inprudentia admissum facinus miserabile, ni utrimque præmissi equites rem exploravissent* [1].

4° *Juro* deesse videtur Jug. 85, 27, *nam me quidem ex animi mei sententia nulla oratio lædere potest*; cf. Liv. 44, 15; 22, 53.

5° Verbum *declarandi* ex verbo prægresso, solito more, sed audacius interdum, intelligendum est, quod quidem substantivo etiam contineri potest, ex. gr. :

Queri : Cat. 43, 3, *Cethegus semper querebatur de ignavia sociorum : illos dubitando et dies prolatando magnas opportunitates conrumpere.*

Deprecari : J. 104, 4, *postquam errasse regem et Jugurthæ scelere lapsum deprecati sunt*, id est, *dicentes deprecati sunt* (Marcou), ubi potius prægnanti sensu intelligendum est *deprecandi causa* vel *deprecantes dixerunt.*

Postulare : C. 31, 7, *Catilina — postulare a patribus cœpit nequid de se temere crederent ; ea familia ortum*, etc..

Polliceri : C. 21, 2 et 3, *tum Catilina polliceri tabulas novas, proscriptionem locupletium —. Præterea esse in Hispania citeriore Pisonem.*

Promissis onerare, impellere : J. 12, 3, *quem ille casu ministrum oblatum promissis onerat impellitque, uti — eat, — paret —; ceterum ubi res postularet, se ipsum cum magna manu venturum.*

Ponere : J. 17, 3, *in divisione orbis terræ, plerique in parte tertia Africam posuere, pauci tantum modo Asiam et Europam esse.*

Legati orantes : J. 77, 1, *sed pariter cum capta Thala legati ex oppido Lepti ad Metellum venerant orantes uti præsidium præfectumque eo mitteret: Hamilcarem quendam, hominem nobilem, factiosum, novis rebus studere.*

Litteræ : J. 25, 5, *dein brevi Uticam adpulsi litteras ad Jugurtham mittunt, quam ocissume ad provinciam adcedat, seque ad eum ab senatu missos* [2].

6° Verbum interdum supplendum est alio tempore vel modo atque

1. Verbi *esse* omissi exempla in extrema parte Jugurthæ multo frequentiora esse quam in reliquis animadvertit Dietschius. « Scilicet, inquit, scriptor res, ad quas legentium animos adtentos esse sciret, cum gravitate et celeritate scribere animum induxit. Incertius judicium esse in ea parte (cap. — 103 fin.) quam ex recentioribus codicibus solis cognovimus non diffiteor. »

2. Cf. Marcou, edit. Sallust. p. 289-290.

in priori membro positum est, ut Hist. III. 82, 7, *itaque concessere illuc omnes, atmox, si vostra receperitis, ad vos plerique*, (scil. *concedent*); audacius etiam J. 100, 4, *ipse armatus intentusque item milites cogebat*, (scil. *esse armatos intentosque*); cf. C. 27, 2, *ipse cum telo esse, item alios jubere.*

7° Contra verbum supplendum est alio tempore vel modo ex verbo sequentis enunciati secundarii Cat. 48, 6, *eumque in vinculis retinendum, neque ampliùs potestatem faciundam* (scil. *indicandi*), *nisi de eo indicaret, cujus consilio tantam rem esset mentitus;* Jug. 71, 2, *ubi cognitis Bomilcaris verbis primo cura, deinde, uti ægrum animum solet* (sc. *capere*), *somnus cepit* [1]; Cat. 47, 2, *ex libris Sibyllinis regnum Romæ tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam antea* (sc. *fuisse*), *se tertium esse, cui fatum foret urbis potiri* (cf. J. 81, 1); Hist. II, 50, 4, *qui lingua, qui consilio meo, qui pecunia voluere* (sc. *uti*), *usi sunt*; Jug. 49, 2, *quæ ab imperatore decuerint* (sc. *provideri*), *omnia suis provisa, locum superiorem*, etc.; (cf. J. 14, 15 et 22). Quæ constructio aurea ætate satis rara apud Tacitum frequenter occurrit; cf. Cic. ad fam. 7, 24, *olim, quum regnare existimabamur, non tam ab ullis, quam hoc tempore observor a familiarissimis Cæsaris.*

8° Inter enunciationes causali vinculo cohærentes particula causalis sæpe omittitur, sententiis ita majore quadam vi se excipientibus, ex. gr.: Cat. 7, 5, *igitur talibus viris non labor insolitus*, —; [nam] *virtus omnia domuerat*; 43, 4, *natura ferox, vehemens, manu promptus erat*, [nam] *maxumum bonum in celeritate putabat*; — item particula adversativa deest C. 35, 2, *quam ob rem defensionem in novo consilio non statui parare*, [sed] *satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi, quam mediusfidius veram licet cognoscas*: 58, 13, *potuistis nonnulli Romæ amissis bonis alienas opes expectare*; [sed] *quia illa fœda atque intoleranda viris videbantur, hæc sequi decrevistis;* J. 85, 38, *majores eorum omnia quæ licebat illis reliquere, divitias, imagines, memoriam sui præclaram*, [sed] *virtutem non reliquere, neque poterant*: [nam] *ea sola neque datur dono neque accipitur*, ubi etiam causalis particula omissa est, etc.

Ante *nam* sæpius totam sententiam, ad quam referatur, negligi supra docuimus (Vid. p. 241); item cum particula *nisi* (vel *nisi tamen*) totum enunciatum supplendum est, Jug. 24, 5; 67, 3; 95, 3; 100, 5 (Cf. p. 207).

De omisso objecto verbi activi, vide supra p. 90 sqq.; similiter cetera ellipsis genera suo quæque loco enucleata sunt.

1. Hic notandum est pronomen objectum *eum* etiam supplendum esse.

IV.

De colore oratorio et poetico.

Sallustii, ut imitatoris ejus Taciti, sermonem oratorio et poetico colore eminere nemo negabit. Et primum oratorius color in audacia translationum et in figuris rhetoricæ adhibendis perspicitur.

1° *Translationes.*

Prætextatus, teste Suetonio (*de illustr. gramm.* 10), Asinio Pollioni præcipiebat ut Sallustii *audaciam in translationibus* vitaret. Eam vero audaciam Sallustio vitio vertere difficile videtur, si inspiciamus quanta arte quantaque felicitate translationes adhibuerit. Exempla laudare satis erit: Cat. 10, 1, *Carthago æmula imperii Romani* ab stirpe interiit; ibid. 4, *namque avaritia fidem, probitatem ceterasque artis bonas* subvortit; (cf. Jug. 30, 1, et proprio sensu C. 13, 1; J. 94, 4); C. 52, 23, *ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ aut gratiæ servitis, eo fit ut impetus fiat in* vacuam *rempublicam*; C. 58, 17, *audacia* pro muro *habetur*; (cf. J. 33, 2, *C. Bæbium tribunum plebis magna mercede parat, cujus inpudentia contra jus et injurias omnis* munitus *foret*, et J. 31, 12 et 13); Hist. III, 82, 6, arcem *habent* ex spoliis *vestris*; C. 52, 24, *dux hostium cum exercitu* supra caput *est*; ibid 35, *Catilina cum exercitu* faucibus *urget*; (cf. H. III, 82, 21; III, 1, 4); J. 62, 9, *interdum secum ipse reputaret quam* gravis casus in *servitium* ex *regno foret*; Hist. I, 51, 7, *flagrantes inopia et cupidinibus*. Præterea vide quæ congessit Marcou exempla (*l. l.* p. 276 sqq.), præsertim verbi *præceps* variis modis adhibiti.

Ceterum satis frequenter pro metaphora comparationem imperfectam instituit Sallustius, ut Cat. 37, 5, *ei Romam*, sicut in sentinam, *confluxerant*; C. 10, 6, *post ubi contagio*, quasi pestilentia, *invasit*; (cf. H. I, 51, 9 et 12; J. 72, 2; 99, 3); C. 36, 5, *tanta vis morbi ac* veluti tabes *plerosque civium invaserat.*

2° *Litotes.*

Litotes satis frequenter usurpatur, ex. gr.: Jug. 8, 1, *qui Jugurthæ* non mediocrem (sc. *magnum*) *animum pollicitando accendebant*; Cat. 3, 1, *etiam bene dicere* haud absurdum *est* (sc. *magnæ laudi est*); 19, 2, neque *tamen senatus provinciam* invitus *dederat*, (sc. *lubens*); 23, 1, *natus* haud obscuro *loco* (sc. *nobili genere*); 60, 3, *illi* haud timidi *resistunt* (sc. *audacter*). Cf. Cic. pro Arch. p. 3, 5; Liv. 37, 7 et 15, et vide Bentleium ad Hor sat. II, 3, 158, et Ramshorn in Jahnii Ann. Philol. ann. 1826, I, 2, p. 364.

3° *Alliteratio.*

Hæc tantum exempla laudabimus: Cat. 7, 6, *dum tale facinus faceret*; 11, 4, *fœda crudeliaque in civis facinora facere*; 19, 5, *nunquam Hispanos præterea tale facinus fecisse;* cf. C. 51, 6; 53, 2; J. 5, 4; 32, 2; adde Cat. 35, 3, *sed quod non dignos homines honore honestatos videbam.*

Ceteræ figuræ rhetoricæ, quæ a Sallustio frequenter adhibitæ fuerunt, supra indicatæ sunt. Hoc unum addemus ejus vim oratoriam ab antiquis grammaticis sæpius laudatam esse, ac præsertim in Frontonis et Marci Aurelii epistolis, qui, Catonis, Ciceronis, Sallustii nominibus haud semel junctis (cf. p. 93, 105, 149 N), in Sallustio præcipue oratorem laudibus extollunt. Ad poeticum colorem quod attinet, nostrum auctorem, ut Tacitum, multum a poetis mutuatum esse satis ostendunt et metaphoræ supra allatæ, et longæ verborum series quas in capitulis *de substantivorum, de adjectivorum, de verborum usu* inscriptis edidimus; (vid. p. 19 sqq., 35, 63).

V.

De Græcorum imitatione apud Sallustium.

Ad Græcorum imitationem quod attinet, Sallustium sæpius et in verborum compositione et in integris sententiis Græcos, ac præsertim Thucydidem secutum esse, jam diu omnes cognoverunt interpretes. At cavendum est ne cum Poppo (Proleg. ad Thucydidem, Lipsiæ, 1821, vol. I, p. 372 sqq.) nimium Græcorum imitationi concedas; nam si Thucydidis orationem pluribus locis imitatum esse Sallustium constat, plura etiam sunt ita conformata, ut et prisco sermoni et auctoris ingenio optime conveniant. Hic igitur eas tantum laudabimus inter græcas constructiones, quæ a latini sermonis ingenio abhorrere videntur; deinde nonnulla loca addemus, quibus similem aliquem locum Thucydidis aliusve scriptoris græci imitari voluisse scriptor videtur.

A. — Græcæ constructiones.

1° *Loca nuda* gignentium (Jug. 79, 6); *natura* gignentium (J. 93, 4), ubi *gignentia* = τὰ φύντα.

2° *Bona patria laceraverat* (C. 14, 2); cf. Hom. Odyss. XIV, 92 et XVI, 315, χρήματα sive κτήματα δαρδάπτειν.

3° Multus *atque ferox instare* (J. 84, 1) = πολύς ἐνέκειτο (Thucydides); *ad vigilias* multus *adesse* (J. 96, 3); cf. tamen Plaut. Men. 2, 2, 41, *heu hercle hominem multum et odiosum mihi*, et Catull. Carm.

106, *multus es homo*, *Naso*. Ceterum vidimus pro adverbio adjectivum sæpe a Nostro usurpatum fuisse, quod ab usu latini sermonis non alienum est.

4° Contra adverbium sæpe cum verbo *esse* junctum apud Sallustium occurrere vidimus, ut *frustra esse;* quam constructionem Herzogius et Badstuebner [1] cum græca μάτην εἶναι conferunt, rectius vero Deltourius (*l. l.* p. 79 sqq.), cui Schultzius aliique assentiuntur, ad imitationem Catonis pertinere putat. Similiter alia plura adverbia adhibuit Sallustius ; non tamen ideo necesse est Græcorum imitationem admittere. At in H. I, 45, 6, *supplicia in post futuros conposuit*, græca constructio admitti potest (= οἱ ἔπειτα γενησόμενοι).

5° *Quia neque plebi militia volenti putabatur et Marius* etc. (J. 84, 3); *non tam — quam uti militibus exæquatus cum imperatore labor volentibus esset* (J. 100, 4). Cf. Plat. Gorgias, εἰ αὐτῷ γε οὐ βουλομένῳ ἐστὶν ἀποκρίνασθαι; Thucyd. II, 3, τῷ γὰρ πλήθει τῶν Πλαταιῶν οὐ βουλομένῳ ἦν τῶν Ἀθηναίων ἀφίστασθαι; Demosth. pro Cor. 5, ἂν βουλομένοις ἀκούειν ἢ τουτοισί.

6° *Quæ homines navigant, arant, ædificant, virtuti omnia parent* (C. 2, 7); cf. græce ὅσα πλέουσιν, ἀροῦσιν, οἰκοδομοῦσι.

7° *Nunc vero* (J. 14, 17; C. 58, 5) = νῦν δέ.

8° *Incerta pro certis, bellum quam pacem malebant* (C. 17, 6), ubi *pro* cum verbo jungitur quod vim comparativam habet, cum græcis locutionibus conferri potest in quibus particulæ ἀντί vel πρό cum comparativo junctæ inveniuntur.

B. — Loca varia in quibus Græcorum imitatio apparet.

1° Cat. 3, 2, *ubi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit, supra ea veluti ficta pro falsis ducit.* Hæc prorsus conveniunt cum iis quæ Thucydides II, 35, 2, dicit : μέχρι γὰρ τοῦδε ἀνεκτοὶ οἱ ἔπαινοί εἰσι περὶ ἑτέρων λεγόμενοι ἐς ὅσον ἂν καὶ αὐτὸς ἕκαστος οἴηται ἱκανὸς εἶναι δρᾶσαί τι ὧν ἤκουσε, τῷ δ'ὑπερβάλλοντι αὐτῶν φθονοῦντες ἤδη καὶ ἀπιστοῦσιν.

2° Cat. 9. 4, *aut pulsi loco cedere ausi erant.* Cf. Thuc. IV, 126, 5, οὔτε γὰρ τάξιν ἔχοντες αἰσχυνθεῖεν ἂν λιπεῖν τινα χώραν βιαζόμενοι.

3° Cat. 38, 3, *namque, uti paucis verum absolvam, post illa tempora quicumque rem publicam agitavere honestis nominibus, alii sicuti populi jura defenderent, pars quo senatus auctoritas maxuma foret, bonum publicum simulantes pro sua quisque potentia certa-*

1. Item A. Laureck (*l. l.* p. 35), cum Thucydide comparatione instituta, eum docet hanc constructionem adhibere non solum in adverbiis e quibus adjectiva derivari non possint (cf. Matth. Gr. p. 427 et 889), ut δίχα, χωρίς, sed etiam cum ῥαδίως (lib. IV, 10), illumque Sallustium imitatum esse censet.

bant; neque illis modestia neque modus contentionis erat: utrique victoriam crudeliter exercebant. Cf. Thuc. III, 82, 8, οἱ γὰρ ἐν ταῖς πόλεσι προστάντες, μετὰ ὀνόματος ἑκάτεροι εὐπρεποῦς, πλῆθους τε ἰσονομίας πολιτικῆς καὶ ἀριστοκρατίας σώφρονος προτιμήσει, τὰ μὲν κοινὰ λόγῳ θεραπεύοντες, ἆθλα ἐποιοῦντο, παντὶ δὲ τρόπῳ ἀγωνιζόμενοι ἀλλήλων περιγίγνεσθαι, ἐτόλμησαν τά τε δεινότατα, κ. τ. λ.

4° Cat. 52, 2, *longe mihi alia mens est*, etc. Conferenda videtur orationis Catonianæ principium cum Demosthenis tertiæ Olynth. orationis initio: Οὐχὶ ταὐτὰ πεπόνθαταί μοι γιγνώσκειν, ὅταν τε εἰς τὰ πράγματα ἀποβλέψω καὶ ὅταν πρὸς τοὺς λόγους, οὓς ἀκούω· τοὺς μὲν γὰρ λόγους περὶ τοῦ τιμωρήσασθαι Φίλιππον ὁρῶ γιγνομένους, τὰ δὲ πράγματα εἰς τοῦτο προήκοντα, ὥστε ὅπως μὴ πεισόμεθα αὐτοὶ πρότερον κακῶς σκέψασθαι δέον.

5° Cat. 52, 11, *jam pridem equidem nos vera voccabula rerum amisimus. Quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur*, etc. Cf. Thuc. III, 82, 4, καὶ τὴν εἰωθυῖαν ἀξίωσιν τῶν ὀνομάτων ἐς τὰ ἔργα ἀντήλλαξαν τῇ δικαιώσει. Τόλμα μὲν γὰρ ἀλόγιστος ἀνδρία φιλέταιρος ἐνομίσθη.

6° Cat. 54, 6, *esse quam videri bonus malebat.* Hæc verba ab Æschylo translata videntur, Sept. contra Theb. v, 589: οὐ γὰρ δοκεῖν δίκαιος, ἀλλ' εἶναι θέλει (de Amphiarao dictum).

7° Jug. 17, 3, *in divisione orbis terræ plerique in parte tertia Africam posuere, pauci tantum modo Asiam et Europam esse, sed Africam in Europa.* Cf. Isocr. Paneg. 48. τῆς γῆς ἁπάσης τῆς ὑπὸ τῷ κόσμῳ κειμένης δίχα τετμημένης, καὶ τῆς μὲν Ἀσίας, τῆς δὲ Εὐρώπης καλουμένης.

8° Jug. 57, 4, *prælium in manibus facere*, id est *cominus pugnare*; cf. Paus. III, 14, 9, μάχονται δὲ καὶ ἐν χερσίν.

9° Jug. 70, 1, *suspectus regi et ipse eum suspiciens*; cf. Xen. Anab. II, 4, 10, οἱ δὲ Ἕλληνες, ὑφορῶντες τούτους, αὐτοὶ ἐφ' ἑαυτῶν ἐχωροῦν.

10° Jug. 73, 5, *Mari virtutem in majus celebrare*; cf. Thuc. I, 21, ὡς ποιηταὶ ὑμνήκασι περὶ αὐτῶν, ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμοῦντες, et I, 10, (Ὅμηρον) εἰκὸς ἐπὶ τὸ μεῖζον ποιητὴν ὄντα κοσμῆσαι.

11° Jug. 85, 12, *nam gerere quam fieri tempore posterius, re atque usu prius est;* cf. Demosth. Olynth. III, 15, τὸ γὰρ πράττειν τοῦ λέγειν καὶ χειροτονεῖν ὕστερον ὂν τῇ τάξει, πρότερον τῇ δυνάμει καὶ κρεῖττόν ἐστιν.

12° Cat. 6, 3, *sed postquam res eorum, moribus, agris aucta, satis prospera satisque pollens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est.* Cf. Platonis Menex. XIII, εἰρήνης δὲ γενομένης καὶ τῆς πόλεως τιμωμένης, ἦλθεν ἐπ' αὐτὴν, ὃ δὴ φιλεῖ ἐκ τῶν ἀνθρώπων τοῖς εὖ πράττουσι προσπίπτειν, πρῶτον μὲν ζῆλος, ἀπὸ ζήλου δὲ φθόνος.

13° Cat. 53, 2, *sed mihi multa legenti, multa audienti, quæ populus Romanus domi militiæque mari atque terra præclara facinora*

fecit, forte lubuit adtendere, quæ res maxume tanta negotia sustinuisset Cf. Plat. Menex. XI, καὶ γὰρ δὴ καὶ τούτων τῶν ἀνδρῶν πολλὰ μὲν ἄν τις ἔχοι διελθεῖν καὶ ὅτ' ἐπιόντα ὑπέμειναν κατά τε γῆν καὶ κατὰ θάλατταν, καὶ ὡς ἠμύναντο ταῦτα.

14° Cat. 58, 13, *licuit vobis cum summa turpitudine in exilio ætatem agere, — quia illa fœda intoleranda viris videbantur, hæc sequi decrevistis.* Cf. Plat. Menex. XIII, ἡμῖν δ' ἔξὸν ζῆν μὴ καλῶς, καλῶς αἱρούμεθα μᾶλλον τελευτᾶν, κ. τ. λ.

15° Cat. 3, 3, *sed ego adulescentulus initio sicuti plerique studio ad rem publicam latus sum, ibique mihi multa advorsa fuere.* Cf. Plat. Epist. VII, νέος ἐγώ ποτε ὢν πολλοῖς δὴ ταὐτὸν ἔπαθον· ᾠήθην, εἰ θᾶττον ἐμαυτοῦ γενοίμην κύριος, ἐπὶ τὰ κοινὰ τῆς πόλεως εὐθὺς ἰέναι. Καί μοι τύχαι τινὲς τῶν τῆς πόλεως πραγμάτων τοιαίδε παρέπεσον. —Ac deinde enarrat Plato quibus de causis mox ipsum rerum publicarum pertæsum sit, morum corruptionem et majorum instituta in pejus mutata allegans. Cf. Cat. 7 et 10; Jug. 3 et 4.

16° Præterea conferenda videntur loca quæ sequuntur : oratio Cæsaris (C. 51) cum Diodoti apud Thucydidem III, 42; oratio Jugurthæ (J. 49), cum Phormionis (Thuc. II, 89); digressio ipsa de antiquæ reipublicæ statu (C. 6 sqq.) cum Thucydidis exordio. Ejusdem capitis initio Aborigenum historia, quæ apud Varronem, Vitruvium Ciceronemque ipsum invenitur, a Dicæarcho orta sane est (Vid. Müller, *Hist. græc. frag.*, II, 233 sqq.). Præterea laudantur nonnulla minoris momenti exempla, quæ vel ex Demosthenis orationibus (III et IV *Philippica*, pro *Corona*), vel ex Xenophontis *Cyropædia* aut *Memorabilibus* hausta videntur.

CONCLUSIO.

Jam ad metam pervenimus, longum iter emensi. Quid vero ex accurata illa sermonis Sallustiani disquisitione colligi potest? Præcipuas quidem virtutes, quas et veteres et recentiores apud illum « *rerum romanarum florentissimum auctorem* »[1] agnoverunt, agnovimus et ipsi : *brevitatem*, *varietatem*, *in verbis proprietatem*. *Brevitate* sua, interdum subobscura, exemplaria græca etiam superavit, quæ tamen liberius imitatus est, nobili et materiæ aptissima prisci sermonis veste sententias induens, ac simul exquisitam simplicitatem et magnum robur assecutus est. Ad *varietatem* pervenit nullo modo affectatam aut quæsitam, sed tantum per aptam verborum cum sententiis convenientiam, non manifesta quidem, sed tamen accuratissima industria partam; et hæc quidem ac tertia est præcipua inter sermonis ejus virtutes propter quam a Gellio[2] *proprietatum in verbis retinentissimus* dictus est.

Nunc vero, si unumquodque Sallustii opus consideremus, *Catilinam* et *Jugurtham* non multum a ceteris ejusdem ætatis operibus sermone differre liquet, *Historias* vero et archaïsmorum majore numero et vocabulorum delectu et locutionum structurarumque singularitate longius a Ciceroniano usu discedere; quas quidem potius quam *Catilinam* aut *Jugurtham* imitatum esse *Suasoriarum* auctorem nemo miretur, quippe qui in exemplari fucati splendoris ornamenta facilius quam nobilem ac decoram gravitatem perceperit.

Nostrum igitur judicium comprehendere et totum opus concludere liceat, supra laudatam summi ætatis nostræ grammatici[3] opinionem iterum referendo : « Ut inter veteres et recentiores stat Sallustius, ita

1. Taciti Annal. III, 30.
2. Auli Gellii Noctes Atticæ, x, 20.
3. Bernhardy, Geschichte der Rom. Litterat., edit. IV, p. 661.

ejus sermo inter elegantiam æqualium et antiquum colorem medium tenet; ejus vividum ac forte dicendi genus prisci sermonis dignitatis plenam gravitatem, in vocabulorum usu, flexione ac significatione, cum celeritate et vigore quæ ipsius propria sunt cogitato delectu jungit. »

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Jam typis mandatum erat hoc opusculum, quum evolvere licuit recens Riemanni opus *(Études sur la Langue et la Grammaire de Tite-Live)*, ex quo nonnulla tantum hic addenda decerpsimus, dolentes quod non eo maturius uti licuerit; eadem declaranda sunt de eximio Jordani libro *(Kritische Beitraege zur Geschichte der lateinischen Sprache*, Berlin, 1879). Primàm tantum Drægeri libri *(Hist. Syntax der lat. Sprache)* editionem in manibus habuimus.

P. I, l, 3, *pro duplici puncto, pone punctum.*

— l. 12, *post* programmata, *subdistinctionem pone.*

— l. 14, *dele comma post* visum est.

II, l. 10, *pro* 1868, *lege* : 1866.

III, l. 26, *post* Jordan, *subdistinctionem pone; item* p. 2, l. 4, *post epistola;* p. 3, l. 3, *ante neglegentia et ante* intellegitur; l. 34, *post conmittere;* p. 4, l. 25, *ante* Asperum.

P. 1, l. 23, *pro æstuma. lege* : *æstumo.*

2, l. 3 notæ, *comma pone post* testimonium.

3, l. 9, *subdistinctionem dele ante* Pierius.

— l. 16, *hæc adde* : Priscam scripturam *ei* pro *i*, quæ sub finem Ciceronianæ ætatis periisse videtur (cf. Jordan, *Kritische Beiträge*, p. 237), a Sallustio non adhibitam fuisse verisimile est; nam nulla vestigia præbent codices, quamquam iidem *u* pro *i* pluribus locis exhibent. Quod autem Suasoriarum ad Cæsarem Auctor eam frequenter usurpat, hoc nihil ad Sallustianum usum facere potest, quum rhetores et grammaticos posterioris ætatis constet hac scriptura quasi ornatu quodam orationis usos esse.

— l. 24, *adde*: Inter verba ex præpositione *ad* composita, unum tantum *(aggredi)* assimilationem patitur, ut placet Jordano, cui Jacobsius aliique assentiuntur; Dietschius vero *adgredi* scribit contra optimorum codicum fidem.

— l. 29, *pro* scripisse, *lege*: scripsisse.

— l. 35, *hæc adde* : Dietschius hic semper sibi constantem orthographiam accepit, quippe qui nunquam assimilationem admiserit. Jordanus contra codicem Sorbonicum plerumque secutus esse videtur: etenim si *commeatus* tribus locis scribit (Cat. 58, 9; Jug. 28, 7; 36, 1), *conmeatus* habet ceteris octo locis, inter quos Jug. 100, 1, ubi, si Dietschio fidem adhibeamus, codex Sorbonicus (P) *commeatum* exhibet, et Hist. II, 50, 7, ubi in Vaticano *commeatus* esse affirmat Dietschius. — Similiter *impedire*, quæ scriptura a Kritzio et Jacobsio constanter servatur, apud Jordanum sexies est, at *inpedire* septies. Quum tribus locis (Jug. 35, 4; 70, 5 et 80, 5) P *inpedire* in *impedire* correctum afferat (Dietschius), Jordanus ultimo tantum loco *impedire* scribit. — Idem *inpetus* semel tantum (J. 34, 1) admitit, ceteris vero locis *impetus*; similiter *conmoratus* (Cat. 59, 1) et *commoratus* (Cat. 36, 1). Ceterum hic quæri potest num

quid in editione Jordani librariorum artificum negligentiæ tribuendum sit. — Notabimus præterea vocem *magnificus (magnifice)*, quæ septies in *Catilina* occurrit, ultimo tanto loco (52, 10) ex recensione Jordani sic scriptam videri, at in *Jugurtha*, ubi similiter septies legitur, semper formam *magnuficus (magnufice)* induere, unde conjici potest scribam primum priscam formam correxisse, deinde, quum archetypum sibi constare videret, a pruritu emendandi manus abstinuisse.

